Digitized by Google

N. 1958.
Paed. Pr. 3914
Wagenseil
7 R
Digitized by Google

<36628076670013

<36628076670013

33 Bayer. Staatsbibliothek S

paedagog

Digitized by Google

~~Philos.~~

~~Paedag. 59.~~ ~~N°. 385.~~

~~Encyclop.~~

R

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

PERA
LIBRORVM JVVENILIVM:

QVA,

INGENVOS, VIAMQVE AD ERVDITIONEM ET BONAM MENTEM AFFECTANTES

ADOLESCENTES

DONAT

JOH. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS.

R

SVMPTIBVS JOHANNIS HOFMANNI,
Bibliopolæ Noribergenſis,

ALTDORFI NORICORVM
Excudit HENRICVS MEYER, Acad. Typographus.

A. C. M DC XCV.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO,

Nobiliſſimo, Ampliſſimoq; Viro, ac Reip. Lipſienſis Senatori,

JOH. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS.

S. P. D.

INvideo ſæpe Reip. Civili bonum, quod illa habet, tenet, poſſidetque, dum te, CARPZOVI AMPLISSIME, Literariæ Reipublicæ eripuit, cujus te decori, magnoque emolumento natum eſſe, omnes non vane augurabantur, quibus incredibilem vim ingenii tui, & in diſciplinis univerſis miram, qua olim privatus adhuc pollebas, præſtantiam, noviſſe datum fuit. Vah! quæ, & quanta tu nos docturus eras, ſi ad meditata tua nobiscum com-

Digitized by Google

municanda, otium tibi nunc ſuppeteret, &c, niſi pro tribunali ſedere, ſubnotare libellos, conficere rationes, legationes obire, aliisque maximis diſtringi officiis, aſſidue tibi neceſſe foret. Quanquam, dum rurſus animum ſubit, ita utique rem ſe habere, prout Euphrates Juniori Plinio confirmaverat, *etiam eſſe hanc Philoſophiæ*, (addo, *abſolutæq; Eruditionis,*) *& quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere & exercere juſtitiam*, deſino mecum ſtomachari. Quin imo, quoties animo ipſe perpendo, quod divinæ humanæq; doctrinæ operantes alios, amas, foves, provehis, & ſumma contentione allaboras, ut eorum, quin & illorum, qui pridem vita & laboribus ſuis defuncti ſunt, lucubrationes in publicum prodeant,

jam

Digitized by Google

jam agnoſco, te de Republica Literaria immortaliter, & magis quam quisquam alius, bene mereri. Nimirum, plane tu apud nos, Summi Viri, Nicolai Claudii Fabricii Peireskii, Aquiſextienſis Senatoris, ſuſtines perſonam, ejusque imaginem exhibes, nec niſi ſolo nomine diſpar illi es atque diſſimilis. Quod enim illum in Gallia feciſſe, Gaſſendus vitam ejus percenſens prædicavit, ea omnia & ſingula, tute, OPTIME VIRORVM, in Germania præſtas, & non minus ac ille, documentum cæteris hominibus præbes virtutis, probitatis, prudentiæ, eruditionis, benignitatisque. Poterant iſta me movere, ad dicandos tibi libellos quos emitto, ne tot aliis popularibus, & adeo exteris quoque, qui ingenii ſui monumenta, quæq; ſcripto tradunt, certatim ad te deferunt, in tecolendo

minus officium facere viderer. Sed eſt inſuper alia propior mihi, magisque ſingularis ejus rei cauſa, veterrima nempe neceſſitudo & familiaritas, quam, a tot annis, ſincera inter nos coluimus religione fideque. Hæc, Amicorum jubet eſſe communia omnia, ex lege, teque affari, ſociali, apud Regum Sapientiſſimum Salomonem, in Proverbiis ſermone: גורלך תפיל בתוכנו כיס אחד יהיה לכלנו: *Sortem mitte nobiscum*, PERA *una eſto utriusq; noſtrûm.* Tu, VIR AMPLISSIME, mutuum facito mecum, & cave ſis, obſecro, unquam aliquid decedat tuæ erga me benevolentiæ. Vale feliciter, DEVS te ſervet, omniumque damnet votorum. Scr. Altdorfl Noricorum, a. d. XVIII. Februarii, qui, quod omen accipio, Concordiæ in faſtis ſacer eſt. A. C. CIƆ IƆC XCV.

EHO-

* * *

EHODVM BONE LECTOR:

P*Aucis te volo, & quædam, antequam ad noſtra legenda te conferas, humaniter me monere, non mea ſolum, ſed vel imprimis tua intereſt. Hoc primum in hac re, ex animi mei ſententia teſtor, & prædico tibi, nihil unquam in vita minus eventurum me crediſſe, quam fore ullo unquam tempore, ut libelli quos vides, e privatis carceribus, in publicam lucem & manus hominum exeant. Plena ſunt omnia magnarum artium Compendiorum, nec valde opus erat, ut ego numerum adaugerem, & poſt tot, qui in talibus edendis ingenium & induſtriam exercuerunt ſuam, labore tumultuario ſine magna cura quæ congeſſeram, proferrem in medium. Tum vero nec eo ingenio natus ſum, ut in muſtaceo, quod ajunt, laureolam quæram, nec tantum etiam ab re mea eſt otii mihi, Adoleſcentum, qui primum literis initiantur, ſtudia ut curem, eaq; nihil quæ ad me attinent. Enim vero, Filium unicum Supremum Numen mihi conceſſit, quem, quia a teneris unguiculis, primisq; vitæ annis, literis divinis humanisq; conſecraveram, ideo, ceu licebat, & fas hoc fuit, volebam, ut ex me potiſſimum*

 disce-

diſceret. Ergo, prout ille ætate, ac bonarum rerum notitia, ſenſim aliquantulum proficiebat, ita de libellis ei proſpexi, ad captum ingeniumq; illius accommodatis, qui nihil quicquam ſupervacui continerent, neceſſariis tamen non deſtituerentur, &, quoad æquum erat, per quæſtiones & reſponſiones methodum, quam puerilibus annis, iisq; qui primum Sapientiæ laticibus imbuuntur, unice convenire, viris prudentiſſimis ab omni memoria viſum eſt, cum, quanta excogitare poteram, perſpicuitate, ſervavi. Hæc ſola occaſio fuit, quæ me ad ſcribendum, per temporum varia intervalla, libellos hosce compulit, quibus, plurimum definitiones, &, quæ ego puer didiceram, ſcita, inſerui, ſenſum quendam ex earum repetitione rerum, capiens, voluptatemq;. Jam horum aliqua, ac imprimis Practicæ Philoſophiæ, & Geographica præcepta, cum Filius Commilitonibus communicaſſet, illa, ceu fit, per manus tradita, non ad privatorum tantum hominum, ſed & eorum, quos in loco præcelſo ac edito fortuna poſuit, quiq; apud LEOPOLDUM IMPERATOREM *primi ſunt, & quorum opera in adminiſtranda Orbis Auguſta Republica vel præcipue utitur, notitiam pervenerunt. Illi, non indelectati brevitate & exiguitate libellorum, quodq; in iis omnia plana & aperta eſſent, petiere ipſos a me, & fuit,*

qui

qui proprium hominem huc miſit, ad eos deſcribendos. Cæterum, cum animadverterem, nimis vitioſa evadere apographa, ita ut vix uſui eſſe poſſent, dolebat id, nec me facilem porro præbui, in libellorum copia facienda. Interea loci offert Johannes Hofmannus, *Integerrimus Vir, & Bibliopola Noribergenſis ante cæteros eximius, qui fando aliquid de libellis noſtris acceperat, ſuam operam, ſuosque ſumtus ad eos excudendos. Mirabar id tacitus, & ita mecum cogitare cœpi, velle fortaſſe DEUM, ut ea quæ in ſolius Filii uſum paraveram, promiſcui juris fierent, quod prodeſſe ea Adoleſcentibus quibusdam poſſint, nocere, aut detrimentum afferre nemini. Sic ſolvebam, quæ meus ille, mancipio & nexu aſſidue tenere debebat, & miſi quaſi e manu. Voveo vehementer, ne ſpes quam concepi, ceſſuram aliquorum commodis indulgentiam meam, me omnino fallat. Id vero ut tanto minus eveniat, indicabo nunc ſimul rationem, quam ego tenui, in iſtis Rudimentis, Hiſtoria præſertim & Geographia, quarum artium nemo homo ignarus eſſe debet, & quas ne ii quidem, qui literarum ſtudia cane pejus & angue oderunt, niſi prorſus natura communem ſenſum iis ademit, averſantur, tradendis. Scilicet, quamprimum rationis igniculi in Filio emicabant, tenellus animus, non Mileſiis ſermoni-*

monibus, ſed ante omnia Sacra Hiſtoria initiandus videbatur, quam illum per emblemata Bibliorum, quæ talia addita habent, inde a Mundi cunabulis, ad fundatam usq; Chriſtianam Eccleſiam, continua ſerie edocui. Cum hanc teneret, omnis ævi profanas hiſtorias in illuſtri poſitas, in Joh. Ludovici Gotfridi Chronica, *ad intuendum propoſui, ſimul jam Mnemonicum aliquod, interdum, nec niſi cum lubido puero erat, occentans. In confirmata ætate, cum Synopſin traderem, quoties in primis Monarchiis, loci aut regionis alicujus nomen occurrebat, ejus ſitum, in* Nicolai Sanſonis *antiqui Orbis tabulis, digito monſtrabam: ad Cæſares autem cum ventum erat, oſtendebam vultum cujusq; in Numis; ac parvula Numiſmatotheca mea deficiente,* Caroli Patini *Opus, quod Romanorum Imperatorum numiſmata ex ære mediæ & minimæ formæ ad Heraclium usq; nobis exhibet, ac deinde* Octavium Stradam, *in ſubſidium vocabam. Sed & non tantum aliorum Regum & Principum, verum & cujusq; Seculi Eccleſiæ Patrum, & Virorum Doctorum, quoties mentio illorum ſe offerebat, in aliorum ſcriptis obſervatas, aut quod a longo tempore ſigillatim collectas eas haberem, imagines, oculis aſpiciendas dedi, ſemper etiam in rem præſentem coram afferens, ipſos, qui a quoq; Eruditorum conſcripti memorabantur,*

libros,

*libros, interdum ex publica, ſi quando mea il-
los negabat, Bibliotheca depromtos. Porro,
Sphæræ Armillaris, & utriusq; Globi circum-
actione, atq; Circulorum qui in iis ſunt notitia,
mire, & magis quam ſi pila trochoq; ludere con-
cederetur, puerilis capiebatur animus, ut ſic
iſtorum doctrinam, una cum mnemonicis, levi
negotio complecteretur. Per Synopſin deinde
Geographicam peregrinantem Filium, quia præ-
ter* Petri du Vall d' Abbeville, *& aliorum ta-
bulas,* Zeileri *Itineraria, &* Braunii *ac* Ho-
gerbegii *Urbium delineationes, per Europam,
per Aſiam vero, Africam, & Americam,* Dap-
peri *Deſcriptiones, cum ſuis amœniſſimis pictu-
ris, ut* Sponium, Tavernierium, Olearium, *
aliosq; ſubitos & temporarios comites taceam,
pede preſſo proſequebantur, gaudio prorſus de-
libutus, identidem cœlum & terras mutare ſibi
videbatur, & quotidie itinere aliquo pulcher-
rimo defungi. Quæ ad Philoſophiam, aut alias
Scientias ſpectantia, legenda & ediſcenda
committebam, prius vernacula lingua, ac ex-
emplis multis in medium prolatis, fideliter expli-
cabam. Memoriæ autem mandavit Filius,
præter excerpta e Claſſicis Autoribus, & Sapi-
entum Gnomas, etiam illos libellos, qui ſecun-
dum interrogationes & reſponſa concipiuntur,
cum Inſtitutionum Civilis Juris, Feudalis item,
Canonicique Synopſibus. Verum iſta omnia non*

impetu

impetu quodam propoſui, onerando illius memoriam, ſed parce ac modice, ut inſtrueretur animus non obrueretur, & complurium annorum, ac quoad ex ephebis exceſſit Filius, hic labor fuit. Lente enim feſtinandum erat, nec minus crebras repetitiones inſtituere neceſſe fuit, quando is demum operæ pretium in erudienda juventute facit, qui non pungit, ſed infigit. Quin & initio ſtrictim ac breviter, in progreſſu fuſe a me fiebant explanationes. Penitus autem perſuaſus ſum, non adeundam eſſe altam & ſolidam Philoſophiam, ac ſuperiores Scientias, niſi prius quis fundamenta earundem, & communes definitiones, diviſiones, ac notiones, ita teneat, ac ſuos ungues, & per rudimenta ſic velut præparetur. Nam, quod ille apud Comicum ait, diſciplina eſt, munerarier ancillas primum, ad dominas qui affectant viam, & in veſtibulo aliquantiſper hærere convenit eos, qui in penetralia admitti poſtulant: nec aliud unquam viſum iis, qui Juvenes bona fide, legeq; ſevera voluerunt proficere. De reliquo, habent hoc boni libelli iſti, quod integræ prope Bibliothecæ vicem Adoleſcenti præſtant. Modo enim Sacrarum Literarum Codicem, Latinam Grammaticam, Lexicon aliquod, & unum ac alterum Claſſicum Autorem quis ſuperaddat, haud aliis libris aliquandiu magnopere opus eſt: ac quia iſta juncta poſſidentur, ingenii humani

curio-

curioſitas, quosdam adhuc ætatis tenerioris coget, ut etiam libros alii tempori reſervatos, perluſtrent, ac multa quæ in iis offendunt, antequam tradantur, diſcere præoccupent. Præfixi autem cuiq; libello præfatiunculam, indicium faciendo, quem finem propoſitum habuerim, cum illum concinnarem. Iisdem, & maxime Hiſtoriam ac Geographiam tractantibus, Indices nullos ſubjectos eſſe, fortaſſe aliqui querentur, ſed ego ratione & conſilio id facere neglexi, ut ipſi juvenes hoc labore ſe expedirent, & ad eum peragendum, tanto diligentius attenderent lectioni, magisq; omnia ſibi redderent familiaria. Amplius, nec temere, Gallica & Italica quædam, quamvis raro, ſine interpretatione immiſcui, nam Filius ea non egebat, nec mutavi poſtea, cum iſta imprimenda darem, factum, ut dum avide quid dictum ſit ſcire expetunt Juvenes, aliosq; ſolicitant, hoc ipſo anſa iis detur, ad parandam ſimul in tempore, quantulamcunq; iſtarum linguarum notitiam. Ipſa tamen Artium præcepta, accepere interdum augmentum aliquod, prout, cum evulgarentur, quædam ad inſtitutum facientia, obiter ſuccurrebant. Interim, hoc quoq; loco, quod & alibi ſedulo profiteor, monendum eſt, in Hiſtorica & Geographica Synopſibus, multa me narrare, ex aliena magis quam propria ſententia, nec rigidum ſemper veri exploratorem egiſſe. Nimirum, hæc cu-

ra eos ſolicitat, quibus cum ætate & ſapientia provectioribus res eſt, his enim tantum vera quæ ſunt & ordinata, conveniunt, Filium, veriſimilia, imo & falſa quædam, non indecere opinabar, ut haberet, quod loqueretur, nec lignum ſuper ligno ſederet in convivio, aut inter congerrones. Illud utiq; vereor, ne non tam alios ſequendo, quam ex propria incogitantia, erroreq;, quædam perperam interdum dixerim, ac ſubinde graviter ſim hallucinatus: nam, nec eodem ζήλῳ omnia ſcripſi, nec rei intentus, ſed longas ſæpe intercapedines faciens, quoad novam aliquam lectionem Filius a me requirebat. Atq; hinc aliquando evenit, ut eorum quæ ante ſcripſeram obliviosſus, poſteriora prioribus non ſatis annexuerim, aut bis dixerim, quod ſemel recitaſſe ſufficiebat. Iſtas autem noxias univerſas, liquido illud, quod adornando libros, uni vacabam non omnibus, Filiumq;, qui ad me attinebat, ſolum curabam, ſatis excuſat, etiam poſtquam aliter evenit ac cogitaveram, atq; illi nunc ſubeunt conſpectum hominum. Tum vero bene eſt inſuper, quod nullum noſtrum peccatum tantum erit, ut quem Adoleſcentulum corrumpat, aut ejus profectus in literis offendat vel impediat. In Gemaræ Bava Batra cap. 2. diſputant Rabbini in eo problemate, num ſatius ſit eligere præceptorem, qui multa diſcipulos docet, at incurius, an vero pauca præcipientem,

pientem, ſed cum diligentia exactiſſima. *Accedo Rabæ, cui prius placuit, & probo argumentum, quo cauſam ſuam tuetur,* שבשתא ממילא נפקא: error ſua ſponte concidet: *levis nempe, & circa hiſtoricam aliquam, aut geographicam rem, vel ſermonis elegantiam, aut ordinis concinnitatem commiſſus. Quippe de iis, qui religionem, qui pietatem, & honeſtatem, qui nobis infixa & implantata ſanæ rationis dictata lædunt, aliter judicandum, atq; de his ſane valet illud, quod, oppoſitam theſin propugnans, urgebat R. Dimi Nabardeenſis:* שבשתא כיון דעל על: Error ſemel admiſſus, identidem proſerpit, majorq; fit progreſſu. *De reliquo, ut operi nomen auſpicato indetur, illud ex Divinis Scripturis mutuari viſum fuit, in quibus, in priore Samuelis libro capitis ejus XVII. commate 40. legitur:*
ויקח מקלו בידו ויבחר לו חמשה חלקי אבנים
מן הנחל וישם אותם בכלי הרעים אשר לו
ובילקוט:
Id Vetus Latinus Interpres expoſuit: Et tulit (*David*) baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus: & elegit ſibi *quinque limpidiſſimos lapides* de torrente, & miſit eos in PERAM paſtoralem. *Prout enim David quinq; lapides e torrente lectos, in* Peram *condidit, ita nos ex humanæ omnis Doctrinæ fluentis depromtos ſcrupos, cum intrito in quinq; globos glomerantes,*

tes, *eos totidem* Peræ Literariæ *Loculamentis incluſimus. Atque ſic Judæi quoq;, libris novis, qui ex antiquis Excerpta, atq; Sapientum monita continent,* ילקוט *ſive* PERÆ *appellationem indere amant, extatq; apud eos Traditionum Volumen ingens vaſtumq;,* ילקוט השמעוני• Pera Simeonis, *quo nos potiſſimum in recenſendis* παραδόσεσι *uſi ſumus. Extant præterea,* ילקוט ראובני• Pera Rubenis, ילקוט חדש Pera nova, ילקוט המכירי• Pera Mechiræa; *cum aliis. Sed &, maximi profanos inter Sophos Æſopi, dictum in animo erat, quo, prout Phædrus verſu illud expreſſit, velut foliis e bacchare, ne mala lingua faſcino nobis noceat,* Peræ *oram circumveſtio pro amuleto:*

PERAS IMPOSVIT JVPITER NOBIS DVAS:
PROPRIIS REPLETAM VITIIS, POST TERGVM DEDIT;
ALIENIS ANTE PECTVS SVSPENDIT GRAVEM.
HAC RE VIDERE NOSTRA MALA NON POSSVMVS:
ALII SIMVL DELINQVVNT, CENSORES SVMVS.

CORRIGENDA,
ac
SUPPLENDA.

JUdæorum, circa Volumina Divinæ Legis, ne erroribus Scribarum illa laborent, atque ſic cui erroris aliqua occaſio præbeatur, ſolicitudo ingens & accurata eſt. Nam, ne ſervare iis quidem ſecum licet Volumen, cujus intra menſem a ſcriptione, non facta eſt cum exemplari emendato comparatio. Quin &, ſi valde vitioſum deprehendatur, jubent ejus correctione omnino ſuperſedere, illudque, in aliquo loco conditum, ab uſu, imo & conſpectu hominum ſemovere. Magiſter eximius in ea gente, Moſes Maimonides, præceptionem hac de re in Hilchot Sepher Tora, verbis quæ ſequuntur, literis conſignavit: ספר תורה שאינו מוגה אסור לשהותו יתר על שלשים יום אלא יתקן או יגנז : ספר תורה שיש בו שלש טעיות בכל דף ודף יתקן ואם היו ארבעה יגנז : ואם היה רוב הספר מוגה והשאר יש בו ארבע טעיו' בכל דף ונשאר אפי' דף אחד מאותו השאר המשובש בלא ארבע טעיות הרי זה יתקן: h. e. *Volumen Legis inemendatum, nefas eſt ultra trigeſimum diem ſecum tenere, ſed aut exigere illud ad correctum exemplar, aut abſcondere oportet. Si in Voluminis alicujus pagina quaque ſphalmata tria occurrant, ei licebit correctionem adhibere, ſed ſi vitia quatuor notentur, id ſemo-*

movere convenit. Quod ſi maxima Voluminis pars recte ſe habeat, reſiduæ vero partis paginas omnes errores quatuor occupent; modo unica harum a vitiis quatuor immunis ſit, correctioni adhuc ſubjacet. Atque hæc quidem circa Divinas Literas obtinent: de profanis minor cura, ea tamen, ut vetuſtiſſimorum Sapientum hoc generale ſcitum ſit: לעולם ילמד האדם את תלמידו מספר המוגה : ſive: *Ætatem danda homini opera, ut ad edocendum diſcipulum ſuum, adhibeat librum emendatum.* Nempe, interdum parvæ res maximas trahunt, & leve in libro vitium, non parum obeſſe poteſt homini Adoleſcenti. Quamobrem, eorum, qui noſtros libellos juvenibus legendos committent, fidem ſerio appello, illosque ſummopere etiam atq; etiam rogatos velim, ut prius emendationem vitiorum quæ indicamus, & quorum ipſi adhuc obſervationem facient, inſtituant, nam & ſæpe peccatum eſt, & inſigniter. Neque vero fieri aliter poterat in libris, qui in locis diverſis excuſi fuere, ac proinde interdum Correctores imperitos, ſæpe tumultuarios & fortuitos, plurimum aliis rebus intentos & ſomniculoſos, inter quos poſtremos & ipſe nomen profiteor meum, nacti ſunt.

LOCVLAMENTVM I.

Pag. 88. lin. 1. geratum, *legendum*, gratum. p. 112, 5. cib, *cibi.* p. 119. l. antip. caluminæ, *calumniæ.* p. 121, 4. naſceret, *naſcerer.* p. 129, 1. molelestior, *moleſtior.* p. 131, 5. proſus, *prorſus.* p. 152, 27. omnem, *omen.* p. 153, 7. quicduid, *quicquid.*

l. 10. exſtimari, *exiſtimari*. p. 156, 5. repenre, *repente*. p. 172, 12. captis, *capti-* p. 191, 5. ſedito, *ſeditio*. p. 201, 20. ne moribus, *nemoribus*. p. 207, 15. eſt. Rex, *eſt Rex*. p. 208, 14. ſommo, *ſomno*. p. 212. l. ult. lævia, *levia*. p. 213, 16. bonus, *bonos*. p. 242, 18. cultra, *cultura*. p. 244, 18. exprobare, *exprobrare*. l. antip. leve, *læve*. p. 248. l. ult. timitidatis, *timiditatis*. p. 255, 20. ſunt, *adde*, jam. p. 259, 7. præcepta, *prærepta*. p. 262, 1. compoſitio, *compoſito*. p. 284, 10. deſtineri, *diſtineri*. p. 286, 29. proprius, *propius*. p. 355, 12. futuum, *futurum*. p. 368, 30. auctu-rum, *acturum*. p. 388, 17. uti, *ut*. p. 398, 29. videri, *videre*. p. 404, 6. Vrbes. *Hæc vox pertinet ad priorem verſum*. p. 409, 26. vitæ, *viæ*. p. 411, 15. cibi, *ſibi*. p. 414, 7. mentis, *nentis*. p. 419, 4. eſſe, *poſſe*. p. 429, 13. Maſſaniſſa, *Maſiniſſa*. p. 446, 9. aut, *delenda vox*. p. 449, 1. imma, *ima*. p. 456, 10. affirmaret, *affirmarent*. p. 461, 7. pauper, *addendum*: Creditur, atque Deos, Diis ignoſcentibus ipſis. p. 467, 3. illam, *illum*. p. 473, 7. ſemel, *adde*, a. p. 480, 27. folia, *folio*. p. 488, 26. olivia, *oblivia*. p. 499, 11. fertilia? *fertilia*. p. 504, 11. inuſitata, *uſitata*. p. 507, 25. oro, *ore*. p. 512, 18. Auſtriæ, *Auſter*. p. 513, 22. langor, *languor*. p. 530, 22. Idem, *Sen*. p. 540, 20. quæſitu, *queſtu*. p. 544, 15. Idem, *Plinius*. p. 552, 26. ipſa, *ipſe*. p. 559. l. ult. contento, *contenta*. p. 571, 4. ſc-*ſci-* p. 572, 29. naſens, *naſcens*. p. 575, 6. bus, *us*. p. 576, 13. corvo, *cycne* p. 609, 16. in vitam, *invitam*. p. 615, 25. iriguo, *irriguo*. p. 646, 28. Qando, *Quan-*

Quando. p. 647, 11. minus, *nimis.* p. 654, 16. ſignifiatione, *ſignificatione.* p. 667, 11. diſtingun-*diſtinguun*. p. 670, 13. tribuimns, *tribuimus.* p. 673, 24. atqu, *atque.* l. 26. quamtu, *quantum.* p. 700, 17. Herrn/ Herren. p. 712, 20. Seel/ Seele. p. 756, 14. und Schwerd / noch Schwerd. p. 771, 29. die/ den. p. 779, 16. Speciales, *Speciales.* p. 783, 3. Particulæ, *adde* A. p. 791, 11. augumento, *augmento.* p. 800, 7. teteraq;, *tetraq;.* p. 816. l. ult. ublimem, *Sublimem.* p. 828, 16. pecantibus, *peccantibus.* p. 861, 23. tibit, *tibi.* p. 864, 29. mei, *meæ.* p. 879. l. pen. Naturar, es, *Natura, res.* p. 901, 17. lumnoſiſſima, *luminoſiſſimia,* p. 902, 20. offerretur, *offerentur.* p. 911. l. pen. 18, 10. p. 912, 3. affiſtant, *afficiant.* p. 914, 14. quam, *quum.* p. 917, 28. interpretetante, *interpretante.* p. 918, 7. tot, *adde*, illa. p. 926, 15. oſtatim, *oſtiatim.*

LOCVLAMENTVM II.

Initium hujus Loculamenti, infeliciter incidit, in Typographum (ſed quem deinde miſſum fecimus,) imperitum, negligentem, adhæc nimis a me remotum: unde mirum nullum, ſcatere illud tum aliis erroribus, tum & peccatum ſubinde eſſe in prava vocum ſejunctione. Poſtrema vitia, quisque, citra indicium, haud gravatim tollet: circa alia emendanda, ſic aurem comiter vellimus. Pag. 12. lin. 7. Guina. *legendum* Guinea. Abyſſina, *Abyſſinia.* p. 15, 27. Stich/ Strich. p. 16, 9. allhie/*addendum*, in Altdorf. p. 31. l. ult. collocantur, *collocatur.* p.

32, 23.

32, 23. hos, *horas*. p. 33, 6. declinationis, *adde*, dicitur. p. 34, 6. 1. *leg*. a. l. 20. qnæ, *quæ*. p. 35, 3. loco, *lacu*. p. 36, 6. Gonvallis, *Convallis*. l. 14. Baxitas, *Baxias*. p. 37, 15. quem, *quam*. p. 39, 17. aqna, *aqua*. p. 40, 16. obtegit, *detegit*. l. 27. auguſtiſſimum, *anguſtiſſimum*. p. 43, 26. colonellis, *columellis*. p. 44, 18. rcmis, *remis*. l. 24. fiit, *ſit*. l. 28. fiit, *ſit*. p. 45, 6. remiguam, *remigum*. p. 49, 17. Neptum, *Nepotum*. p. 53, 3. eſt, *adde*, 3500. Gallicum eſt. p. 54 l. 16. a 6000. hominum in viginti. l. *a 360000. hominum in decem*. p. 57. in principio lineæ 1. deeſt *fauſto*. p. 81, 12. Propontidem, *adde*, Pontum Euxinum. p. 86, 26. Gaudiana, *Guadiana*. p. 88, 24. Suecorum, *Suevorum*. p. 96, 23. Aſtario, *Aſta rio*. p. 97, 18. Rgni, *Regni*. p. 102, 20. Gaudiana, *Guadiana*. p. 109. l. antip. Jaca. *adde:* Jaccetanorum quondam ſedes. p. 114, 14. Regiæ, *Reginæ*. p. 115, 19. Hiſpanias, *Hiſpanicas*. p. 128, 21. Sepetentrione, *Septentrione*. p. 137, 12. Corbelium, *Corbolium*. p. 141, 14. rigionem, *regionem*. p. 147, 1. Loches, Loches. l. *Loches*, *Lochia*. p. 148, 18. Melonii, *Melanii*. p. 153, 5. Surione, Suron. l. *Suſione*, *Suſon*. p. 155, 2. 1. l. a. lin. 17. auguſtamq;, *anguſtamq;*. p. 157, 13. receſſit, *ſeceſſit*. p. 159, 17. &, *l. e.* p. 160, 6. humores, *tumores*. p. 162, 4. Santona, *Santones*. l. 22. cœteri, *qui*. l. 28. Condoan, *Cordoan*. p. 164, l. pen. Oceanum, *Occaſum*. p. 165, 11. Meridie, *a Meridie*. p. 166, 4. Benearnia, *Benarnia*. l. 9. Oceanum, *Occaſum*. l. 12. Benearniæ, *Benarniæ*. l. 21. quæ, *qua*. p. 169, 17. Mogolenſium, *Ma-*

 golo-

golonenſium. p. 170, 13. tractus, *tractui.* p. 171, 10. Honoratii, *Honorati.* p. 172. l. antip. Sante, *Sainte.* p. 173, 22. LA, LE. l. ult. 1348. l. 1343. p. 174, 24. quem, *quam.* p. 175, 9. Anecy; Annecum. *Annecy; Annecium.* p. 177, 26. præalitum, *præaltum.* p. 178, 18. Penaino, *Pennino.* p. 180, 18. iſta, *ita.* p. 181, 14. Charantonii, *Charantoni.* p. 182, 4. Succorum, *a Suecorum.* lin. 21. illam, *illum.* p. 185, 6. de Madiana, *de Madia.* p. 186, 27. Potum, *Potu.* p. 188, 10. placet, *placet.* p. 189, 17. Clauxinam, *Clanxinam.* p. 190, 10. Monarchis, *Monachis.* p. 192, 25. ponitibus, *pontibus.* p. 195, 25. Ebrodonum, *Ebrodunum.* p. 196, 10. Baſilenſis, *Baſileenſis.* p. 197. 13 Vetutiſſima, *Vetuſtiſſima.* p. 198, 16. defectionisq; fœderis, *defectionis, fœderisq;.* p. 203, 9. poſt vocem *tractus*, facienda interpunctio. p. 206, 3. Mayenthal/ Maynthal. p. 216, 7. Brianus, *Brixianus.* p. 217, 7. Bron/ Bern. l. pen. Cathedra, *Cathedrale.* p. 218, l. antip. retient, *retinet.* p. 220, 28. refertum, *referta.* p. 255, 11. cricifixi, *crucifixi.* p. 267, 9. quam, *quem.* p. 269, 21. Ollvarum, *Olivarum.* l. 26. abſit, *abiit.* p. 273, 15. carvo, *cavo.* p. 277, 1. Quidam, *Quondam.* p. 278. l. ult. cecenti, *recenti.* p. 280, 4. litis, *litus.* p. 282, 17. Caſſubia, *Caſſubiæ.* p. 286. l. ult. Chraſtiana, *Chriſtiana.* p. 305, 11. 1647. leg. 1547. p. 355, 26. ſciographiam, *ſciagraphiam.* p. 361, 5. guminumque, *minumque.* p. 364, 8. per per Germaniam, *per Germaniam.* p. 380, 19. linguæ, *lyræ.* p. 387. l. pen. Cadus, *adde*, & dolium. p. 407, 22. exorнerat,

nerat, *exonerat*. p. 410, 1. Dordrecum, *Dordracum*. p. 430, in lin. ult. vitioſe geminatur vox *etiam*. p. 434, 3. præcipia, *præcipuæ*. p. 440, 28. rdo, *do*. p. 450, 25. eſt, *adde*, Conjux. p. 485, 25. Hororius, *Honorius*. p. 518, 11. Viltonia, *Wiltonia*. p. 527. lin. antip. prærupti, *præruptæ*. p. 537, 15. manum, *manuum*. p. 553, 6. Oaus, *Olaus*. p. 557, 21. illæ, *ille*. p. 606, 10. Cherſoneſum, *Cherſoneſum*. p. 714, 26. e quo, *addendum*, ceu multorum fert opinio. p. 752, 22. Greiffengius, *Greiffenhagius*. p. 782, 9. ſunt, *adde*, teſtæ. p. 809, 9. opione, *opinione*. p. 815, 1. gignantes, *gigantes*. p. 817. l. ult. ingente, *ingentem*.

Pars poſtrema, quæ Africam & Americam complectitur.

Pag. 3. lin. 4. erfert, *legendum*, refert. l. 23. tolluntur, *tollitur*. p. 8. lin. pen. nihi, *nihil*. p. 10, 12. compſita, *compita*. l. 25. acchare, *ſaccharo*. p. 14, 8. LAPSIS, leg. LAPIS. p. 16. lin. pen. barboros, *barbaros*. p. 30, 1. Promotorium, *Promontorium*. l. 3. vocacatum, *vocatum*. p. 35, 18. ſpa. *id delere oportet*. p. 74, 2. ſuo, *ſui*. p. 91. l. antip. Pitoſi, *Potoſi*.

LOCVLAMENTVM III.

Pars I.

Pag. 5. lin. 1. catachysmo, *legendum*, cataclysmo. l. 25. ſtnt, *ſint*. p. 6, 1. inceſti, *inceſti*. p. 10, 25. eus, *ejus*. p. 27, 29. Ethicorum, *Ethnicorum*. p. 31, 16. Eam, *Eum*. p. 73, 10. uxorem, *adde*,

Progne. p. 78, lin. antipen abſcindir, *abſcindit.* p. 79, 2. alicton, *aliæton.* p. 92, 22. accepit, *accepit.* p. 96, 13. Laomedone, *Laomedonte.* p. 107. l. 18. 364, leg. 365. p. 115, 5. Theſſaliæ, *Elidis.* p. 121. l antipenul. nativitate, *adde* ante. p. 216, 10. 130, *leg.* 930. lin. 21. XXIX. 29. *leg.* XXVII. 15. p. 220, 12. 230. *leg.* 130. p. 226, 10 ab, *ob.* p. 231, 25. Semum, Japhetum, & Chamum. *leg. Semum, Chamum, & Japhetum.* p. 237, 16. VII. *leg.* VI. p. 253, 8. anteluviano, *antediluviano.* p. 254, 10. voluisſſe, *voluiſſe.* p. 261, 2. Gebabbein / Gebabbel. p. 285, 12. X. *leg.* XX. p. 291, 5. amplius, *adde* millium. p. 302, 11. fere, *vere.* p. 305. 174. *leg.* 175. p. 307 28. 42 *leg* 40. p. 308, 9. & 23. XXVII. *leg.* XXVIII. p. 320, 2. clementur, *clementer.* p. 331, 24. Joſephi, *leg* Eſavi. p. 339, 25. uterauin. *uterum.* p. 378, 27. immitationem, *imitationem.* p. 394, 22. infantibus, *infamantibus.* p. 404, 29. tione, *ne.* p. 438, 24. Socius, *Socios.* p. 443, 25. Iſmaëlitæ, *Iſraëlitæ.* p. 447, 10. devaſtam, *devaſtatam.* p. 483. lin. ult. unum, *adde*, divertit. p. 490, 11. transderet, *transdaret.* p. 498, 30. tenes, *tenues.* p. 499, 9. præbe, *præbet.* p. 502. lin. pen. marrationem accipiſſe, *narrationem accepiſſe.* p. 503, 25. vacinium, *vaticinium.* p. 509, 25. dimicant, *dimicat.* p. 510, 26. fuit, *adde*, Conjux. p. 517, 14. Joſuam, *Joaſum.* p. 522, 22. eſſe, *eſſet.* p. 586, 18. tempora, *adde*, aut aliquanto poſt. p. 595, l. ult. inſcripto, *inſcriptio.* p. 605 6. Moſſam, *Atoſſam.* p. 611, 15. communicetus, *communicatus.* p. 617, 22.

22. Nemon, *Nemea*. p. 623, 27. execrabii, *execrabili*. p. 624. l. 10. celebrandum. *Dememini poſt iſta ſubjicere Traditiones Judæorum, quas circa Ahasverum & Eſtherem tenent, vetuſtiſſimas illas, ita ut pleræque earum, in Gemara Megilla etiam legantur. Non igitur negligi debent, ſed, quamvis ſero, memorandæ.* In Perſarum conviviis more receptum erat, ut quisque, eorum, qui una epulabantur, hoſpitum, pro ſeſe, vel cum præſenti vitæ periculo, evacuare cogeretur trullam vini grandem, XL. congios complectentem. Ea trulla, patrio ſermone *Puska* vocabatur. At Ahasverus, noluit ut convivio apparatiſſimo, quo Satrapas & Provinciarum Præſides omnes excipiebat, *Puska* inferretur, ſed cuique liberam relinquebat poteſtatem bibendiquantum vellet: unde & diſerte in libro Eſtheris c. 1, 8. ſcriptum eſt: *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum.*

Dum convivæ Optimates lætitiæ indulgent, quisque, ceu fit, formam & ingentem ſpeciem conjugis ſuæ jactare cœpit. At Ahasverus, tacete vos, inquiebat, nulla conjugum veſtrarum digna eſt, ut ulla ratione cum mea in comparationem pulchritudinis veniat: atque, quo agnoſcatis, nihil a vero alienum me prædicare, & ne vos ea excuſatione utamini, *Vaſthi* Reginæ, regium cultum, non corporis decus, venuſtatem ac gratiam conciliare, ſaxo ego, ut nudam contemplemini. Ergo jubet, ut Regina ſine veſte, tantum capite coronam geſtans, ſe ſiſtat, ſpectandamque præbeat. Noluit illa morem gerere, nam Gabriel Angelus effecerat, ut pſoræ aliquid in corpore prognaſceretur, vel, quod ab aliis proditum eſt, illi annexuerat caudam.

(*) 5 Mar-

Mardochæus, Eſtherem infantem, matre orbam, ſuis uberibus aluit: abhorrebat enim a nutricibus, volentibus præbere mammam.

Bagathan & *Thares*, duo cubicularii Regii, conjurabant in necem Ahasveri, quia poſt ductam ab illo novam Conjugem Eſtherem, quam ardebat, ſemper ad cubiculum præſto eſſe, & noctes inſomnes ducere cogebantur. Illorum facinus quod fuerant medidati, Mardochæus prodidit.

Recuſabat Mardochæus Hamanem corporis flexione honorare, nam habebat ille *gemmam*, in idoli alicujus formam effictam, appenſam e collo.

Sorte Haman explorare voluit, quis maxime menſis Judæis infauſtus eſſet, firmiter perſuaſus, ſic eventurum, ut tali menſe eam gentem funditus delere poſſet. Exiit, quod omni expetierat voto, *Menſis Adar*, quo Moſen vita functum eſſe noverat. Ergo lætus, proſperum eventum ſibi pollicebatur, certo perſuaſus, haud alio menſe Judæos magis calamitatibus eſſe expoſitos. Sed neſciebat homo nequam, eodem menſe Adar, Moſen quoque in lucem fuiſſe editum, atque ſic menſem hunc, Judæis felicem juxta atque infelicem eſſe. Ab illa ſortitione, manſit perpetim feſto, quo Judæi memoriam annuam libertatis ac ſalutis quæ per Eſtherem illis obtigit, recolunt, *Purim* nomen, *Pur* enim Perſis ſortem ſignificat. Atque hoc feſtum, nullo unquam tempore abrogabitur, ne ſub Meſſiæ quidem adventum, quo cæteroqui Feſtis antiquis omnibus, ſuus finis imminet.

Cum Haman, Mardochæum, ex Regis Ahasveri juſſu ſummis honoribus exornandum, adiret, reperit eum Legis Divinæ ſtudio intentum. Ibi, poſtquam enarraſſet Haman, cujus rei gratia veniſſet, hem, ait

ait Mardochæus, neutiquam convenit, ut ſordidus & ſordidatus ego, regalibus veſtibus me induam, prius igitur neceſſe eſt in balneo corpus abluere. In hoc euntem, proſequi debuit Haman, quin & ipſum ibi defricare, & liberare a ſqualida immunditie. Poſtea, cum Mardochæo purpura induto ; equum regium conſcendere volenti, ſcabellum deficeret, cogebaturHaman dorſum illi calcandum præbere. Dehinc, dum Mardochæus magna pompa obequitans, Hamanis ædes prætervehitur, comitante illum Hamane pro ſtratore, mox filia Hamanis per feneſtram proſpectans, penitus perſuaſa, parentem ſuum equo vehi, & Mardochæo uti miniſtratore, laſanum, non nominandis ſordibus ac immunditie plenum, in Hamanem conjicit. Animadverſo autem, cum hic ad eam reſpexiſſet, errore, e feneſtra ſe præcipitem dat, &, quaſſato capite, animam efflat.

Libellus Eſther, qui pro divino colitur, Eſtherem & Mardochæum habet autores. Noluere autem illi, ullam unquam in eo divini nominis facere expreſſionem, ne Perſæ olim, vero veri Dei nomine eraſo, Deaſtri ſui profanum maleque ominatum nomen ſubſtituerent.

p. 624. l. 27. apidibus, *lapidibus.* p. 626, 10. exilium, *auxilium.* p. 629, 17. quo, *delendum.* p. 651, 3. ille, *illi.* p. 665, 22. intervalum, *intervallum.* p. 671, 13. Græce, *adde* loqui. p. 672, 21. Facinus, *Ficinus.* p. 673. l. antip. or- *vo-* p. 687, 1. Parmento, *Parmenio.* l. 18. temulantia, *temulentia.* p. 698, 17. Græciæ, *Græcia.* p. 699, 21. cæſus, *adde*, ipſeque. p. 711, 6. habenter, *habentur.* p. 716, 30. rugumq;, *frugumq;.* p. 724, 16. Græcicis, *Græcis.* p. 741. l. pen. magumq;, *magnumq;.* p. 747, 2. Præcipium, *Præcipuum.*

p. 771,

p. 771, 22. Pamphiliæ, *Pamphyliæ*. p. 780, 6. Florius, *Florus*. p. 785, 14. auxilio, *exilio*. p. 792, 12. Rex, *adde*, Mithridates.

Pars II.

Pag. 18, lin. 25. at, *legendum* autem. p. 28, 1. Liberatorum, *Libertorum*. p. 33, 1. laudavit, *deleri debet hæc vox*. p. 64, 16. dinde, *deinde*. p. 67, 20. hominum, *hominem*. p. 80, 14. Medolani, *Mediolani*. p. 108, 28. Johannes, *Johannis*. p. 147, 15. Linis, *Lini*. p. 155, 6. Bibliothacarius, *Bibliothecarius*. p. 158, 6. Judærum, *Judæorum*. p. 184, 16. Quintilianæ, *Quintilianæ*. p. 190, 30. Publicus, *Publius*. p. 203, 3. omniibus, *omnibus*. p. 222, 20. Ditius, *Didius*. p. 254, 8. Hadrani, *Hadriani*. p. 269, 18. Zonarum, *Zonaram*. p. 298, 23. haberent, *haberet*. p. 302, 10. oppipara, *opipara*. p. 308, 11. prio, *priore*. p. 311, 23. dedicationem, *dedicationem*. p. 344, 4. exiſtimaverim legendum. *Cum hanc conjecturam, poſt iſta ſic excuſa, ad Illuſtrem Virũ* Gisbertum Cuperum *attuliſſem, docuit is me, quod palam gratus agnoſco, ei locum concedi non poſſe, liberavitque me errore. Reſcripſit enim:* Lactantium, & notas meas te legiſſe, lætor ſerium in modum, nec dubito, quin multa reſtent in aureo libello elucidanda & emendanda, dignaque certe res eſt, ad quam te applices & accingas. Sed tamen, pace quod dictum ſit tua, non mutarem p. 162. *callum ſolorum*, in *callum ſolearum*; nam, *ſolum* ſignificat imum pedem, vel pedis plantam, qua terram tangimus, nudis pedibus ambulantes: Lucret. lib. 1.

Avia

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo:

& Lactantius, ut alias ſæpe, imitatur Ciceronem, qui lib. 5. Tuſc. Quæſt. ſimiliter plane locutus eſt: *Mihi amictus eſt Scythicum tegmen, calceamentum ſolorum callum.* At contra, *ſolea*, eſt genus calceamenti: notum eſt: *ſolea puer objurgabere rubra.* Inde apud Ciceronem in Verr. *ſoleatus*, qui ejusmodi calceis utitur. Feſtus, *ſoleam*, a *ſolo pedis* derivat, & ita voces illas apertiſſime diſtinguit; & apud Suetonium occurrit, *ſoleæ mularum argenteæ.* Recte igitur Lactantius memorat, callum ſolorum contractum igni, ab oſſibus revulſum fuiſſe; nam, nudis Martyrum pedibus ignis ſubjiciebatur.

p. 380, 22. cœo, *cœlo.* p. 387, 9. fuerere, *fuere.* p. 409, 16. periit, *peperit.* p. 411, 3. Honorius, *Arcadius.* p. 419, 4. peruit, *pertimuit.* p. 439, 1. Phyſico, *Phyſicos.* p. 444. auferenda eſt tota prima linea, & conſtituenda paginæ 446. initium.

Pars III.

Pag. 22. lin 12. amplexatam, *legendum*, amplexatum. p. 30, 28. ſeptro, *ſceptro.* p. 63. l. pen. EL. *leg.* FL. p. 70, 9. Sabianus, *Sabinianus.* p. 114, 23. ſuſcepiſſit, *ſuſcepiſſet.* p. 131, 3. Anſtaſius, *Anaſtaſius.* p. 133, 19. Anaſtaſiji, *Anaſtaſii.* p. 136, 23. diacano, *diacono.* p. 138. l. pen. Germanica, *Germania.* p. 140. l. ult. obet, *obe-.* p. 205, l. antip. pondrebat, *ponderabat.* p. 216, 14. mpudica, *impudica.* p. 256, 7. Imperatori, *Imperatoris.* l. ult. tos, *tes.* p. 265, 20. Saracenſis, *Saracenis.* p. 278, 23. ſupereat, *ſupererat.* p. 291, 8 Co-

8. Coronum, *Coronam.* p. 298, 2. IV. leg. VI. p. 328, 6. VIII. leg. VII. p. 345, 5. qum, *quam.* p. 355, 13. Conſiliarus, *Conſiliarius.* p. 396, 5. omnia, *omina.* p. 397, 29. Ordinicus, *Ordinibus.* p. 429, 28. prope, *propere.* p. 454. l. pen. coëgt, *coëgit.* p. 466, 10. Maxilianum, *Maximilianum.* p. 504. l. ult. eſte, *teſte.* p. 506, 4. dolorum, *dolorem.* p. 533, 10. ſuſpicatur, *ſuſpicantur.* p. 550. l. pen. n, *in.* l. ult. ntroduxiſſet, *introduxiſſet.* p. 551, 129. Imperatorum, *adde* dandum. p. 575, 6. Gulilielmum, *Guilielmum.* p. 577. delenda prima linea. p. 586. l. antip. Prodi, *Probi.* p. 611. 21. Qæu, *Quæ.* p. 616, 8. Nobili, *Nobile.* p. 635. l. pen. Redemtorum, *Redemtorem.* p. 670, 14. defuit, *adde*, Henricus. p. 743. l. ult. porticum, *poſticum.* p. 768. l. pen. 1924. *leg.* 1624. p. 769, 11. Tomo, *Tomos.* p. 790, 3. ושכנתו *leg.* ושכנתי lin. ult. pile, *pilei.* p. 830, 14. citro, *citra.* p. 846, pen. Garſias, *Garſias.*

LOCVLAMENTVM IV.

Pag. 60. lin. 14. E. Q. Bipes. *Legendum* E. O. Bipes. p. 109, 9 termini, *terminorum.* p. 281, 15. alium, *altum.* p. 320, 12. proveninnt, *proveniunt.* p. 228, 23. ſangnine, *ſanguine.* p. 331, 10. Simulares, *Similares.* p. 335, 23. VII, *ſpinam.* p. 339, 25. tibæ, *tibiæ.* p. 342, 18. retentioni, *expulſioni.* p. 343, 20. minor, *major.* p. 348, 25. lateta, *latera.* p. 351, 16. denſa, *ſolida.* l. 24. interno, *externo.* p. 354. l. antip, Strenum, *Sternum.* p. 356, 9. a corde, *ab ipſo.* p. 359, 21. Menſenterium, *Meſenterium.* p. 365, 20.

20. majus, *minus*. l. 21. minus, *majus*. p. 369, 4. eſſe, *eſſet*. p. 373, 1. Temparamentum, *Temperamentum*. p. 374, 20. Calor, *Frigus*. p. 387, 14. novum, *delenda hæc vox*. p. 401, 6. tictum, *dictum*. p. 402, 7. nubecula ineſt, *nubecula nulla ineſt*. l. 10. ſebrem, *febrem*. p. 403, 10. arena, *urina*. l. 12. arena *urina*. p. 410, 26. puro, *impuro*. p. 416, 7. Macula, *Maculæ*. l. 22. ſiccitarem, *ſiccitatem*. p. 459, 22. ſenſusque, *ſenſuq;*. p. 487, 21. animadvertentum, *animadvertentem*. p. 495, 1. patet, *putet*. p. 504, 7. Ægyſthus, *Ægiſthus*. l. 17. remedinm, *remedium*. p. 519, 20. Avaritia, *addenda huic voci diſtinctio*. p. 540, 25. habentia, *addendum deinde*, quæ. p. 563, 22. fiagellatur, *flagellatur*. p. 577, 17. utile, *utilis*. l. 18. ſalutare, *ſalutaris*. p. 587. l. antip. quantnm, *quantum*. p. 593, 21. reſiſtit, *reſiſtit*. p. 651, 23. cundem, *eundem*. p. 663, 14. magnitudine, *magnitudini*.

LOCVLAMENTVM V.

Pag. 24. lin. antip. eujs, legendum, *ejus*. p. 36, 26. coſanguinei, *conſanguinei*. p. 60, 19. quædem, *quædam*. p. 105, 15. Capones, *Caupones*. p. 149, 20. ii, *eæ*. p. 247, l. pen. expediandas, expediendas. p. 273, 27. Cſtello, *Caſtello*. p. 281, 10. periit, *petiit*. p. 287, 1. creditoſis, *creditoris*. p. 393, 15. quia, *quin*. p. 444, 25. matrimonii, *adde*, a muliere. l. 29. prædictam, *adjectam*. l. 30. habet, *adde*, ſi nuptiæ fuerint ſecutæ. p. 492. Id, *Idem*. p. 583, 19. iis, *ii*. p. 612, 21. transmituntur, *transmittuntur*. p. 616, 21. vioos, *vicos*. p. 617, 18. vicans, *vicanis*. p. 667. l. antip.

l. antip. 754. ,leg. 574. p. 679. 27. Reges, *Leges*. p. 714, 5. uſu, *auſu*. p. 716. lin. ult. adde mnemonicum POLEA p. 735, 16. Archiepiſcopum, *Archidiaconum*. p. 738, 6. manarunt. *Adde mnemonicum*: B. BAFius. l. 10. Carmelitæ. adde, & *quorum mnemonicum eſt* C. FADius. p. 752, 20. conferebantur, *conferebatur*. p. 843, 2. Quia dmittuntur, *Qui admittuntur*. p. 844, 14. præſtitum, *præſtitutum*. p. 929, 16. Planetam. *Adſcribi poteſt in margine mnemonicum ſacrarum veſtium*: AMantes, ALBAs MANus STudent habere, PLANasque. p. 938, 11. pædicta, *prædicta*. p. 906, 18. Nigro: adde, *pro quorum mnemonico valet*: A N V R V mea hæc accepi. p. 966, 17. benedicta. *Inſerendæ hic benedictiones, quæ celebrantur, aliæ*: **Benedictio Faſciarum.** Domine Deus Omnipotens, qui Chriſtum Infantem in præſepi jacentem faſciis involvi voluiſti, ut faſciæ omnium infantum benedicerentur; ſic etiam ſancti ✠ ficare, bene ✠ dicere conſe ✠ crareque digneris has faſcias, & linteamina iſta, in uſum N. N. ad corpus ejus ab omni malo defendendum, per, & propter Filium tuum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui tecum &c. **Benedictio Enſis novi accingendi:** Exaudi Domine, quæſumus, preces noſtras, & hunc enſem, quo hic famulus tuus N. ſe circumcingi deſiderat, majeſtatis tuæ dextera benedicere dignare, quatenus defenſio atque protectio poſſit eſſe Eccleſiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo ſervientium, contra paganorum ſævitiam; aliiſque inſidiantibus ſit pavor & terror, per & propter Filium &c. *Super accingendo*: Famulum tuum N. quæſumus, Domine, pietatis tuæ cuſtodia

dia muniat, & hunc enſem, quem, te inſpirante, deſiderat ſuſcipere, juvante, illæſum cuſtodiat: per eundem &c. *Super Enſe:* Bene ✠ dic Domine Sancte Pater Omnipotens, per invocationem nominis tui, & per adventum Filii tui, Domini noſtri Jeſu Chriſti, atque per donum Spiritus Paracliti, hunc enſem, ut is, qui hodie tua pietate eo præcingitur, viſibiles inimicos ſub pedibus conculcet, & victoria per omnia potitus ſemper maneat illæſus, per eundem &c. *Tunc accingat eum Sacerdos gladio, dicens:* Accingere gladio tuo, ſuper femur tuum, potentiſſime. *Oremus:* Omnipotens ſempiterne DEUS, qui famulum tuum N. eminenti mucrone circumcingi juſſiſti, fac illum contra adverſa omnia, ita cœleſtibus armari præſidiis, quo nullis hic & in ævum tempeſtatibus bellorum turbetur: per eundem &c. *Benedictio ad dandum Capſellas & Fuſtes.* Domine Jeſu Chriſte, mundi Redemtor, te ſupplici devotione depoſcimus, ut digneris has Capſellas, & hos Fuſtes, benedicere, quatenus hi, qui illos in peregrinationis, & ad ſuorum corporum ſuſtentationem ſunt recepturi, tuæ cœleſtis gratiæ recipiant plenitudinem, ut in eis munimen tuæ benedictionis percipere poſſint, ut quemadmodum virga Aaron in templo Domini florens, a rebellium Judæorum numero ipſius ſtirpem rite ſejunxit, ita & hos, ſignaculo S. Petri adornandos, ab omnibus peccatis abſolvas, quo, in die judicii, ab impiis ſeparati, in dextra ſint parte coronandi, per &c. *Hic ſumantur:* Accipite has capſellas, & hos fuſtes, & pergite ad limina Apoſtolorum, ſive aliorum Sanctorum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut per interceſſionem Beatæ Dei Genitricis

Mariæ, & omnium Sanctorum, mereamini in hoc ſeculo accipere remiſſionem omnium peccatorum, & in futuro omnium conſortium Beatorum. *Oremus:* Deus, qui diligentibus te, bona, & miſericordiam tuam ſemper impendis, & a ſervientibus tibi in nulla regione es longinquus, dirige viam famulorum famularumque tuarum, ut te protectore, te duce, per juſtitiæ ſemitas ſine offenſione gradiantur, per &c. *Oremus:* Omnipotens ſempiterne Deus, humani generis auctor & reformator, qui Abrahæ puero tuo, ut iret de terra nativitatis ſuæ, & veniret in terram repromiſſionis, quam ei te daturum eſſe promiſeras, præcepiſti, nec non & populum Iſraëliticum te in deſertum ad adorandum multis prodigiis venire feciſti, hos, ad Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, vel aliorum Sanctorum tuorum limina te adorare pergentes, a periculis omnibus eruas, & a peccatorum ſuorum nexibus ſolvas, & tu, qui es vera vita, in te confidentibus, eorum iter bene diſpone, ut inter omnes hujus ſeculi perturbationes, tuo defendantur ab omni adverſitate juvamine. Mitte eis, Domine, Angelum tuum, quem Tobiæ famulo tuo comitem dediſti, ut ubicunque manſerint, ſit illis defenſor contra inſidias omnium inimicorum viſibilium & inviſibilium, quatenus læti & incolumes ad nos iterum redire valeant, per &c. *Pro redeuntibus de via.* Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. *Oremus.* Omnipotens ſempiterne Deus, noſtrorum temporum vitæque diſpoſitor, famulis tuis continuæ tranquillitatis largire ſubſidium, ut, quos incolumes propriis laboribus (*fortaſſe* laribus) reddidiſti, tua facias pietate ſecuros, per &c. *Oremus.* Miſerere Domine his famulis & famulabus

tuis,

tuis, & quicquid, eis in via ſubripuit viſus vel auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis, totum ineffabili pietate tua deleas & abſtergas, &c.

Pag. 1088, 17. cœptandis, *cooptandis*. p. 1100, 15. allorum, *aliorum*. p. 1101, 25. crearuntur, *crearentur*. p. 1135, poſt lin. 25. *excidit, quod in ſcheda ſcriptum erat, cujus facienda reſtitutio.*

Sic habet formula Anathematis prout illam A. 1615. Vlyſſipone edidit, & Commentario illuſtravit, Fr. Antonius de Souſa, ex Prædicatorum familia, Sacræ Theologiæ Præſentatus, ejusdemque in Vniverſitate S. Dominici Vlyſſiponenſis primarius Profeſſor: *nec exiſtimaverim, ab illo tempore aliquid ejus hactenus fuiſſe immutatum. Obſervat Souſa, olim Pontifices, annuatim ter, in Eccleſiæ Romanæ haud morigeros excommunicatione animadvertiſſe, in Die Jovis nimirum Sancto, Die Aſcenſionis, & in Feſto Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum: poſtea autem obtinuiſſe, ut in año tantum ſemel, ſed ampliore longe, quam prius, formula, Cenſuræ Eccleſiaſticæ fieret promulgatio, cujus rei initium ad tempora Gregorii X I. ſive annum 1370. ipſe refert. Patet autem, ex* Bullæ Cœnæ *(ſic enim vulgo vocatur excommunicationis ſententia feralis) tenore, nimis falſum eſſe quod vulgo creditur, Papam, die Cœnæ Dominicæ, Columniorum illuſtrem familiam, quia ea orti, aliquando Pontificem quendam in vinculis detinuerint; itemque Hiſpaniarum Regem, ob interverſum, & in ſe translatum Siciliæ Regnum, excommunicatione nominatim ferire, ſed tamen utrosque, mox iterum ab anathemate abſolvere, etſi, hoc ita fieri, multi in media Italia, & adeo Romæ, pro vero certoq; tenent. Neq; id valde mirum. In præcelſa enim & editiſſima pergula conſtitutus eſt Pontifex, nec,*

nec, ex infinitia hominum, qui ſubtus in area Vaticani congregati ſunt, multitudine, vel unus ſolus, verba, excommunicationem recitantis Cardinalis, exaudit. Non igitur, vitio vertendum Joh. Theodoro Sprengero, Germanæ nationis, *quod, in peregrinatione, ab Italis ſibi paſſus eſt dari verba, ſeq; ſeduci, ut ſcriberet deinde in libelli cui* Nova Roma *nomen fecit p. 119.* Die Jovis ſacro excommunicat Papa omnes Hæreticos & Piratas, ejecta ex porticu benedictionis ardente facula. Rex Hiſpaniæ, tum etiam fulmine eccleſiaſtico, antiquo more, percutitur, ſed ſtatim rurſus abſolvitur, & in gratiam recipitur. *Credo, ſi nullum aliud, hoc certe multo maximum, Analecta iſta congerendo, referrem operæ pretium, ne quis tam turpiter imponi ſibi patiatur, atq; tale quid Romæ fieri, tum ſibi, tum deinde aliis perſuadeat.*

Maledictione & Benedictione peractis, ad aliam ceremoniam ſolemnem peragendam ſeſe accingit Pontifex, qua ſuis ipſe manibus XIII. DELECTORVM PEDES AQVA ABLVIT. Olim, ſine diſcrimine, ex omni hominum genere capi poterant hoc honore mactandi, modo tenuis eſſent conditionis, & opibus ac fortuna deſtituti. Sed nunc ſoli Sacerdotes admittuntur. Igitur Pontifex, in Aula Ducali, poſitis pretioſis veſtibus, dum interim Cantores Antiphonam, *Mandatum novum &c.* præcinunt XIII. pauperibus Clericis pedes lavat, quem, in ea re, pelvim, gutturnium, & mantilia (cuiq; enim ex iis qui lavantur tergendo, peculiare & proprium mantile exhibetur) miniſtrando, Cardinales aſſiſtentes, & Legati Regii adjuvant: Pontifex enim, tantum aquam, quæ ab alio affunditur, ſummis digitis dextræ manus, ſuper pedibus leviter diſpergit, ita ut pedes ipſos, vix contrectet. Diſtribuuntur deinde inter illos qui loti fuere, a Theſaurario, numi aurei & argentei, & mox in Aulam, in qua convivium iis paratum eſt, deducti, menſæ ibi accumbunt, & non tantum opipare ac apparate, edunt & bibunt, ſed & Pontifex primum ferculum apponit, quod vero reſtat Menſalis officii, a Cardinalibus & Legatis peragitur.

* * *

LOCVLAMEN-
TVM PRIMVM.

Inſunt:

De Particulis Latini Sermonis Excerpta.
Excerpta e Phædri Fabulis.
Excerpta e Q. Curtii Hiſtoriarum Libris.
Excerpta e Plinii Secundi Epiſtolis.
Excerpta Ciceroniana.
Gnomæ illuſtres Veterum Sapientum.
Præcepta Artis Rhetoricæ.
Præcepta de Poëſi Germanica.
Præcepta de Poëſi Latina.
Præcepta de Copia Verborum.
De Stylo Præcepta.

EAdem mea cura fuit, quæ omnium Liberos ſtudiis literarum conſecrantium, apud nos eſſe ſolet, nimirum, ut Filium mature, & a teneris unguiculis, Latini ſermonis notitia, prout ætas ferebat, imbuerem. Requirunt hoc laborum exordium a nobis Germanis, Leges publicæ, & adeo ipſa ineluctabilis neceſſitas. Cum enim omnes Liberales Artes, & quicquid eſt ſuperiorum Scientiarum, haud aliter, hic gentium, quam Latinis verbis tradantur, exponantur, addiſcantur; non poſſunt ad eruditionem ullam vel adſpirare tantum, non dicam pertingere, qui ejus linguæ cognitione deſtituuntur. Ergo rebus cæteris quibuscunque miſſis, non tantum primæ, ſed & magnam partem proximæ ætatis, Latina lingua occupat. Proh! quam felices hac in parte præ nobis ſunt, Itala, ac imprimis Gallica nationes, apud quas, amœniorem doctrinam, ipſamque ſolidam & robuſtam divinarum & humanarum rerum Sapientiam, ſine ullo Latinæ linguæ adminiculo, patrio & vernaculo ſermone imbibere, mos & conſuetu-

tudo ferunt. Dum ergo iſti, tempus, quod nos miſeri, peregrinæ, multumque difficili linguæ, unice impendere cogimur, lucriſaciunt, jam infantes ſtatim eorum naſum rhinocerotis habent, & ſapere audent, incipiunt, cum noſtri pueri, adoleſcentesque, voces per caſus & perſonas varie flectendo, ſeſe macerant, mentemque rebus, quibus ne hilum quidem dulcedinis, gratiæ, aut leporis ineſt, addiſcendis, excarnificant. Poſſent tamen, ſi recte putemus, ſaltem Geographia, & univerſa vetus ac nova Hiſtoria, æque bene vernacula noſtra lingua, ac apud Gallos aut Italos ſuo ſit idiomate, tradi pueris, & hac ſuavitudine, Grammatices auſteritates leniri, modo ſint, qui operam ſumere velint, aut queant. Mihi certe in Filio, addere liceat & Filiam (neque enim Virtus & Eruditio ſexum eligunt, & fas eſt ſine dubio fœminis quoq; , præcepto, quod cœlo delapſum, monitis, in ſeſe deſcendere, ac ſupremi inſuper Numinis bonitatem & providentiam, quibus mundum hunc inde a ſuis incunabulis asſidue gubernavit, & in omne volubile ævum ſuſtentat, quæ omnis doctrinæ prora & puppis eſt, ſuſpicere) non infeliciter ſuccesſit negotium: nec piguit nonnullos, qui inter Illuſtres Viros eminent, & in veneratione populorum ſunt, conſilio meo morem gesſiſſe. Cæterum,

ob-

obſervavi peregrinando, præter illam, quam dixi calamitatem, aliud inſuper malum Germanos adoleſcentes manere, atrox pariter, & deplorandum. Nempe, multi ex noſtris, qui in lingua Latina diſcenda, annos complures, & pæne vitam trivere ſuam, cum ad aliquid latine ſcribendum animum appellunt, ægre Gallorum Italorumque juvenum, cum hi Latino ſermoni ſeſe aliquantisper dant, puritatem adæquant, ſtyloque præ iis utuntur incultiore, cum tamen iſtos, non tantopere hoc ſtudium ſolicitet, occupetque. Ejus rei cauſas perveſtiganti mihi, deprehendi primo, majorem diligentiam, ad ſua meditata literis conſignanda, Gallos Italosque afferre, noſtri quam faciunt, qui feſtinanter & raptim, Latina uti loquuntur, ſic ſcribunt quoque, verborum incurioſi. At, exteri aliquid exaraturi, receſſum quærunt, otiumque. Nec deſunt inter hos, qui vel Epiſtolam Latinam edere volentes, prius vernaculo ſermone eandem concipiant, atque ſic demum in Latii loquelam convertant. Certe, fuere in Gallia, qui, etiam viris provectæ ætatis, hanc conſuetudinem manere, mihi aſſeverarunt, addentes, ipſum Bodinum non aliter ſe geſſiſſe, & ſex illos claros de Republica libros, prius Gallice ab eo, quam Latine fuiſſe expreſſos. Porro, Galli

 Itali-

Italique juvenes, ſimul ac quid ſcripſere, nullum emendandi genus omittunt, ſed, quod efformarunt, diu ſecum ipſi pertractant, deinde aliis legendum & corrigendum exhibent. Noſtri, omnem vim Latini eloquii ſe poſſidere arbitrantur, neminem conſultant, neminem verentur, atque ipſi ſibi ſunt loquendi norma. Noviſſime, multum hoc confert Gallis Italiſque ad dictionis elegantiam, quod nec Latine inter ſe colloquuntur, nec alios ſermocinantes facile audiunt. Quod igitur tenent Latinitatis, ex ſola lectione Claſſicorum Autorum ſibi pararunt, cui nihil utiq; fœdæ labis ac peregrinitatis ineſſe poteſt. Apud noſtros contra, latine garrire ſeculum vocatur. Infantes ſtatim docentur latinas expreſſiones conari; pueris, plerunque ſevera lege interdictum eſt, ne domi, ne in ſchola, ne inter congerrones, verbum ullum niſi Latinum proferant. Hinc jam fit, ut quicquid in buccam venit egerendo, multaſque ſemper voces, quas non audiviſſe ſatius foret, audiendo, non eloquentiæ Latinæ, ſed ſolius loquentiæ habitum, imprudentes contrahant. Et vero, magnum ex iſta Latine loquendi aſſuetudine familiari, juvenes noſtros detrimentum capere, pridem ante nos indicarunt Viri cordati, atque in his, Latinæ facundiæ vindex, Gerardus Johannes Voſſius, in præfatione, quam libris

bris de Vitiis ſermonis, & gloſſematis Latino-barbaris præmiſit. Cum enim ſapienter monuiſſet, obſtare juvenum profectibus, quod ſubinde ſtudiorum præfectos accipiunt, qui ſæpius Latinas literas, tanquam canis Nilum, tantum deguſtarunt, ac docendi alios provinciam ſuſcipiunt, antequam didicerunt: addit deinde: Quanquam aliud etiam eſt, quo gliſcat hoc malum: videlicet, quotidianus Latini ſermonis uſus cum iis, quibus ſtudia literarum non maturuerunt. Nam, aſſidue tales audiendo, ſimili adſueſcimus ſermoni: ipſi perperam loquentes, perperam diſcimus ſcribere. Vt mihi propemodum cauſam ſuam probent, qui arbitrantur, Latine loquendi morem, qualis quidem obtinet vulgo, non minus officere linguæ caſtimoniæ, quam prodeſſe. *Quamobrem, ratum hoc eſto, eos qui aut magiſtros ad Latinam Linguam nanciſcuntur improbos, aut inter illos multum verſantur, qui, quantum æra lupinis, puritas & barbaries diſtent, ignorant, non magis bene loqui poſſe, quam ſuaviter olere, qui in culina habitant. Iſta, aliaque, cum recta via mecum penſitarem, damnavi ſemper illorum inſtitutum, qui adverſus Satyrici dehortationem, eloquentiam, qua nihil majus eſſe confitendum, induunt pueris adhuc naſcentibus, prohi-*

buique filium, etiam grandiuſculum, Latine cum ſorore, præceptoribus, aut alio quoquam nugari. Attamen Grammatices præceptis, & lectione librorum optimorum animum ejus ſubegi, ex his, optima quæque excerpſi, & cætera, quibus Latini ſermonis cultus paratur, ſuperaddidi, memoriæ illius tantisper inſigenda & imprimenda, quoad iis, ævi judiciique maturus, uteretur. Ea omnia in hoc Loculamentum congeſſimus.

DE

De
PARTICVLIS
LATINI SERMONIS
EXCERPTA.

Peregrinam aliquam linguam addiſcentibus, nulla res majorem difficultatem & moleſtiam creat, quam Particularum uſus. Scilicet, quæ ad Nomina, Pronomina & Verba, ceu Grammatici vocant, attinent, ſuis fere conſtant regulis, ſervantque plurimum analogiam communem. A particulis, iſta aliena ſunt, & quæq; illarum, peculiarem poſcit doctrinam: idque ceu in linguis reliquis, maxime quoque in Latina obtinet. Hinc tam faciles & ubivis obvii circa Particulas juvenum lapſus, imprimis quia vulgares libelli, quibus Latino idiomati initiantur, nihil quicquam præter illarum Germanicos ſignificatus, ipſos edocent. Proinde, laudabile & publice ſalutare officium præſtitiſſe cenſendus eſt, Horatius Turſellinus, dum Particularum vim, ſcito libro eleganter ac fideliter oſtendit, ſed cujus lectio paſſim negligitur. Enim vero, teſtatus eſt mihi haud ita pridem, pro ſua perpetua erga me indulgentia, familiari ſermone, Flos Seculi noſtri Heroum, quo LEOPOLDUS Cæſar Auguſtus in otio utitur & negotio, quique his publicis Imperii Comitiis aliquandiu Cæſareo nomine cum ſuprema autoritate præfuit, Comes Excellentiſſimus GOTTLIEBIUS WINDISCHGRAZIUS, Præcelſum, omnique præconio dignisſimum JOHANNEM WEICKHARTUM, AVERSBERGIUM PRINCIPEM, illum FERDINANDI III. Imperatoris, ac FERDINANDI IV. Regis Romanorum, ſacrarum Aularum Supremum Præfectum, Sanctique Conſilii Præſidem, in Muſei menſa ſemper Latinum Lexicon, Grammaticam, & Turſellini de Particulis librum, ad manus habuiſſe repoſitos: ſeque idem

idem facere illius exemplo. Neque dixit hoc ſolum, ſed & in τεχνόφυον, ac adeo rem præſentem me deducendo, omnia ita ſe habere, ſtupenti mihi, & oculorum fidem ſolicitanti, oſtendit. O utinam iſta pro concione omnium noſtrorum Adoleſcentum proloqui poßem! e quibus permultis Turſellini liber ne viſus quidem eſt, Grammatica, ſimul ac pulveres Scholaſticos eluctati ſunt, illico ſordeſcere occipit, prorſus ut ad nomen illius nauſeent: quanquam magno ſuo malo. Ego quidem abunde operæ pretium me facere exiſtimavi, ſi e Turſellini libro, breve velut florum corpuſculum, oculis animoque gratum, iisdemque facile ſe inſinuans, efficerem, & memori pectore Filio committerem tractandum. Non autem diſſimulandum, dum iſta nunc recolo, animadvertere me, quod in editionē olim inciderim longe auctiorem, ac illæ ſunt, quæ communiter inter nos extant. Ea, qualis fuerit, proloqui non licet, periit enim mihi ejus memoria, una cum libro. De reliquo, etſi Excerpta hæc, inter Latinitatis adjumenta primo loco ponuntur, non tamen ante cætera, cum arguta ſint, poſſunt addiſci. Nimirum, in collocatione iſta, ordinem naturæ ſervare æquum erat, quo, ſimplices voces, ex iis compoſitas loquendi formulas, antecedunt utique.

A. AB.

Cauſa per quam.] Occidit *a forti*, (ſic Dii voluiſtis,) *Achille. Ovid.*

Cauſa propter quam.] Si caput *a ſole* doleat. *Plin.*

Locus unde.] Pecuniam numeravit *ab ærario. Cic.*

Perſona unde.] *A me* hoc illi dabis. *Cic.* Sumes *a me* quod illi dabis. Id. *A matre* pulli. *Col.* Itaque & teſtamento legat grandem pecuniam *a filio*, *a ſecundo herede* nihil legat. JC.

Pro.] Vt nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam, *a Senatu*, & *a bonorum cauſa* ſteterit. *Cic.*

Poſt.] Centeſima lux eſt hæc *ab interitu* P. Clodii. *Cic.* Cujus *a morte* hic tertius & trigeſimus eſt annus. *Cic.*

Quod vulgo dicitur, De prope.] Nunciatum eſt nobis a M. Varrone, veniſſe eum *a Roma. Cic.* *A theatro* venit. *Cic.*

Cauſa unde res eſt.] Criminabantur multi, eum infeſtiorem agrum *a nobilitate* eſſe, quam *a Volſcis* fuerat. *Cic.*

Quod attinet ad.] Mediocriter *a doctrina* inſtructus, anguſtius etiam *a natura. Cic.* Tum erat *ab Oratoribus* quædam in foro *ſolitudo. Cic.*

Tempus præteritum.] Vetus opinio eſt, jam *usq; ab* heroicis ducta *temporibus. Cic.*

Locus

Locus a quo.] Tam *prope a muris* hoſtem habemus. *Plaut.*

Propter.] *A verecundia* memoriaque meritorum, haud ſecus quam Ducem ſuum attollunt *Liv.*

Præpoſitus muneri.] Libertorum præcipue ſuſpexit Doſidem & Harpocram, & ſuper hos, Polybium *a ſtudiis*: ſed ante hos Narciſſum *ab epiſtolis*, & Pallantem *a rationibus. Suet.*

Contra.] *A quo periculo* defendite, judices, civem fortem. *Cic.*

Domicilium.] *A judice* venio. *Cic.* Sed Myſis *ab ea* egreditur. *Ter.*

Ab, cum liquidis.] *Ab legione: ab Rege.*

Diodoro quid faciam Stoico, quem *a puero* audivi. *Cic.*

A prima ætate me omnis ars, & doctrina liberalis, & maxime Philoſophia delectavit. *Cic.*

Nam, qui *ab adoleſcentulo* quæſtum ſibi inſtituiſſet ſine impendio. *Cic.*

Refero me ad manſuetiores Muſas, quæ me maxime, ſicut *a prima adoleſcentia*, delectaverunt. *Cic.*

A calce ad carceres. *Cic.*

Quæſtor Cn. Papirio Conſule fuiſti *abhinc annis* quatuordecim. *Cic.*

Etenim ſi Cn. Pompejus *abhinc annos* quingentos fuiſſet. *Cic.*

Absque.

Sine.] Quam fortunatus cæteris ſum rebus, *abſque* una hac foret. *Ter.*

Ac, Atque.

Connectendi.] *Ac primo* quidem totius orationis ignari. *Cic.*

Cum

Cum comparatione.] Mihi *quidem* videtur diutius abfuturum ac vellem. *Cic.* *Non* Apollinis *magis* verum, *atque hoc eſt. Cic.*

Auget.] Hoc conſilio, *atque adeo, hac amentia* impulſi. *Cic.*

Narrat.] *Atque ita* captivo lætos imitante triumphos, ingredior curru. *Ovid.*

AD.

Vsque ad.] Si autem in itinere meo ſe oppoſuerit, *ad tempus* conſilium capiam. *Cic.*

Circiter.] Homines *ad quindecim* Curioni aſſenſerunt, nullum SCtum facienti. *Cic.*

Circa.] *Ad quæ tempora* te expectem, facias me certiorem. *Cic.*

Ad uſus.] *Ad templum* monumentumque, pecuniam decrevere. *Cic.*

Apud.] *Ad urbem* cum eſſet, audivit. *Cic.* Pugna navalis *ad Tenedum. Cic.*

Ad perſonam.] Cum Cato contra Sergium Galbam *ad populum* magna contentione dixiſſet. *Cic.*

Quod attinet ad.] Impiger *ad labores*, fortis *ad pericula*; peritus *ad uſum* & diſciplinam, prudens *ad conſilia*, felix *ad caſum* fortunamque. *Cic.*

Ante.] Clodius abjecta toga ſe *ad generi pedes* abjecit. *Cic.* Quis *ad fores*? *Plaut.*

Adverſus.] Niſi deſperatione rerum obduruiſſet animus, *ad dolorem* novum. *Cic.* Mirari licet, quæ ſint animadverſa a Medicis herbarum genera, quæ radicum, *ad morſus* beſtiarum, ad oculorum morbos, *ad vulnera. Cic.*

Poſt.] Neſcio quid interſit, utrum nunc veniam, an *ad decem annos. Cic.*

Secundum.] Omnia *ad voluntatem* loqui, nihil *ad veritatem. Cic.*

Mul-

Multus ſecum *ad multam diem. Cic.*
In loquendo multus & ineptus, *ad ſummam impudentiam. Cic.*
Aſſident, ſubducunt, *ad nummum* convenit. *Cic.*
Aqua multa in ea decoquitur, *ad dimidias. Plin.*
Muſtum quam dulciſſimum decoquitur *ad tertiam*, & decoctum defrutum vocatur. *Col.*
Vt canerent *ad tibiam* clarorum virorum laudes. *Cic.*
Fabellas latinas *ad verbum* de Græcis expreſſas. *Cic.*
Quando illa frumentum quod debebat, *ad diem* non dedit. *Cic.*
Ad ſummam: dic M. Tulli aſſentiar Cn. Pompejo? *Att.*
Poſtea jam gemere, *ad extremum* vero loqui omnes & clamare cœperunt. *Cic.*

ADEO.

Epiphonema.] *Adeo* quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat! *Liv.*
Vero.] Id *adeo ex ipſo* SC. cognoſcite *Cic.*
Imo vero.] *Atque adeo* hoc mihi concedendum eſt magis.
Imo.] Poſco, *atque adeo flagito. Cic.*
Ita. tam.] *Adeone hoſpes* hujus urbis, *adeo ignarus* es, *ut* hæc neſcias? *Cic.*
Tantum abeſt.] *Adeo ipſe non violavit*, ut ſummam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet. *Curt.*

ADHUC.

Tempus præter.] Vnam *adhuc* a te epiſtolam *acceperam. Cic.* Me *adhuc non legiſſe* turpe eſt. *Cic.*
Præterea.] Niſi ſi quid *adhuc forte vultis. Cic.*

AD-

ADMODVM.

Satis. Valde.] Pauci *admodum familiares. Cic.*

Nihil omnino.] Nam plane quidem perfectum, & cui *nihil admodum deſit*, Demoſthenem facile dixeris. *Cic.* Curio literarum *admodum nihil ſciebat. Cic.*

ADVERSVS. ADVERSVM.

Erga.] Pietas & juſtitia *adverſus Deos. Cic.* Adhibenda eſt reverentia quædam *adverſus homines. Cic.*

Contra.] *Adverſus edictum* tuum facere eſſe auſam. *Ter.*

ÆGRE.

Vt ægri ſolent.] *Ægre ferre. Ægre pati.* Tironem ægrum Patris] reliqui, adoleſcentem probum, nihil vidi melius, itaque *careo ægre. Cic.*

Difficulter.] Nam omnis conglutinatio recens *ægre*, inveterata, facile *divellitur. Cic.* Nihil *ægrius factum* eſt multo labore meo, quam ut manus ab illo appellatore abſtinerentur. *Cic.*

ÆQVE.

Abſolute.] Tamen nemo erat, quicum eſſem libentius quam tecum, & pauci quibus cum *æque libenter. Cic.*

Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis *æque ac tu* ipſe gauderet? *Cic.*

Sed me colit & obſervat, *æque atque* illum ipſum Patronum ſuum. *Cic.*

Eosdem labores non eſſe *æque graves* Imperatori *&* militi. *Cic.*

Itaque libentiſſime prædicabo, Cn. Pompejum ſtudio & autoritate, *æque ut* unumquemque veſtrum, pro ſalute mea laboraſſe. *Cic.*

AGE.

AGE.

Adhortantis etiam plures.] *Age nunc* illa videamus Judices, quæ ſtatim conſecuta ſunt. *Cic.*

Tranſitio.] *Age vero*, cæteris in rebus quali ſit temperantia conſiderate. *Cic.*

Disjunctè.] *Age* refer animum *ſis* ad veritatem. *Cic.*

Inſtantis.] *Age porro* tu, qui te tam religioſum exiſtimari voluiſti, cur Tauromitanis frumentum imperaſti? *Cic.*

Concedentis.] *Age ſit* ita factum, cur Romam properabat? *Cic.*

Age ſane inquam. *Cic.*

ALIUS. ALITER.

Alia dicentis *ac* ſignificantis diſſimulatio. *Cic.*

Ignorantes non idem eſſe agriculturam & paſtionem, *alius* enim opilio, & arator. *Cic.*

Et cæteri quidem *alius aliò*, Marius in roſtra recta. *Cic.*

Poteſt enim non ſolum *aliud mihi ac tibi*, ſed mihi ipſi *aliud aliàs* videri. *Cic.*

Bellum ita ſuſcipitur, ut nihil *aliud niſi* pax quæſita videatur. *Cic.*

Rogavit nunquid *aliud* ferret *præter* arcum? *Cic.*

Ne ſim ſalvus, ſi *aliter* ſcribo *ac* ſentio. *Cic.*

De Antonii itineribus, neſcio quid *aliter* audio, *atque* ut ad te ſcribebam. *Cic.*

Quod de puero *aliter* ad te ſcripſit, & ad matrem denuo. *Cic.*

Iteratur eodem caſu.] Dolus malus eſt cum *aliud* dicitur, *aliud* ſimulatur. *Cic.* *Alii* divitias, *alii* honores expetunt. *Aliud* dicis, *aliud* cogitas. *Aliud* eſt virtutis, *aliud* voluptatis pretium. *Aliena* bona, *aliena* fama.

Iteratur diverſo caſu.] Accepi epiſtolas tuas, *aliam alia* jucundiorem. *Cic. Alius alio* gravius de mea ſalute dixit. *Cic.*

Vna res poſt aliam.] *Aliud ex alio* me quotidie impedit. *Cic.*

Aliàs iteratum.] Nemo poteſt *aliàs* beatus eſſe, *aliàs* miſer. *Cic.*

Aliter, abſolutè.] Tu ſi *aliter* exiſtimas, non errabis. *Cic.* Non fuit faciendum *aliter*. *Cic.*

Iteratum.] *Aliter* enim cum Tyranno, *aliter* cum amico vivitur. *Cic.*

ALIQVIS. ALIQVÓT.

Perſona.] Expectabam *aliquem* meorum. *Cic.*

Numerus.] *Aliquot* epiſtolas accepi a te, uno tempore. *Cic.*

Habeo *quem* fugiam, *quem* ſequar, non habeo. *Cic.*

Si *quis quid* reddit, magna habenda gratia eſt. *Cic.*

Quo enim *quis verſutior* & callidior eſt, hoc inviſior & ſuſpectior, detracta opinione probitatis. *Cic.*

Cum *quis invitus* laborem ſuſcipit. *Cic.*

Ne *quam* patiar *injuriam* opera mihi danda eſt. *Cic.*

Niſi *quid aliud* vobis placet. *Cic.*

Sine *cujusquam* opera. Sine *ulla pecunia.*

ALICVBI.

Aliquo in loco.] Si ſalvus ſit Pompejus, & *conſtiterit alicubi. Cic.*

ALICVNDE.

Ab aliquo loco.] Venit meditatus *alicunde ex ſolo loco. Ter.*

ALIVNDE.

Ab alio loco.] Cum tu ipſe, neque per te ſcires, neque audire *aliunde* potuiſſes. *Cic.*

ALIQVOTIES. ALIQVANDO.

Numerus.] *Aliquoties* literas ad ſocios, de hujus injuriis *miſerunt*. *Cic.* *Tem-*

Tempus.] Et te nonnunquam a me alienarunt, & me *aliquando immutarunt* tibi. *Cic.*

Unquam.] Num hæc ex ullo *audiviſti aliquando?* *Cic.*

Tandem.] *Collegi me aliquando*, atque ita conſtitui, fortiter eſſe agendum. *Cic.*

Tandem aliquando Quirites, L. Catilinam urbe ejecimus. *Cic.*

Spes eſt, & hunc infelicem, *aliquando tandem* poſſe conſiſtere. *Cic.*

ALTER.

De duobus.] Quorum *alter* exercitum prodidit, *alter* vendidit. *Cic.*

De pluribus.] *Alteri* dimicant, *alteri* victorem timent. *Cic.*

Secundus.] *Alterum*, *tertium*, quartum, permulta erant ejusmodi nomina. *Cic.*

Venit *unus*, & item *alter*. *Ter.*

Literas accepi tuas, quas mihi Cornificus *altero & viceſimo die*, ut dicebat, reddidit. *Cic.*

Non vides Solem Deum eſſe, Lunamq;, quorum *alterum* Apollinem Græci, *alteram Dianam* putant. *Cic.*

Etiamſi *alterum tantum* perdendum ſit. *Plaut.*

Ut neceſſe ſit partem pedis, aut æqualem eſſe alteri parti, aut *altero tanto*, aut ſesqui eſſe majorem. *Cic.*

ALTERUTER. ALTERNUS.

Non eſt tuæ dignitatis atque fidei, *ut contra alterutrum*, cum utrique ſis conjunctiſſimus, arma feras. *Cic.*

Si *alterutrum neceſſe ſit*, audire eâ malis, quam videre. *Cic.*

Alterno quatiunt terram *pede*, *Hor.* Grues *alternis*

pedibus inſiſtentes. *Plin.* Quod epigramma in eum feciſſet, *alternis verſibus* longiuſculis. *Cic.*

Alternis diebus. Alternis menſibus.

Alternis dicetis. *Virg. Alternis* facilis labor. *Virg.*

AMABO.

Abſolute: ſed raro.] Poſſeſſionem *amabo*, quibusvis interdictis defendamus. *Cic.*

Cura, *amabo te*, Ciceronem noſtrum. *Cic.*

AMPLIVS.

Plus.] Facite quod vultis, *daturus* non ſũ *amplius. Cic.*

Tempus.] *Amplius* ſunt *ſex menſes. Cic.*

Cum nominativo.] *Amplius populi* fuerunt centum viginti. *Liv.*

Cum accuſativo.] *Amplius ſex millia* hominum capta. *Liv.*

Cum ablativo.] Pugnatum *amplius duabus* horis eſt. *Liv.* Quæ caſtra, ut fumo atque ignibus ſignificabatur, *amplius* paſſuum *millibus* octo, in latitudinem patebant. *Cæſ.*

Inſuper.] Quid *vultis amplius*? *Cic.* Etiam *hoc amplius*? *Cic.*

AN. ANNE. AN VERO.

In principio.] *An poteſt* ulla eſſe excuſatio? *Cic. Anne licebit* fœderatis, iſtud vobis non licebit? *Cic.* *An vero* illi ſua per ſe judicia reſcinderent? *Cic.*

Separatum.] *An* partus ancillæ ſit *ne* in fructu habendus? *Cic.*

Aut.] Poſtulo mihi reſpondeat, qui ſit iſte Verrutius? mercator, *an* arator, *an* pecuarius? *Cic.* Cum interrogetur, tria pauca ſint, *anne* multa? *Cic.*

Dubitationi inſervit.] Quam orationem in ſuas origines retulit, paucis ante quam mortuus eſt, *an* diebus, *an* menſibus. *Cic.* Non internoſcat vera illa viſa ſint, *anne* falſa? *Cic.* *Secun-*

Secundo loco poſitum.] Erravit, *an potius inſanivit* Sempronius. *Cic.* Refert etiam qui audiant, Senatus, *an* populus, *an* judices; frequentes, *an* pauci, *an* ſinguli. *Cic.*

An vero tibi Romulus ille, aut paſtores convenas congregaſſe, aut Sabinorum connubia conjunxiſſe, aut finitimorum vim repreſſiſſe eloquentia videtur? *Cic.*

An ſi quis rapiat ſtabulis armenta recluſis,
Arma feras, rapta conjuge lentus eris? *Ovid.*

ANTE.

Locus.] Clodius *ante* ſuum *fundum* Miloni inſidias collocavit. *Cic.*

Tempus.] Cauſam interea *ante eum diem* diceret. *Cic.*

Ante urbem conditam. *Cic.*

Perſona.] Minutius mortuus, *ante* iſtum *prætorem. Cic.*

Adverbium.] Paucis *ante diebus*, cum poſſet, e cuſtodia educi noluit. *Cic.*

ANTEQVAM.

Cum Conjunctivo.] *Antequam* de Republica P. C. *dicam. Cic.*

Cum Indicativo.] *Antequam* de Siciliæ incommodis *dico. Cic.*

Separatum.] Quæ cauſa *ante* mortua eſt, *quam* tu natus eſſes. *Cic.*

ANTEA.

Opponitur τῷ poſtea.] Appius in ſermonibus *antea* dictitabat, *poſtea* etiam dixit in Senatu. *Cic.*

ANTEHAC.

Opponitur τῷ Nunc.] Atque *antehac* quidem ſperare ſaltem licebat, *nunc* etiã illud ereptum eſt. *Cic.*

APPOSITE.

Apte.] Cætera *appoſite* tibi *mandabo*. *Cic.* Menſes mihi tres cum eripuiſſetis, *ad agendum* maxime *appoſitos*. *Cic.*

AST.

Pro Sed; rarum eſt apud Oratores.] Crebras a nobis literas expectato; *aſt plures* etiam mittito. *Cic.*

AT.

Sed.] Quid porro quærendum eſt? Factum ne ſit? *At conſtat*: a quo? *at patet*. *Cic.*

In principio continuat.] *At videte* hominis audaciam! *Cic.*

Occupatio.] *At ego ſuaſi*: ſcilicet is animus erat Milonis, ut ſine ſuaſore prodeſſe Reip. non poſſet. *Cic.*

Execrantis.] *At tibi* pro ſcelere (exclamat) pro talibus auſis, Dii ſi qua eſt cœlo pietas. *Virg.*

Subjectio.] Domus tibi deerat: *at habebas*: Pecunia ſuperabat: *at egebas*. *Cic.*

Geminatum.] *At at*, hoc illud eſt, hinc ille lachrymæ. *Ter.*

Laudat.] Habuiſſet enim non hoſpitem, ſed contubernalem: *at*, *quem virum*? non eum quem tu ſolitus promulſide conficere. *Cic.*

Exclamando interrogat.] *At*, *per Deos* immortales; quid eſt quod de hoc homine dici poteſt? *Cic.*

Ironia.] *At mores commodi*: quis contumacior? quis inhumanior? quis ſuperbior? *Cic.*

Optantis.] *At tibi* pii omnes beneficiant. *Plaut.*

Saltem.] Si non propinquitatis, *at ætatis* ſuæ, ſi non hominis, *at humanitatis* rationem haberet. *Cic.*

At vero, adverſatur.] *At vero* hæc tua juſtitia floreſcet indies magis. *Cic.*

At-

Atenim occupationi ſervit.] *Atenim nihil noviſiat*, contra exempla atque inſtituta majorum. *Cic.*

Attamen, idem quod Tamen.] Sed quanquam negent, nec virtutes, nec vitia creſcere, *attamen utrumque* eorum, fundi quodammodo, & quaſi dilatari putant. *Cic.*

Atqui, pro, Atque etiam.] *Atqui ſi tempus eſt* ullum jure hominis necandi, quæ multa ſunt, certe illud eſt. *Cic.*

At vero.] *Atqui ego* a primo capite legis, usque ad extremum, reperio Quirites. *Cic.*

Tamen.] *Atqui in his rebus* multa videmus ita ſancita eſſe legibus. *Cic.*

At etiam de ſanctitate, de pietate adverſus Deos, ſcripſit Epicurus. *Cic.*

AUTEM.

Corrigit, cum ſubjecta interrogatio.] Sed ferendus tibi in hoc meus error: *ferendus autem?* imo vero etiã adjuvandus? *Cic.*

Reſpirandi.] Tum autem rurſus aperiuntur, tum recedunt, tum antecedunt, tum *autem ſubſequuntur*, tum celerius moventur, tum tardius. *Cic.*

BENE.

Valde.] *Bene mane* dedi literas. *Cic. Bene ante lucem.* *Cic. Bene doctus*; bene peritus. Oratio *bene longa*. Bene magna caterva.

BELLE.

Venuſte.] Aqua non longe a villa, *belle* ſane *fluens. Cic.*

Commode.] Ergo hæc quomodo feres? *belle* hercule. *Cic.*

BREVI.

Brevi tempore.] Eum *brevi* fieri *divitem. Plaut.*

Paucis.] Nunc complectar, quod *propoſui, brevi. Cic.* *Explicabo brevi : brevi* reſpondeo ; dicam brevi, ſic habeto. *Cic.*

CÆTERVM. CÆTERA.

De cætero, de reliquo.] Ego me in Cumano & Pompejano, præterquã quod ſine te, *cæterum* ſatis commode me oblectabam. *Cic.* Excepto quod non ſimul eſſes, *cætera lætus. Hor.* Ego *cæteroqui* æquo animo fero. *Cic.*

Alioquin.] Non enim poëta ſolum ſuavis, verum etiam *cæteroqui* doctus, ſapiensque traditur. *Cic.*

CEDO.

Da.] *Cedo manum.* Plaut. *Cedo aquam* manibus. *Plaut.* *Cedo tabulas. Cic.*

Dic.] Quid factum eſt? *Cedo.* Ter. Vnum *cedo autorem* tui facti. *Cic.*

CERTE.

Sine dubio.] Si me tanti facis, quanti *certe facis. Cic.*

Concedentis.] Naturales divitias dixit parabiles eſſe, quod parvo eſſet natura contenta ; *certe niſi* voluptatem tanti æſtimaretis. *Cic.*

Saltem.] Homines mortem optare incipiant, vel *certe timere* deſinant. *Cic.*

Quam ſapienter, non diſputo, conſtanter & fortiter *quidem certe. Cic.*

CITIVS.

Potius.] Eam *citius* veteratoriam, *quam* oratoriam dixeris. *Cic.*

Prius.] Vox me *citius* defecerit, *quam* nomina. *Cic.*

CIRCA. CIRCITER.

Circum.] Multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis, quos *circa ſe* habebat. *Cic.*

Tempus.] Nos *circiter Calendas*, aut in Formiano erimus,

mus, aut in Pompejano. *Cic.* Ita *dies circiter* XXV. iter fecerunt. *Cic.*

Numerus.] Cum *decem circiter millia paſſuum* ab hoſte abeſſent. *Cic.*

Citra. Cis.

Trans.] Vt exercitum *citra flumen* Rubiconem educeret. *Cic.*

Cis Rhodanum. cis Ligerim. *cis* Alpes. *Citra* forum.

Intra. Sine.] Exercitationis plerunque finis debet eſſe ſudor, aut certe laſſitudo, quæ *citra fatigationem* ſit. *Celſ.*

Commode.

Bene.] Hunc pro dignitate *laudare*, nemo *ſatis commode* poteſt. *Cic.*

Apte.] *Commode dicere* latine: *comõde* diſſerere. *Cic.*

Commodum.

Opportune.] Si iſthac ibis, *commodum obviam venies* patri. *Plaut.*

Commodum ad te dederam literas de pluribus rebus, *cum* ad me bene mane Dionyſius fuit. *Cic.*

Comparate.

Cum autem quæritur, quale quid ſit, *aut ſimpliciter* quæritur, *aut comparate. Cic.*

Continuo.

Statim.] *Continuo* hic *adero*. Ter. Deinde abſens factus Ædilis, *continuo Prætor. Cic.*

Non ideo.] *Non continuo*, ſi me in gregem ſicariorum contuli, ſum ſicarius. *Cic.*

Atque ſi illæ ſeditiones ſaluti huic civitati fuiſſent, *num continuo* ſi quis populi motus factus eſſet, id C. Norbano in nefario crimine, atque in fraude capitali eſſet ponendum? *Cic.*

CONTINENTER.

Sine intermiſſione.] Cum hoc eſſet modo pugnatum *continenter horas* quinque. Cæſ. *Continenter uno ſpiritu* multa dicere. *Terent.*

CONTRA.

Vtrumque *contra accidit*. *Cic.*

Vt *hi* miſeri, ſic *contra illi* beati. *Cic.* De veſtro jure ac religione, *contra quam propoſueram*, diſputabo. *Cic.*

CVM.

Tempus, cum indicativo.] Dies nondum decem interceſſerunt, *cum* ille alter filius *necatur*. *Cic.*

Etſi, cum ſubjunctivo.] *Cum* plus etiam *contenderimus*, quam poſſumus, minus tamen faciemus, quam debemus. *Cic.*

Tempus futurum.] *Cum* inimici noſtri venire dicentur, *tum* in Epirum ibo. *Cic.*

Vt ego perſpicio, *cum* mea conjectura, *tum* etiam tua. *Cic.*

Luxuria vero, *cum* omni ætati turpis, *tum maxime* ſenectuti fœdiſſima eſt. *Cic.* Lentulum noſtrum, *cum* cæteris artibus, *tum imprimis* imitatione tui, fac erudias. *Cic.*

Cum gratulor, *tum vero* quibus verbis tibi gratias agam, non reperio. *Cic.*

Sic enim ſentio, jus legatorum, *cum* hominum præſidio munitum ſit, *tum* etiam divino jure eſſe vallatum. *Cic.*

Apud judicem, cauſam priore loco dicat, & eam *cum* peroraverit, *tum denique* vocem accuſatoris audiat. *Cic.*

Cum hæc ſcriberem, *jam tum* exiſtimabam orationem ad te eſſe perlatam. *Cic.*

CVPI-

CUPIDE.

Cupiditate nimia victus.] Hoc ſi tu *cupidius factum* exiſtimas, Cæſari attribues. *Cic.* Quid *cupide* a Senatu, quid temere *fiebat*? *Cic.*

CUI.

Cauſa, cum ſubjunctivo.] Non fuit cauſa, *cur* tantum laborem *cuperes. Cic.* Quid eſt Naſo, *cur* tu in iſto loco *ſedeas*? *Cic.*

DE.

Perſona.] Audivi hoc *de parente* meo. *Cic.* Fundum Cirneum Romæ mercatus eſt, *de Pupillo Merubonio. Cic.*

Locus.] Clamat *de via. Ter.* Non enim declamatorem *de ludo*, aut rabulam *de foro* quærimus. *Cic.* Exire *de navi.* *De Sicilia* abire. *De provincia* decedere. *Cic.*

Tempus.] *De nocte* venit. Vt conſiderate diligenterque naviges, *de menſe Decenbri. Cic.*

Qualitas perſonæ.] Is accuſator *de plebe* fuit. *Cic.*

Multitudo.] Vnus *de multis.* Vnus *de ſeptem.* Vnus *de populo.*

Materia.] Oratio Craſſi *de Colonia* Narbonenſi. *Cic.*

Ad legatos.] Regulus *de captivis commutandis*, Romam miſſus, *Cic.* Legati *de pace*; de captivis redimendis.

Cum ablativo, pro genitivo, poëtice.] Hæc ſunt *verba de lege. Plaut.* Materiam quæris, *laudes de Cæſare* dixi. *Ovid.*

Inſcriptio libri.] Cicero ſcripſit *de Officiis.*

Cauſa.] *De nihilo* iraſci. *Cic.* Gravi *de cauſa.* *Certis de cauſis.* Quibus de cauſis. Maximis juſtiſſimisque de cauſis. *Cic.*

Quod attinet ad.] *De pace* ſentio, ſimulationem eſſe aper-

ſe apertam. *Cic.* Virtus, quam tu ne *de facie* quidem noſti. *Cic.*

Pro.] *De imperio* decertare. *Cic.*

Denuo.] *De integro* creare cenſores. *Cic.* *De integro* incidere in morbum. *Cic.*

De amicorum *ſententia* Roſcius Romam confugit. *De* concilii *ſententia*, *De* communi *ſententia.* *Cic.*

Nec tamen ab illis dictur ita *de induſtria.* *Cic.*

Vt a me, *de ſcripto* dicta ſententia eſt. *Cic.*

Cum ante id tempus *de ſuo* quisq; functus eo munere eſſet. *Liv.* *De noſtro* ſæpe edunt. *Plaut.*

DEINDE.

Iteratur.] An ego tibi obviam non prodirem, primum Appio Claudio, *deinde* Imperatori, *deinde* more majorum, *deinde* (quod caput eſt) amico? *Cic.*

Numeri & Temporis.] Tu velim cures, ut ſciam quibus nos dare oporteat, eas, quas ad te *deinde literas mittemus.* *Cic.*

DEINCEPS.

Vnus poſt alium.] Sed tamen tres ſummo loco natos, te nolo habere iratos, quos video *deinceps tribunos* plebis per triennium fore. *Cic.*

Deinde.] De juſtitia dictum eſt, *deinceps, ut erat propoſitum,* de liberalitate dicendum. *Cic.*

DEMVM. DENIQVE.

Tandem.] Jam vero exilium, *quantum demum* a perpetua peregrinatione differt? *Cic.*

Ad extremum.] *Nihil eſt deniq;* in natura rerum omnium. *Cic.*

Omnino.] Si qua metu dempto caſta eſt, ea *denique caſta* eſt. *Ovid.*

Demum.] Tantum acceſſit, ut *nunc denique* amare videar

videar, *antea* dilexiſſe. *Cic.* Ne ſexageſimo *denique anno* macula notetur. *Cic.*

Nunc demum experior, mihi ob oculos caliginem obtigiſſe. *Plaut.*

Ea demum magna voluptas, æqualem, ac parem verbis vitam agere. *Cic.*

CONSIMILIS. DISSIMILIS.

Haud *conſimili* ingenio, *atque* illic eſt. *Plaut.*

Hæc ſunt, Tribuni, conſilia veſtra, haud hercle *diſſimilia, ac ſi quis* ægri, qui curari ſe fortiter paſſus, exemplo convaleſcere poſſit. *Liv.*

DIV.

Longum tempus.] Quæ ſingulatim ac *diu collecta* ſunt, uno tempore univerſa perdamus. *Cic.*

Diu multumque dubitavi. *Cic* Hæc *diu multum*, multoque labore quæſita, una eripuit hora. *Cic.*

DIVTINVM.

Odio inter ſe gravi, & *ſimultate diutina* conflictati ſunt. *Cic.*

DONEC. DVM.

Quoad.] Certum eſt obſidere, usque *donec redierit. Cic.*

Dum, pro Donec.] Paulum aquæ maceratur, *dum inlenteſcat. Col.*

Quamdiu.] *Dum* literæ latinæ *loquentur. Cic. Dum* hominum genus *erit. Cic.*

Adhuc.] Et quanquam *nihil dum* audieramus, nec ubi eſſes. *Cic.*

Dummodo.] Iſta conditione, *dum* mihi *liceat conſiteri*, neſcire, quod neſciam. *Cic.*

Expecta amabo te, *dum* Atticum conveniam. *Cic.*

Vsque eo premere earum capita mordicus, *dum* illæ captum amitterent. *Cic.*

Hæc

Hæc *dum* mecum *reputo*, accerſitur *interea* virgo. *Ter.*

DVMMODO.

Conditio, cum ſubjunctivo.] Quod nunquam, *dummodo* otioſi *eſſent*, recuſarunt. *Cic.*

Veniendum cenſeo, *dummodo ne* quid hæc ambitioſa feſtinatio *imminuit* ejus gloriæ, quam conſecuti ſumus. *Cic.*

EATENVS.

Vsque ad hunc terminum.] Verba perſequens *eatenus*, ut non abhorrerent a more noſtro. *Cic.*

EA RE.

Propterea.] Is metuit, & *ea re fugit. Cic.* Deinde *ea re non venit in mentem*, quia nihil attinuit. *Cic.*

ECCE. EN.

Repentinum.] *Ecce ſubito* literæ domini ad illum. *Cic.*

Reſpondentis.] Audivit etiam? *Ecce. Plaut.*

Irridentis.] *En, cui* tuos liberos committas. *Cic.*

Miſerentis.] *En cur cæteri* Reges ſtabilem eſſe ſuam fortunam arbitrentur! *Cic.*

Ecce autem nova turba atque rixa. *Cic.*

Cum hæc maxime ſcriberem, *ecce tibi* Seboſus. *Cic.*

ECQVIS. ECQVANDO.

Nunquid.] *Ecquid animadvertis* horum ſilentium? *Cic.*

Sine interrogatione.] Vt videant & inveſtigent, *ecqua virgo* aut mulier ſit. *Cic.*

Jungitur Nam.] *Ecquodnam* principium putatis libertatis capeſſendæ? *Cic.*

Num aliquando.] *Ecquando* te rationem factorum tuorum redditurum putaſti? *Cic.*

ENIM. ETENIM.

Attendite *enim* diligenter. *Cic.*

Etenim rem totam breviter cognoſcite. *Cic.*

Nec

Nec enim unquam ſum aſſenſus veteri illi laudatoq; proverbio. *Cic.*

ENIMVERO.

Vehementer affirmantis.] Ain vero ? *Ajo enim vero. Plaut.*

Scilicet.] *Hic enim vero* tu exclamas, hominem improbum. *Cic.*

Indignantis.] *Enim vero* hoc ferendum non eſt. *Cic.*

Demum.] *Nunc enim vero* occidi. *Plaut.*

Nimirum.] *Enimvero Dii* nos quaſi pilas homines habent. *Plaut.* *Enimvero* Dave locus non eſt ſegnitiæ. *Ter.*

EO.

Eo quod.] Non *eo* dico C. Aquili, *quo* mihi veniat in dubium tua fides atque conſtantia. *Cic.*

Ideo.] *Eone* es ferox, quia habes imperium in belluas? *Ter.*

Vsque ad id.] Quæ ab exiguis profecta initiis, *eo crevit*, ut jam magnitudine laboret ſua. *Liv.*

Vnde *eo* plus opis auferret, *quo* minus attuliſſet. *Cic.*

Id autem *eo* facilius credebatur, *quia* ſimile vero videbatur. *Cic.*

Suſpicor *eo* ſemihoram mihi a Labieno præſtitutam eſſe, *ut* ne plura de pudicitia dicerem. *Cic.*

Eo magnitudinis, *eo* ſapientiæ devenit. *Cic.*

ERGO.

Interrogative.] *Quid ergo* eſt ? primum magnitudo periculi. *Cic.* *Num ergo* is excæcat nos, aut orbat ſenſibus ? *Cic.*

Itaque.] *Ergo* dum nullum faſtiditur genus, in quo eniteret virtus, crevit Imperium Romanum. *Liv.*

Ergò

Ergo age, tam longas, ſed ſupprime Muſa querelas. *Ovid.*

Cauſa.] Si quid contra alias leges, ejus *legis ergo* factum ſit. *Cic.* Fugæ ac *formidinis ergo*, non abiturus. *Liv.*

ET.

Hortandi.] *Et dubitamus* adhuc virtutem extendere factis? *Virg.*

Quia.] Has primum audiet puer, earum verba effingere imitando conabitur; *& natura tenaciſſimi* ſumus eorum, quæ mollibus animis percipimus. *Quintil.*

Tamen.] Defendi legem Voconiam magna voce, bonisque lateribus: *Et videtis* annos meos. *Cic.*

Indignantis interrogando.] *Et vos* acta Cæſaris defenditis, qui leges ejus evertitis? *Cic.*

Tibi & fuit hoc ſemper facillimum, *& vero* eſſe debuit. *Cic.*

Me aſpicis, *& quidem* ut videris iratus. *Cic.*

ETENIM.

Quia: in principio.] *Etenim*, quoniam numerum injuriarum vobis non poſſum exponere. *Cic.*

Diviſum.] *Et* dicere *enim* bene nemo poteſt. *Cic.*

ETIAM.

Inſuper.] Voce, motu, *forma etiam* magnifica. *Cic.*

Redarguentis.] *At etiam* me aſpicis, & quidem ut videris iratus. *Cic.*

Affirmandi.] *Aut etiam, aut non* reſponde. *Cic.* Vtrum cætera nomina digeſta habes, an non? Si non, quomodo tabulas conficis? *Si etiam*, quamobrem hoc nomen in adverſariis relinquebas. *Cic.*

Te prorſus vehementer *etiam atque etiam* rogo. *Cic.*

Obſe-

Obſecro te, *etiamne* hoc negabis? *Plaut.*

Quæritur *etiamnum*, quis eum nuncium miſerit. *Cic.* *Etiam nunc* hic ſtas Parmeno? *Ter.*

Omnes *etiam tum* retineant illum Periclis ſuccum. *Cic.*

Omnia autem brevia tolerabilia eſſe debent, *etiamſi* maxima ſint. *Cic.*

Etiamſi eſt in genere tolerabili, *tamen* non eſt in optimo. *Cic.*

Etsi.

Abſolute.] Do pœnas temeritatis meæ: *Etſi*, quæ fuit illa temeritas? *Cic.*

Raro cum ſubjunctivo.] *Etſi* illis plane orbatus *eſſem.* *Cic.*

Etſi abeſt maturitas ætatis, jam *tamen* perſonare aures ejusmodi vocibus, non eſt inutile. *Cic.*

Suaves tuas literas: *etſi* acerba pompa, *veruntamen* ſcire omnia non acerbum eſt. *Cic.*

Etſi quamvis non fueris ſuaſor & impulſor profectionis meæ, approbator certe fuiſti. *Cic.*

Ex. E.

Cauſa.] *Gravida* e Pamphilo eſt. *Ter.* Nos hic te ad menſem Januarium expectamus, *ex* quodam *rumore*, an *ex literis* tuis ad alios miſſis? *Cic.* *Ex lege*; ex decreto; ex teſtamento; ex formula.

Materia.] Erat etiam vas vinarium *ex una gemma* pergrandi, trulla excavata. *Cic.* Simulachrum *ex ære*. Poculum *ex auro*. *Cic.*

Multitudo.] *Ex intimis* unus. *Cic.* Vnus *e plebe*: unus *e multis*: unus *ex omnibus.*

Modus.] Simplices & aperti, qui nihil *ex occulto*, nihil *ex inſidiis* agendum putant. *Cic.* *Ex inſperato*, repente miſiſtis nobis hunc Scipionem. *Liv.*

Secundum.] *Ex præceptis* Philoſophiæ acta vita. *Cic.* *Ex* conſtitutione. *Ex* inſtituto.

Locus.] Epicureos tecum paucos *e Græcia* compararet. *Cic.*

Tempus præteritum.] Nec vero usquam discedebam *ex eo die*, quo in ædem Telluris convocati ſumus. *Cic.*

Tempus futurum.] Vereor *ne ex Calendis Januariis* magni tumultus ſint. *Cic.*

Ex intervallo reguſtandus eſt. *Cic.* *Ex* improviſo, *ex* tempore.

Poſt.] Cotta *ex Conſulatu* profectus eſt in Galliam. *Cic.*

Prior ſtatus.] Nihil tam miſerabile, quam *ex beato* miſer. *Cic.* Sed repente *ex homine*, tanquam aliquo Circeo poculo, factus eſt Verres. *Cic.*

Vtilitas.] Duobus aut tribus SCtis *e Republica* factis. *Cic.* Facis *ex tua dignitate*, & e Republ. *Cic.*

Te autem alienum hominem, ament *ex animo*. *Cic.*

Bene obſonavi, & *ex* mea *ſententia*. *Plaut.* Te *ex ſententia* navigaſſe gaudeo. *Cic.*

De Quinto fratre nobis triſtes, nec varii nuncii venerant, *ex ante diem* Nonarum Juniarum, *usque ad* pridie Kal. Septembres. *Cic.*

Quamobrem tu, quantum tuo judicio nobis tribuendum eſſe putes, ſtatues ipſe, &, ut ſpero, ſtatues *ex noſtra dignitate*. *Cic.*

Extra.

Vbi. Quo.] *Extra portam* ire. *Plaut.* Et in corpore, & *extra* eſſe quædam bona. *Cic.*

Præter.] *Extra collegium* Sacerdotum, ne quisquam ſacra quæ publice eſſent conſtituta, noſſet. *Cic.*

Sola-

Solane beata vita relinquitur *extra oſtium* limenq; carceris. *Cic.*

Se *extra omnem culpam*, & cauſam poſuit. *Cic.*

Extra ordinem bellum cum Mithridate, Tigraneq; geſſit. *Cic.*

Extra pretium eſt. *Cic.*

Sed mehercule, *extra jocum*, homo bellus es. *Cic.*

EXTRINSECVS.

Cum Annibal columnam auream vellet auferre, dubitavit utrum ea ſolida eſſet, an *extrinſecus inaurata*. *Cic.*

FACILE.

Sine controverſia.] Eudemus Platonis auditor, in Aſtrologia, judicio doctiſſimorum hominum *facile princeps*. *Cic.* *Facile præſtat* æqualibus. *Cic.*

Libenter.] Sed te aberrare propoſito *facile patiebar*. *Cic.*

FERE. FERME.

Imminuit.] *Omnes fere* familiares Cæſaris, me colunt. *Cic.* Hora *fere nona*. *Cic.*

Vniverſalitas.] *Hæ fere ſunt* emendate loquendi ſcribendique partes. *Quintil.* *Hæc erant fere*, quæ tibi nota eſſe vellem. *Cic.*

Plerunque.] Nunc etiam ab orationibus *disjungo me fere*, referoque ad manſuetiores Muſas. *Cic.* Sapientis enim cogitatio *non ferme* ad inveſtigandum adhibet oculos advocatos. *Cic.*

FORAS. FORIS.

Locus.] Cras veniat, perendie *foras feratur*. *Plaut.* Ne quæras *foris* ligna. *Plaut.* *Foris* valde plauditur. *Cic.*

FORTE. FORTASSE.

Caſu.] Cum Puteolos *forte venißem*. *Cic.*

Dubitatio.] Habes epiſtolam verboſiorem *fortaſſe* quam velles. *Cic.* Sed ego *fortaſſis* vaticinor, & omnia meliores habebunt exitus. *Cic.*

Occupatio.] *Fortaſſe dices*, quid ergo hæc in te ſunt omnia? *Cic.*

Forſan, Poëticum.] *Forſan* & hæc olim meminiſſe juvabit. *Virg.*

Ne forte hoc magnum ac mirabile videatur. *Cic.*

GENERATIM.

Per ſingula genera.] Igitur exponam *generatim argumenta* eorum. *Cic.*

Infinitum mihi videtur id dicere, in quo aliquid *generatim quæreretur*, hoc modò: Expetenda ne eſſet eloquentia, expetendique honores? *Cic.*

HACTENVS.

Vsque ad hunc locum, terminum.] *Hac* Trojana *tenus* fuerit fortuna ſecuta. *Virg.*

Hactenus arvorum cultus, & ſidera cœli, nunc te Bacche canam. *Virg.* *Hactenus fuit*, quod a me ſcribi poſſet. *Cic.*

Præcepta duntaxat *hactenus* requirunt, *ut* certis dicendi luminibus ornentur. *Cic.*

HAVD.

Non.] *Haud heres* eſt Cluentius. *Cic.*

Vehementius negat.] *Haudquaquam* mediocre condimentum amicitiæ. *Cic.* Rem *haud ſane* difficilem admirari videmini. *Cic.*

Fortaſſe.] Eſt id quidem magnum, atque *haud ſcio, an* maximum. *Cic.*

Haud paulo, id eſt Multo.] Næ tu *haud paulo plus* quam quiſquam noſtrum delectationis habuiſti. *Cic.*

HEVS.

Expoſtulantis.] Sed *heus tu*, qui κανών eſſe meorum ſcriptorum ſoles. *Cic.*

HIC.

Loci proprie adverbium.

Cum ita ſe res habeat.] *Hic vos* dubitatis judices, tantam iſtius audaciam, tantam crudelitatem, tantam injuriam vindicare? *Cic.*

Nunc.] *Hic jam* plura non dicam, fuit enim illud poſtremum. *Cic.*

Tunc.] *Hic* illi flentès rogare atque orare cœperunt. *Cic.*

HIC. HOC.

Eo quo.] *Hoc* audio libentius, *quo* ſæpius. *Cic.*

Conſilio veſtro utar libenter, & *hoc* libentius *quod. Cic.*

Hiccine eſt Telamon ille, modo quem gloria ad cœlum extulit? *Cic.*

Hoccine credibile eſt aut mèmorabile? *Ter.*

HINC.

Locus.] *Hinc* a nobis in cœlum profecti reperiuntur. *Cic.*

Translate.] *Hinc ſicæ*, *hinc* venena, *hinc* falſa teſtamènta naſcuntur, *hinc* expilationes, direptionesque ſociorum. *Cic.*

Poëtice geminatur.] *Hinc atque hinc* vaſtæ rupes. *Virg.*

Hinc & illinc exhibent mihi negotium. *Plaut.*

HAC ILLAC. HVC ILLVC.

Hac illac circumcurſa, inveniendum eſt tamen argentum. *Ter.*

Pars quæ *huc* & *illuc* hominem rapit. *Cic.*

Rem *huc* deduxit. *Cic.*

Huccine omnia reciderunt, ut civis Romanus in provincia Pop. Roman. deligatus in foro cæderetur? *Cic.*

Jam.

Tranſitio.] *Jam vero* ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis eſſe dicuntur. *Cic.*

Tempus præteritum.] *Jam ab* illo vetuſto *tempore*, cum in Cumanum mihi obviam veniſti. *Cic.*

Modo.] *Jamque* hos curſu, *jam* præterit illos. *Virg.*

Tam cito.] *Jamne* iſti abierunt e conſpectu meo? *Plaut.*

Præteritum tempus.] *Jam diu* propter hyemis magnitudinem, nihil novi ad nos afferebatur. *Cic.*

Præſens.] *Vt* te, quem *jamdiu* plurimi facio, tanto intervallo viderem. *Cic.*

Prorſus.] Cupio equidem, & *jampridem* cupio, Alexandriam viſere. *Cic.*

Nam in me quidem *jam pridem effectum* eſt, quod futurum eſt. *Cic.*

Jamque ab eo non longius bidui via aberat, *cum* duas veniſſe legiones, miſſu Cæſaris cognoſcunt. *Cæſ.*

Jam nunc mente & cogitatione perſpicio, quæ tum ſtudia hominum, qui concurſus futuri ſint. *Cic.*

Qui omnes in judiciis publicis, *jam tum* florente Republica floruerunt. *Cic.*

Ejus libertum Apollonium, *jam tum* equidem, *cum* ille viveret, & magni faciebam, & probabam. *Cic.*

O jura præclara ac divinitus *jam inde* a principio Rom. nominis, a Majoribus noſtris comparata! *Cic.*

Vetus opinio eſt, *jam usq;* ab heroicis ducta temporibus. *Cic.*

Redditæ mihi *jam tandem* ſunt a Cæſare literæ. *Cic.*

Jam olim a principio illud ſtatuebam. *Cic.*

Is,

Is, Ea, Id.

Talis.] *Id ætatis* jam ſumus, ut omnia fortiter ferre debeamus. *Cic.*

Idcirco.

Putaret me *idcirco* diſcedere, *quod* quosdam homines oculi mei ferre non poſſunt. *Cic.*

Quos *idcirco* non commemoro, *ne* de miſeriis meorum neceſſariorum conquerens, homines quos nolo, videar offendere. *Cic.*

Ideo.

Ad te *ideo* antea rarius ſcripſi, *quod* non habebam idoneum cui darem. *Cic.*

An *ideo* aliquid contra mulieres fecit, *ne* totum edictum ad Chelidonis arbitrium ſcriptum videretur? *Cic.*

Idem.

Repetit dicta.] Et huic conjuncta beneficentia, quam *eandem*, vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet. *Cic.*

Vnum & *idem* videtur eſſe, *atq;* id, quod de meipſo nominatim tuliſti. *Cic.*

Idem eſt *qui* fuit ſemper Verres. *Cic.*

Identidem.

Frequenter.] In motu *identidem* reciprocando. *Cic.*

Igitur.

Habes *igitur* Tubero, quod accuſatori maxime optandum, confitentem reum. *Cic.*

Quid igitur faciam ? *Ter.*

Ille.

Refert remotius.] Cum ſint duo genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim; cumque *illud* proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore. *Cic.*

Illud teneto, nervos atque artus Sapientiæ eſſe, non temere credere. *Cic.*

ILLICO.

Statim.] Simul atque increbuit ſuſpicio tumultus, artes *illico* noſtræ conticeſcunt. *Cic.*

IN.

Tempus.] Et ſimul ad cœnam invitavit, *in poſterum diem. Cic.* Syracuſis lex eſt de religione, quæ *in annos ſingulos* Jovis Sacerdotem ſortito capi jubeat. *Cic.* Solis defectiones itemque Lunæ, prædicuntur *in multos annos. Cic.*

Diſtributive.] Quod pretium *in capita* ſtatuiſſent. *Liv.* Singulis *in militem* tunicis imperatis. *Liv.* Titurius quaternos denarios *in ſingulas vini amphoras*, portorii nomine exegit. *Cic.*

Alterius periculo.] Quærere *in aliquem. Cic.* De ſervis dominos, majores noſtri quæri noluerunt. *Cic.*

Locus.] Vt ſi conſtitueris, te cuipiam *in rem præſentem* eſſe venturum. *Cic.*

Per vices.] Decem imperitabant, unus, cum inſignibus imperii & lictoribus erat: quinque diebus finiebatur imperium, ac per omnes *in orbem* ibat. *Liv.*

Contra.] Oratio Ciceronis *in Piſonem*; in Catilinam.

Inter.] *In primis*, & *in* bonis. *Cic.*

Super.] Stare *in pedes.*

In diem & horam creſcunt plantæ. *Cic.*

Creſcit *in* ſingulos *dies* hoſtium numerus *Cic.*

Defectiones ſolis & lunæ, cognitæ prædictæque *in* omne *poſterum* tempus. *Cic.*

Idcirco tibi amicum *in perpetuum* fore putaſti. *Cic.*

Exor-

Exornetur *in* peregrinum *modum. Plaut.* Miſerandum *in modum* necari. *Cic.* Vaticinantis *in modum* cecinit. *Liv.* Mirandum *in modum* gaudeo. *Cic.* Hoc idem ſignificat græcus ille ſcriptus *in hanc ſententiam* verſus. *Cic.*

Frater meus decrevit, ut ſi judicatum negaret, *in duplum* iret. *Cic.*

In partem juris receperunt. *Cæſ.*

In exemplum proponam. *Quintil.*

In hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates *in medium* afferre, mutatione officiorum. *Cic.*

Præclara claſſis *in ſpeciem*, ſed inops, & infirma. *Cic.*

Procul apparet, non excutitur, non *in manus ſumitur. Cic.*

Cum pene *in manu* mortiferum illud poculum *teneret. Cic.*

Res *eſt in manibus. Cic.* Cum tantum belli *in manibus* eſſet. *Liv.* Septimus mihi liber Originum *eſt in manibus. Cic.* Sed & audiviſtis, & *eſt in manibus* oratio. *Cic.* Victoria eſt *in manibus. Liv.* Omiſi ea *quæ in manibus habebam*; quod juſſeras, edolavi. *Cic.*

Quod ſi *in vino* atque alea comeſſatores ſolum ſcorta quærerent, eſſent illi deſperandi, ſed tamen eſſent ferendi. *Cic.* Vel here *in vino* quam immodeſtus fuiſti. *Ter.*

INDE, INDIDEM.

Deinde.] Quid *tum inde*? *Cic.*

Tempus.] Quoad longiſſime poteſt mens mea reſpicere, ſpatium præteriti temporis *inde usque* repetens. *Cic.*

Si *unde* neceſſe erit, *inde* initium ſumatur, *Cic.*
Vnde ſimile duci poteſt, *indidem* verbum translatum lumen afferet orationi. *Cic.*

INIBI.

Eodem loco.] Luxuries Annibalem Capuæ corrupit: ſuperbia nata *inibi* eſſe, ex Campanorum faſtidio videtur. *Cic.*

INFRA.

Ipſe ad mare, *infra oppidum* expectabat. *Cic.*
Infra dignitatem meam eſt. *Infra tectum.*
Humanas res deſpicere atque *infra ſe* poſitas *arbitrari. Cic.*
Supra lunam ſunt omnia æterna, *infra* autem nihil eſt, niſi mortale & caducum. *Cic.*
Non modo ex numero vivorum exturbatur, ſed ſi fieri poteſt, *etiam infra* mortuos amandatur. *Cic.*

INTERIM. INTEREA.

Abſolute.] Hoc *interim* ſpatio conclave illud concidit. *Cic.*
Aliquando.] Prima barbariſmi ac ſolœciſmi fœditas abſit, ſed quia *interim excuſantur* hæc vitia, aut conſuetudine, aut autoritate, aut vetuſtate, denique vicinitate virtutum, acriter ſe in illud tenue diſcrimen Grammaticus intendat. *Quintil.*
Interim dum de conventionibus inter ſe agunt. *Cæſ.*
Interea tamen *dum* hæc quæ diſperſa ſunt, coguntur. *Cic.*

INTRA.

Locus.] Quod facile fuiſſet, niſi *intra parietes* meos, de mea pernicie conſilia inirentur. *Cic.* Artis eſt noſſe regiones *intra quas venire debeas*, ut perveſtiges, quod quæras. *Cic.*
Citra.] Antiochus *intra montem* Taurum regnare juſſus

juſſus eſt. *Cic.* Nullum *intra oceani oſtium* prædonem navium eſſe audiatis. *Cic.*

Epulamur non modo non *contra* legem, ſed etiam *intra* legem. *Cic.* Modice hoc faciam, aut etiam *intra modum. Cic.*

Hortenſii tamen ſcripta *intra famam* ſunt. *Quintil.*

Quæ, *intra decem annos*, poſteaquam judicia ad Senatum translata, in rebus judicandis nefarie flagitioſeque facta ſunt. *Id.*

Ipse.

Omnino.] Triginta *dies* erant *ipſi*, cum dabam has literas, per quos nullas a vobis acceperam. *Cic.*

Non ita abundo ingenio, ut te conſoler, cum *ipſe me* non poſſim. *Cic.* Quanti me a te fieri intellexerim, *mihi ipſe* teſtis. *Cic.*

Mortuus eſt *annis octoginta tribus ipſis* ante me Conſulem. *Cic.*

Is.

Hic.] Ejus auditor Strato, *is qui* Phyſicus appellatur. *Cic.*

Qui, quæ, quod.] Avaritia pecuniæ ſtudium habet, quam nemo Sapiens concupivit, *ea* quaſi venenatis malis imbuta, corpus animumque virilem effœminat. *Salluſt.*

Quæ res.] Secedant improbi, ſecernant ſe a bonis, unum in locum congregentur, muro denique, *id quod* ſæpe jam dixi, ſecernantur a bonis. *Cic.*

Talis, qualis.] Itaque ego *is* in illum ſum, *quem* me eſſe vis. *Cic.* Quod ſi eſſem *ea* perfidia, *qua* ſunt ii, qui in nos hæc conferunt. *Cic.*

Talis.] Nec tamen *is* ſum, *ut* mea me maxime delectent. *Cic.* *Ea* perturbatio eſt omnium temporum, *ut* ſuæ quemque fortunæ maxime pœniteat. *Cic.*

Iſce,

Iſce,pro ipſe.] Nullum eſſe jus tam ſanctum, atque integrum,quod non *ejuſce* vis ac perfidia violaret. *Cic.*

Proinde *eo* te animo velim eſſe, *quaſi* mei negotii cauſa,in iſta loca miſſus eſſes. *Cic.*

Si hominem *id ætatis* in tam longo ſermone retinuiſſet. *Cic.* Se in balneis cum *id ætatis* filio fuiſſe. *Cic.*

Id ætatis jam ſumus, *ut* omnia fortiter ferre debeamus. *Cic.*

Sed nunc quidem quoniam *id temporis* eſt, ſurgendum cenſeo. *Cic.*

Iste.

Proprie de ſecunda perſona.] Vt mihi verba deeſſent,nec ſolum *iſta* veſtra Oratoria. *Cic.*

Contemnentis.] Ita ex *iſta* vita diſcedo,tanquam ex hoſpitio. *Cic.*

Amplificandi.] Hic meus amor; hæc noſtra neceſſitudo;tuum *iſtud ſtudium*; veſter *iſte honor. Cic.*

Adduxiſſem huc Græculum aliquem,qui nos *iſtiusmodi* diſputationibus oblectaret. *Cic.*

Si ille circum *iſthæc* loca commorabitur. *Cic.*

Præcipitare *iſthuc* quidem eſt, non deſcendere. *Cic.*

Ita.

Itaque.] *Ita* nobiliſſima civitas Græciæ, & olim potentiſſima,ſepulchrum civis ſui ignoraſſet , niſi ab homine Arpinate didiciſſet. *Cic.*

Adeo.] Dii te perdant, *ita non modo* nequam & improbus,ſed & fatuus & amens es. *Cic.* Hoc tibi *non ita decorum* eſt. *Cic.*

Jurantis.] *Ita vivam* ut maximos ſumtus facio. *Cic.* *Ita* mihi Deos omnes propitios eſſe velim. *Cic.*

Hac conditione.] *Ita* enim Senectus honeſta eſt, *ſi* ſe ipſa defendit, ſi jus ſuum retinet. *Cic.*
Stomachantis.] *Itane vero* tu tua pericula communi periculo defendes? *Cic.*
Ita ſum afflictus, *ut* nemo unquam. *Cic.*
Ita mecum loquutus eſt, *quaſi* non dubium bellum habeamus. *Cic.*
Quare facies, ut *ita* ſit in libro, *quemadmodum* fuit. *Cic.*
Ita tu iſthæc tua miſceto, *ne* me admiſceas. *Ter.*
Nec *ita* claudenda eſt res familiaris, *ut* eam benignitas aperire non poſſit. *Cic.*

ITEM. ITIDEM.

Similiter.] Literæ iſti mittuntur a patre vehementes, ab amicis *item. Cic.*
Ita.] Feciſti *item*, ut prædones ſolent. *Cic.*
Vt enim in ſenſibus, *item* faciunt de reliquis. *Cic.*
Nam omnium magnarum artium, *ſicut* arborum, altitudines delectant, radices ſtirpesque *non item. Cic.*
Ea quæ movent ſenſus, *itidem* movent ſenſus omnium. *Cic. Itidem* mulieres, fere, ut ſunt pueri, levi ſententia. *Ter.*

ITERVM.

Secundo.] *Primo* quidem decipi incommodum eſt, *iterum* ſtultum, tertio turpe. *Cic.* Duobus pretiis unum & idem frumentum vendidiſti, *ſemel* civitatibus, *iterum* Pop. Rom. *Cic.*
Vt re experiatur *iterum* ac *ſæpius* te rogat. *Cic.* Semel atque *iterum*, *ac ſæpius. Cic.*

JVXTA.

Apud.] Furiarum maxima *juxta accubat. Virg.*
Cives hoſtesque *juxta metuere. Salluſt.* Trucidant iner-

inermes *juxta atque* armatos. *Liv.* Et ſe *juxta* hyeme *atque* æſtate bella gerere poſſe. *Id.*

Secundum.] *Juxta* Deos, in tua manu eſt. *Tac.*

Tum reliquis officiis, *juxta ac ſi* meus frater eſſet, ſuſtentavit. *Cic.*

Quo in loco res noſtræ ſint, *juxta mecum* omnes intelligitis. *Salluſt.*

Licet.

Etſi, ſed raro.] Veritas *licet* in cauſis nullum patronum aut defenſorem obtineat, *tamen* per ſe ipſa defenditur. *Cic.*

Abſolute.] Sed omnia *licet* concurrant, Idus Martiæ conſolantur. *Cic.* Proinde iſti faciant *licet*, quos volent Conſules. *Cic.*

Licebit, abſolute.] Hanc ſi quis partem putet eſſe orationis, ſequatur Hermagoram *licebit. Cic.*

Cum infinitivo, pro, poſſumus.] *Licet* ora ipſa *cernere* iratorum. *Cic.* *Mirari licet*, quæ ſint animadverſa a medicis herbarum genera. *Cic.*

Per me vel ſtertas *licet*, (inquit Carneades) non modo quieſcas. *Cic.* Sinatis hunc facere, *dum* per ætatem *licet. Terent.*

Longe.

Procul.] *Longe abſum*, audio ſero. *Cic.* Tu autem abes *longe gentium. Cic.*

Locus.] *Longe a me* eſt. *Cic.*

Valde.] Tota ea res *longe* cæteris & ſtudiis & artibus *antecedit. Cic.* *Longe* mihi alia mens. *Cic.*

Quæ aut eſt alia cauſa erroris, tam *longe lateque* diffuſi, niſi quod. *Cic.*

Quam *longe multumque* præſtet mens atque ratio. *Cic.*

Multo.] *Longe aliter* atque a me dicta erant, detulerunt. *Cic.* *Lon-*

Longe omnium in dicendo & graviſſimo & eloquentiſſimo Platoni. *Cic.* Vir *longe poſt* homines natos improbiſſimus. *Cic.* *Longe primus* civitatis eſt Epicrates. *Cic.*
Longe alius. Longe diſſimilis. *Longe* diſpar. *Longe* aliter. *Longe* ſecus.
Longe excellit. Longe ſuperat, præſtat, antecellit.
MAGIS.
Comparative.] *Magis eſt parricida, magis* tyrannus, *magis* aſinus. *Plaut.* Vereor ne *magis invidi* quem amici. *Cic.*
Abſolute.] Cum Pompejus ita contendiſſet, *ut nunquam magis. Cic.*
Magis dicas, *ſi* ſcias, quod ego ſcio. *Plaut.*
Magis adeo id facilitate, *quam* ulla mea culpa contingit. *Cic.*
Jus bonumque apud eos, non legibus *magis, quam* natura valebat. *Salluſt.* Ne id quod petit exigere *magis quam* rogare videretur. *Cic.*
Quotidie *magis magisque* perditi homines, tectis templisque urbis minitarentur. *Cic.*
Itaque de Græcia quotidie *magis ac magis* cogito. *Cic.*
Omnes quibus res ſunt *minus* ſecundæ, *magis* ſunt natura quodammodo ſuſpicioſi. *Ter.*
Et eos *maxime*, qui te *maxime* debuerunt, & plurimum potuerunt juvare. *Cic.*
Dicere *quam maxime* ad veritatem accommodate. *Cic.*
Mihi videtur *vel maxime* confirmare. *Cic.*
Domus celebratur *ut cum maxime. Cic.*
Tam ſum amicus Reip. *quam qui maxime. Cic.*
Tam docta, *quam quæ doctiſſima.* Tam doctus, quam qui doctiſſimus.
Ut

Vt quisque maxime opis indigeat, *ita* ei potiſſimum opitulari. *Cic.*

Magnopere.

Ex, magno,& opere: Valde.] Quorſum recidat reſponſum tuum, non *magnopere* laboro. *Cic.*

Diviſum.] *Magnoque opere* abs te peto. *Cic.*

Male. Malum, interjectio.

Male accipit verbis Rabonium. *Cic.*

Qui primo obſiſtere conabantur, *male mulctati*, clavis ac fuſtibus repelluntur. *Cic.*

Qui me idcirco putant *bene audire* velle, ut ille *male audiat. Cic.*

At vobis *male ſit*, malæ tenebræ. *Catul.*

Male narras de illo. *Cic.*

Quæ *malum*, eſt iſta tanta audacia atque amentia? *Cic.*

Minus.

Parum.] Vt & *minus late* vagarentur, & *minus facile* finitimis bellum inferre poſſent. *Cæſ.*

Non.] At nonnunquam quæ prædicta ſunt, *minus eveniunt. Cic.*

Si mihi tecum *minus* eſſet, *quam* eſt cum tuis omnibus. *Cic.*

Haud *minus ac* juſſi, faciunt. *Virg.*

Qui peccat *minus atque* ego. *Hor.*

Nam mihi jam *minus minusque* obtemperat. *Ter.*

Minime.

Plus, quam Minus, ſed non penitus negat.] Homo *minime ambitioſus*, *minimeque* in rogando *moleſtus. Cic.*

Minimum.

Comparatum cum Maxime.] Vt quisque *minimum firmitatis* habet, *minimumque* virium, ita amicitias appetit *maxime. Cic.*

Com-

Comparatum cum Plurimum.] Hoc in genere nervorum eſt vel *minimum*, ſuavitatis autem vel *plurimum. Cic.*

Ita fiunt omnes partes *minimum octoginta* una. *Cic.*

Mire. Mirifice.

Puero municipia *mire* favent. *Cic.*

Ac jam tum erat adoleſcentulus his ſtudiis *mirifice deditus. Cic.*

Nec *mirum ſi* hoc vobis ridiculum videtur. *Cic.*

Mirum, ni tu credas, quæ iſte dicat. *Ter.*

Mirum quam inimicus ibat. *Cic.*

Mirum quantum illi viro, hæc nuncianti, fides fuerit. *Liv.*

Modo.

Aliquanto ante.] In qua urbe *modo* gratia, autoritate, & gloria *floruimus*, in ea nunc iis quidem omnibus caremus. *Cic.*

Nunc.] Cotta meus, *modo* hoc, *modo* illud. *Cic.*

Tantummodo,] *Modo facito*, ut illam ſerves. *Ter.*

Dummodo.] Concedo ut impune emerit, *modo* ut bona ratione emerit. *Cic.*

Omnia ei obſequia polliceor, *ſi modo* Remp. reſpicere volet. *Cic.*

Davum *modo* timere ſenſi, *ubi* nuptias futuras eſſe audivit. *Ter.*

Modo cum dicta in me ingerebas. *Plaut.*

Mox.

Paulo poſt.] Juſſitque mihi nunciari, *mox* ſe *venturum. Cic.*

Dum expecto, *quam mox* veniat. *Ter.*

Multum, Plus, Plurimum.

In hoc uno te *plurimum vidiſſe*, me *multum* aberraſſe, concedo. *Cic.*

NAM. NAMQUE.

Occupatio.] *Nam*, quod me tecum iracunde agere *dixiſti* ſolere, non eſt ita; vehementer me agere fateor, iracunde nego. *Cic.*

Num quidnam reſtat? *Cic.*

NÆ.

Fere cum pronomine.] *Næ tu* haud paulo plus delectationis habuiſti, quam quivis noſtrum. *Cic.*

Næ iſta præclara ſapientia, non magno æſtimanda eſt. *Cic.*

NE.

Nolim, ſed metuo.] *Vereor, ne* arroganter *facias*, ſi dixeris tuam. *Cic.*

Nolim, ſed non timeo.] *Non vereor, ne* quid ſtulte facias. *Cic.*

Velim, ſed timeo.] *Vereor ne* exercitum firmum habere *non* poſſit. *Cic.*.

Velim, ſed non timeo.] *Non vereor, ne* hoc officium meum P. Servilio Judici *non* probem. *Cic.*

Cum conjunctivo.] *Ne* me *moneatis*, memini ego officium meum. *Plaut.*

Cum imperativo.] *Ne nega. Ter. Cicero libentius uſurpat*, *Noli*, *Noli* putare me quicquã maluiſſe. *Cic.* *Cave* enim putes ullas literas unquam gratiores quam ſuas, eſſe in Senatu recitatas. *Cic.*

Jurantis.] Sed, *ne vivam*, ſi tibi concedo. *Cic.*

Supplicatio.] *Ne Dii ſiverint*, ut hoc decus mei capitis, aut demere mihi quiſquam, aut condonare poſſit. *Cic.*

Correctio.] In tam leves, *ne dicam* ineptas ſententias, incidiſſe. *Cic.*

Sub-

Subſtantivum præcedit.] Crudelis *Caſtor*, *ne dicam* ſceleratum & impium. *Cic.*
Subſtantivum ſequitur.] Crudelis, *ne dicam* ſceleratus & impius *Caſtor.*
Concedentis.] *Ne ſit* ſane, videri certe poteſt. *Cic.* Obliviſcor jam injurias Clodii, depono memoriam, *ne ſint hæc* in te dicta, quæ dixi. *Cic.*
Ego vero ne immortalitatem quidem accipiendam putarem, *nedum* emori cum pernicie Reip. *Cic.*
Sed ejus rei maturitas *neque tum* venit, & tamen jam appropinquat. *Cic.*
Nunquam illum *ne* minima *quidem* re offendi. *Cic.*
Me quidem nibil eorum *ne* juvenem *quidem*, movit unquam, *nedum* ſenem. *Cic.*
Juſtitiæ primum munus eſt, *ut ne cui* quis noceat. *Cic.*
Ne labori ſuo *neve* periculo parceret. *Cæſ.* Hoc te primum rogo, *ne contrahas* ac demittas animum, *neve* te obrui, tanquam fluctu ſinas. *Cic.*
Neu quis poſtea ad Senatum referat, *neu* cum populo agat. *Sal.*
Vt *neve* aſper eorum concurſus, *neve* hiulcus ſit. *Cic.*
Ne multa Jud. his contumeliis ſcitote Q. Lollium ad Apronii Leges conditionesque veniſſe. *Cic.*

NE enclitica conjunctio.

Interrogatio.] *Putaresne* unquam fieri poſſe, ut mihi verba deeſſent? *Cic.*
Vnum neſcio, gratuler, *ne* tibi *an* timeam. *Cic*
Parthi tranſierint *nec ne*, præter, te video dubitare neminem. *Cic.*

NEC. NEQVE.

Non.] *Nec* opinatum patrocinium a vobis eſſe ſuſceptum. *Cic.*

Iteratum.] Nulla enim vitæ pars, *neque* publicis, *neque* privatis, *neque* forenſibus, *neque* domeſticis in rebus, *neque* ſi tecum agas quid, *neq;* ſi cum alio contrahas, vacare officio poteſt. *Cic.* Medius fidius, præ lachrymis poſſum reliqua *nec* cogitare, *nec ſcribere. Cic.*

Neque opibus ſatis firmi, *nec* voluntate ſunt. *Cic.*

Homo, *nec* meo judicio ſtultus, & ſuo valde prudens. *Cic.*

Neque Reſp. Coſſ. haberet, *ſed* mercatores provinciarum. *Cic.*

Casſius ineptas literas miſit, *nec dum* Bibuli erant allatæ. *Cic.*

Neque enim ſunt iſti audiendi. *Cic.*

Neque vero hoc ſolum dixit, ſed ipſe & ſenſit, & fecit. *Cic.*

Indiſſolubiles vos quidem eſſe non poteſtis, *neutiquam* tamen diſſolvemini. *Cic.*

NEMO.

Ne unus.] Quia *nemo unus* ſatis dignus regno viſus eſt. *Cæſ.*

Vllus.] Contigit enim tibi, quod haud ſcio *an nemini. Cic.*

Nemo eſt, *quin* cogitet, quam ſit metuendus iratus victor armatus. *Cic.* Adhuc *neminem* novi Poëtam, *qui* ſibi *non* optimus videretur. *Cic.*

O populares, & quis vivit me hodie fortunatior? *Nemo* hercle *quisquam. Ter.*

Neminem hominem pluris facio. *Cic.*

Non nemo etiam in illo ſacrario Reip. in ipſa inquam curia, *non nemo* hoſtis eſt. *Cic.* Quo-

Quorum *nemo* conſularis habitus, *niſi* qui animo extitit in Remp. conſulari. *Cic.*

Sed hæc *præter me nemini* videntur. *Cic.*

NEMPE.

Certe, ſcilicet.] Sed effugi inſidias: *nempe* in conſpectum Antonii veniendum eſt. *Cic.*

Nonne?] *Nempe negas* ad beatam vitam ſatis eſſe virtutem? *Cic.*

Approbantis.] Apud Archilochum ego ero argentarium. D. *Nempe* in foro. *Plaut.*

NIHIL.

Non.] Beneficio iſto legis, *nihil utitur. Cic.*

Nihil video, quod timeam, *niſi* quod omnia ſunt incerta. *Cic.*

Cum Valerio *nihil, præterquam* de Lege loqueretur. *Cic.*

Nihil dicam *aliud, niſi* verebor, ne quando tibi ego moleſtus ſim. *Cic.*

Agitur enim in hac cauſa, Quirites, *nihil aliud, quã* ut nullum ſit poſthac in Republ. conſilium. *Cic.*

Ad eas ego literas *nihil* ſcripſi, *ne* gratulandi *quidem* cauſa. *Cic.*

Nihil prætermiſi quadam epiſtola, *quin* enucleate ad te perſcriberem. *Cic.*

Conſiderare debes, *nihil* tibi eſſe committendum, *quamobrem* eorum, quos laudas, non te ſimilem præbeas. *Cic.*

Mihi quidem *nihil* in mentem venit, *quare* id putem fieri poſſe. *Cic.*

Nihil minus velim, *quam* Pomponiam & puerum verſari in timore ruinæ. *Cic.*

Tyronem ægrum Patris reliqui, adoleſcentem probum, *nihil* vidi *melius*. *Cic.*

Nihil mihi *potius* fuit, quam ut Maſiniſſam convenirem. *Cic.*

Vt omnes intelligerent, *nihil* ſibi *antiquius* amicitia noſtra fuiſſe. *Cic.*

Nihilo beatior Jupiter quam Epicurus, demta æternitate. *Cic.*

Sed ea ſumitis, quibus conceſſis, *nihilo magis* efficitis, quod vultis. *Cic.*

Legati proficiſcantur, bella *nihilominus* parentur. *Cic.*

NIMIRVM.

Certe. Videlicet. Scilicet.] *Sed nimirum* majus eſt hoc quiddã, quam homines opinantur. *Cic.* Hæc enim eſt tyrannorum vita, *nimirum* in qua nulla fides. *Cic.*

NIMIVM.

Nimis.] Verbis efferveſcentibus, & paulo *nimium* redundantibus. *Cic.*

Sed differre inter honeſtum & turpe *nimium quantum* neſcio quid immenſum. *Cic.*

Sed quia *nimio plus* te diligo. *Cic.*

NISI.

Cum indicativo.] Domitius (*niſi* me omnia fallunt) de ſe incredibiliter pertimuit. *Cic.*

Præter.] Negat enim quenquam virum bonum eſſe, *niſi ſapientem. Cic.* Sed hoc primum ſentio, *niſi in bonis* amicitiam eſſe non poſſe. *Cic.*

Cum Patrono Epicureo mihi omnia ſunt, *niſi quod* in Philoſophia vehementer ab eo diſſentio. *Cic.*

Quid eſt aliud, quod nos Patroni facere debeamus, *niſi ut* eos, qui inſectantur, repellamus. *Cic.*

Niſi ſi id eſt, quod ſuſpicor, aliquid monſtri alunt. *Ter.*

Ter. Niſi ſi me in illo credidiſti eſſe hominum numero. *Ter.*

Niſi quis nos Deus reſpexerit. *Cic.*

Quoniam tu,*niſi* perfecta re,de me *non* conquieſti, *Cic.* Juravit,ſe *niſi* victorem,in caſtra *non* rediturum. *Cæſ.*

Niſi forte volumus Epicureorum opinionem ſequi. *Cic.*

NON.

Non infrequens. Nemo non vult. Non ultima laus.

Non valuit rebus iisdem, quibus forte nonnulli: *at* valuit aſſiduitate,*at* valuit ſervandis amicis, valuit liberalitate. *Cic.*

Tum poteramus deliberare,*non* quidem integra re,*ſed certe* minus fracta.*Cic.*

Magna querela, & gemitu, *non dicam* bonorum, *ſed* plane omnium hominum. *Cic.*

Non quin conſiderem diligentiæ tuæ, *ſed* rei me magnitudo movebat. *Cic.*

Non quin ab eo ipſe disſentiam, *ſed quod* ea te ſapientia eſſe judicem. *Cic.*

Nunquam quicquam meo animo ægrius fuit. *Plaut.* *Nusquam quisquam* blandior. *Ter.*

Non quod ſola exornent, ſed quod excellant. *Cic.*

Non quo illa Lælii quicquam ſit dulcius, *ſed* multo tamen vetuſtior & horridior ille, quam Scipio. *Cic.*

Non quo ego certo ſcirem, *ſed quod* non difficilis erat conjectura. *Cic.*

Quam ut conſerves,*non quod* de tua conſtantia dubitem,*ſed quia* mos eſt ita rogandi,rogo. *Cic.*

Non quo haberem magnopere, quod ſcriberem, *ſed ut* loquerer tecum abſens. *Cic.*

Non ſi Opimium defendiſti Carbo, *idcirco* te iſti civem bonum putabunt. *Cic.*

Noſtra autem civitate *non ita pridem* dominatu regio liberata. *Cic.*

Amicus Cæſari ſum, *non autem* aſſentator. Itaque mihi venire in mentem nihil poteſt, *non modo* quod ſperem, *ſed vix* jam quod audeam optare. *Cic.*

Qui omnibus negotiis *non* interfuit *ſolum*, *ſed* præfuit. *Cic. Non ſolum* fortuna cæca eſt, *ſed* eos etiam plerunque efficit cæcos, quos complexa eſt. *Cic.*

Non poëta *ſolum* ſuavis, *verum etiam* cæteroquin doctus. *Cic.*

Dies *non modo non* levat luctum hunc, *ſed etiam* auget. *Cic.* Tu id *non modo non* prohibebas, *verum etiam* approbabas. *Cic.*

Nullam partem tuorum meritorum, *non modo* referenda, *ſed* ne cogitanda quidem gratia, conſequi poſſum. *Cic.*

Cujus rei *non modo non* præteriit tempus, *ſed ne* maturũ *quidem* etiam nunc, meo judicio fuit. *Cic.*

Mihi *non modo* iraſci graviſſima injuria accepta, *ſed ne* dolere quidem impune licet. *Cic.*

Nihil prætermiſſum, quod haberet ſapientem excuſationem, *non modo* probabilem. *Cic.*

Secundas etiam res, *non modo adverſas*, pertimeſcebam. *Cic.*

Vultus ſuos mihi expreſſit omnes, *non ſolum* animum ac verba protulit. *Cic.*

Non eadem vobis & illis, neceſſitudo impendet. *Cic.*

Non habeo, quod accuſem ſenectutem. *Cic.*

Multa tibi memores, *nil non* debemus Eliſæ. *Ovid.*

NVL-

NULLUS.

Non.] Memini,tametſi *nullus* moneas.*Ter.* Philotimus non modo *nullus* venit, ſed ne per literas quidem,aut per nuncium,certiorem me fecit. *Cic.*

Nullius momenti.] Ex eo tempore,vir ille ſummus, Imperator *nullus fuit*. *Cic.* Igitur Titias & Apuleias leges,*nullas putas? Cic.*

Perire.] Nolite putare,me,cum a vobis diſceſſero, nusquam aut *nullam fore*. *Cic.* *Nullus ſum*. *Ter.*

Separatum.] *Nec* inſipientia *ullum* majus malum eſt. *Cic.*

Nullus eſt igitur numerus extra poëticos. *Cic.*

Ad quas literas tibi reſcribi velis,neſcio , *nullas* enim acceperam,*præter* eas. *Cic.*

Dies fere *nullus* eſt,*quin* hic Satyrus domum meam ventitet. *Cic.*

NUNC.

Modo.] Vidi nuper, & *nunc videbam* de ea re. *Cic.* *Nunc jam* ſum expeditus.*Cic.*

Autem.] Nam bona facile mutantur in pejus: *nunc* quando in bonum vertetis vitia. *Quintil.*

Hoc ipſo momento.] *Nunc ipſum* ſine te eſſe non poſſum. *Cic.*

Sed.] Quæ quidem multo plura evenirent , ſi ad quietem integri iremus: *nunc* onuſti cibo & vino,confuſa & perturbata cernimus. *Cic.*

Sineres *nunc* facere,*dum* per ætatem licet. *Ter.*

Tu illum animum *nunc* adhibe quæſo, quo me *tum* oportere eſſe cenſebas. *Cic.*

Si hoc non apud cives Rom. ſi ad ſaxa & ſolitudines conqueri ac deplorare vellem , tamen commoverentur. *Nunc vero* cum loquar apud Senatores Pop. Rom. *Cic.*

Num.

Num cenſes Ennium dixiſſe? *Cic.*

Deum ipſum *numne* vidiſti? *Cic.*

Numnam aſpicis quæ in templa veneris? *Cic.*

Numqua trepidatio? *num qui* tumultus? *num quid* niſi moderate? *Cic.*

Cum me ſpectans e ſua villa, *nunquid vellem?* rogaſſet. *Cic.* Te puto ſæpe habere, qui *nunquid* Romam *velis?* quærant. *Cic.*

Num quidnam hic quod nolis, vides? *Ter.*

Nunquid præterea? Cic.

Nunquam.

Nullam pecuniam *ullus* mihi dedit. *Cic.*

Nunquam dum ego adero, hic te tanget. *Ter.*

Nunquam niſi honorificentiſſime Pompejum appellet. *Cic.*

Nunquam unum intermittit diem, *quin* ſemper veniat. *Ter.*

Exiſtit autem hoc loco quæſtio ſubdifficilis, *nunquando* amici novi, digni amicitia, veteribus ſint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere ſolemus? *Cic.*

Separatum.] *Nec* enim *unquam* bono quicquam mali evenire poteſt, nec vivo, nec mortuo: nec unquam ejus res a Diis immortalibus negliguntur. *Cic.*

Nusquam.

Nullo in loco.] Nolite arbitrari, me, a vobis cum diſceſſero, aut *nusquam*, aut nullum fore. *Cic.*

Spes libertatis *nusquam*, *niſi* in veſtrorum caſtrorum præſidiis eſt. *Cic.*

O.

Appellantis.] *O mi Fanni*, quam tu cauſam ſuam non noſti!

Admi-

Admirantis.] O *conſuetudo* peccandi, quantam habes jucunditatem, in improbis & audacibus. *Cic.*

Indignantis.] O incredibilem *audaciam*! o impudentiam prædicandam! *Cic.*

Dolentis.], O ſpectaculum *miſerum* atque acerbum! *Cic.*

Lætantis.] O *factum bene*! beaſti me. *Ter.* O *gratas* tuas mihi jucundasque literas! *Cic.*

Optantis.] O mihi præteritos referat ſi Jupiter annos. *Virg.*

Optati adventus.] O *ſalve*, o Pamphile. *Ter.* O mea opportunitas, o mea commoditas, ſalve. *Plaut.*

Implorantis.] O nomen dulce libertatis, o jus eximium noſtræ civitatis! *Cic.*

Exſecrantis.] O *ſcelus*, o portentum, in ultimas terras aſportandum. *Cic.*

Irridentis.] O *præclarum* cuſtodem ovium, ut ajunt, lupum. *Cic.*

Ob.

Propter.] Quanto illud flagitioſius, eum a quo *ob* abſolvendum pecuniam acceperis, condemnare? *Cic.*

Ante.] Mihi *ob oculos* exitium verſatur. *Cic.*

Olim.

Jam a longo tempore.] *Olim jam* Imperator, inter fulgentes virtutes tuas, livor locum quærit. *Cic.*

Si ullæ eſſent neceſſariæ literæ, ut erant *olim cum* brevioribus diebus, tamen reſpondebam tempore tabellarii. *Cic.*

Olim cum honeſte potuit, *tum* non eſt data, nunc viduam extrudi, turpe eſt. *Ter.*

Omnis.

Totus.] Sanguinem *omnem* profundere mater cupit. *Cic.*

Ite-

literatum.] Non *omnia* poſſumus *omnes.Virg.* Ex *omnibus omnium* flagitiis, nullum turpius vidi, nullum audivi. *Cic.*

Non *omnem* frugem, neque arborem, in *omni agro* reperire poſſis. *Cic.*

OMNINO.

Tantummodo.] Quinque *omnino* fuerunt, qui illum abſolverunt. *Cic.*

Prorſus.] Epulabar cum ſodalibus, *omnino modice. Cic.*

Vllo modo.] Mihi per difficile eſt, contra tales Oratores, non modo tantam cauſam perorare, ſed *omnino* verbum facere conari. *Cic.*

Nimirum.] Aptiſſima *omnino* ſunt arma ſenectutis, artes. *Cic. Omnino omnis* eruditionis expers. *Cic. Omnino omnia* ſe facturum recepit. *Cic.*

Omnino, aut magna ex parte liberatus. *Cic.*

Vix, aut *omnino* non poſſe fieri. *Cic.*

PAR.

Abſolute] Cui celeritati *par nulla*, ne cogitari quidem poteſt. *Cic.* Aut *par*, aut certe proximus ſum illi. *Cic.* Gracchus ſi vixiſſet, eloquentia neſcio, an habuiſſet *parem* neminem. *Cic.*

Æquum eſt.] Mihi dubitanti, quid me facere *par ſit. Cic.*

Sufficimus.] Sed adhuc *pares* non *ſumus.Cic.*

Nec mihi *par cum* Lucio ratio eſt. *Cic.*

Si *parem* ſapientiam hic habet, *ac* fortunam. *Plaut.*

PARITER.

Æque.] Quam *pariter* uti his decuit, aut etiam amplius. *Ter.*

Vir omni vita *pariter* Patribus *ac* plebi charus. *Cic.* Vultu, colore, *ac* motu corporis *pariter*, atque animo varius. *Sal.* *Pari-*

Pariter hoc fit, *atque ut* alia facta ſunt. *Plaut.*
Et vixiſſe cum Rep. *pariter* , & *cum* illa extinctus eſſe videatur. *Cic.*

PARVM.

Omnibus in rebus magis offendit nimium, *quam parum. Cic.*
Non ſatis.] Nemo *parum* diu vixit , qui virtutis perfectæ functus eſt munere. *Cic.*
Sed *parumne eſt, quod* omnibus nunc nobis ſuccedet ſenex. *Ter.*

PARVMPER. PAVLISPER.

Tempus.] *Parumper* conticuit, & a cæteris ſilentium fuit. *Cic.*
Dum exeo *parumper*, operire hic. *Ter.*
Abeſſe domo *paulisper* maluit, quam illud optime cælatum argentum amittere. *Cic.*
Paulisper dum ſe uxor (ut fit) comparat, moratus eſt. *Cic.*

PER.

Perſona.] Nihil intereſt, utrum *per procuratorem* agas, an *per teipſum. Cic.*
Beneficio.] Romæ vos eſſe tutos poſſe, *per Dolabellam. Cic.*
Sine alterius ope.] *Per ſeipſa* ſplendet virtus ſemper, neq; alienis unquã ſordibus obſoleſcit propter præſtantiam ſui. *Cic.* Amicitia *per ſe*, & propter ſe expetita. *Cic.*
Tempus.] Duo fratres *per* idem *tempus* diſſimiles inter ſe. *Cic.*
Modus.] *Per* ſummum *dedecus* vitam amittere. *Cic.* *Per ludum* ac negligentiam, ad honores pervenire. *Cic.*
Ob ætatem.] Neque ſciebat, neque *per ætatem* etiam

am poterat. *Ter.* Vt primum *per ætatem* judicium facere potueris. *Cic.*

Propter.] Per iram aliquid facere, quod nos pœniteat. *Cic.*

Obſecrantis.] Sed propera *per Deos. Cic. Per Deum* immortalium fidem. *Cic.*

Concedentis.] *Per me* vel ſtertas licet. *Cic.*

Cum *per valetudinem*, & anni tempus navigare poteris, ad nos veni. *Cic.*

Per ſimulationem. Per ſpeciem. Per cauſam. Fratris filiæ Rheæ Sylviæ, *per ſpeciem* honoris (cum Veſtalem legiſſet) perpetua virginitate ſpem partus ademit. *Liv.*

Per otium. Cic.

PERINDE.

Æque ita.] Philoſophia non *perinde ac* de hominum eſt vita merita, laudatur. *Cic.* Quæ perdifficilia ſunt, *perinde* habenda ſunt, *ac ſi* effici non poſſint. *Cic.*

Pariter.] Funus Rufi, clariſſimi, & *perinde feliciſſimi. Cic.*

Prout.] Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem ſententia magnum, ſed *perinde* erit, *ut* acceperis. *Cic.*

Ironia.] *Perinde* quaſi Appius ille cæcus, viam munierit, non qua populus uteretur, ſed ubi impune ſui poſteri latrocinarentur. *Cic.*

Perinde valebit, *quaſi* armatisſimi fuerint. *Cic.*

PROINDE. PROIN.

Proinde fac, magnum animum habeas. *Cic.*

Proin tu, dum eſt tempus, etiam atque etiam cogita. *Ter.*

PLANE.

Clare.] Sed tu dixiſti iſtud bene latine, parum *plane. Cic.*

Ex-

Explicari mihi tuum conſilium *plane* volo, ut intelligam. *Cic.*

Certe.] Ipſane ea eſt? Sed imo *plane* eſt. *Plaut.*

Omnino.] Si te habebo, non mihi videbor *plane* periiſſe. *Cic.*

PLUS.

Cum Nominativo.] *Plus quinquaginta* hominum ceciderunt. *Liv.*

Cum Accuſativo.] Aberat acies eorum paulo *plus quingentos* paſſus. *Liv.*

Cum Ablativo.] Moleſtum eſt, uno *digito plus* habere. *Cic.* Ac tecum *anno plus* vixit. *Cic.*

Cum Genitivo.] Ab urbe paulo *plus viginti millium* exercitus fuit. *Liv.*

Quem mehercule *plus plusque* indies diligo. *Cic.*

Eis *plus* frumenti imperabatur, *quam* quantum exararant. *Cic. Plus* modo vidiſſe videntur, *quam quantum* noſtrorum ingeniorum acies intueri poteſt. *Cic.*

Ne *plus æquo* quid in amicitia congeratur. *Cic.*

PORRO.

Deinde.] Hominibus, & natura, & conſuetudine, & diſciplina leviſſimis: *porro* autem Populi Romani conditione ſociis, fortuna ſervis. *Cic.*

Autem.] *Age porro* tu, qui te tam religioſum exiſtimari voluiſti interpretem fœderum. *Cic.*

Valde.] Sæpe a majoribus natu audivi, quod ſe *porro* pueros, a ſenibus audire dicebant. *Cic.*

POST.

Tempus præteritum.] Mea domus, quam Senatus unam, *poſt* hanc urbem conſtitutam, ex ærario ædificandam putavit. *Cic.*

Longe autem *poſt homines natos* improbiſſimus. *Cic.*

Poſt genus hominum natum, pauci reperti ſunt. *Cic.*

Quod

Quod nemo unquam *poſt hominum memoriam* fecit. *Cic.*

Poſt diem quartum *quam* ab urbe discesſimus. *Cic.*

Paucis *poſt diebus*, quam Luca diſceſſerat. *Cic.*

Postea.

Cedo, quid *poſtea*? *Cic.*

Poſteaquam de meo curſu Reip. ſum voce revocatus. *Cic.*

Poſtea vero quam ita cœpit. *Cic.*

Poſt ubi contagio, quaſi peſtilentia urbem invaſit. *Sal.*

Poſtquam introii, *extemplo* ejus morbum cognovi miſer. *Ter.*

Posterius.

Poſtea.] Ipſe enim Thucydides, ſi *poſterius fuiſſet*, & maturior eſſet, & mitior. *Cic.*

Poſterius, inquit, iſta videbimus, nunc &c. *Cic.*

Posthac.

Scribam *poſthac* ad te planius. *Cic.*

Præ.

Ante.] Hic qui ſtillantem *præ ſe* pugionem tulit. *Cic.* Noli quæſo *præ te ferre*, vos plane expertes eſſe doctrinæ. *Cic.*

Cum Poſitivis.] Præpotens, præclarus, præfulgens, prædives, prælargus, prælongus.

Comparatio.] Hic ego illum contempſi *præ me.* *Ter.* Vt neminem, *præ ſe* hominem putet. *Cic.*

Propter.] *Præ gaudio*, ita me Dii ament, ubi ſum neſcio. *Ter.* Neq; miſer commovere me poſſum *præ formidine*. *Plaut.* *Præ cura* jocari non poteram. *Cic.* Non medius fidius *præ lacbrymis* poſſum reliqua nec cogitare nec ſcribere. *Cic.*

Ludum

Ludum jocumque dices fuiſſe illum alterum, *præ ut* hujus rabies quæ dabit. *Ter.*

PRÆTER.

Ante.] *Præter* ripam euntibus, Galli Matris Magnæ, a Peſſinunte occurrere. *Liv.*

Extra.] Multa autem impendere videbantur, *præter naturam, præterque* fatum. *Cic.* Quod quoniam *præter opinionem* mihi acciderat. *Cic. Præter ſpem*, ſi quid erit, facies ut ſciam. *Cic.*

Exceptive.] Omnibus ſententiis *præter unam*, Scamander damnatus eſt. *Cic.*

Supra.] Teſtis eſt Phalaris, cujus *præter cæteros* eſt nobilitata crudelitas. *Cic.*

Hunc unum ab hoſtibus metui, *præterea* neminem, *Cic.*

Pro tantis rebus, nullum a vobis præmium poſtulo, *præterquam* hujus diei memoriam ſempiternam. *Cic.*

Ego me in Cumano & Pompejano *præterquam quod* ſine te, cæterum ſatis commode oblectavi. *Cic.*

At id, *præterquam quod* fieri *non* potuit, ne fingi quidem poteſt. *Cic.*

PRIDIE. POSTRIDIE.

Poſt.] Si me in Tuſculano *poſtridie Nonas* mane convenerint. *Cic.*

Ante.] *Pridie* Idus, Nonas.

Poſtridie intellexi, *quam* a vobis diſceſſi. *Cic.*

Poſtridie ejus diei villicum vocat. *Cato.*

PRIMUM. PRIMO.

Primum, fere ad ordinē pertinet, *Primo*, ad tempus.

Primum, ut monitio acerbitate, *deinde*, ut objurgatio contumelia careat. *Cic.*

Quæ *primum* bene parata ſit; *tum* quamplurimis ſe

utilem præbeat; *deinde* augeatur ratione, diligentia, parſimonia. *Cic.*

Primum mihi videtur de genere belli, *deinde* de magnitudine, *tum* de Imperatore deligendo eſſe dicendum. *Cic.*

Primum, ut te tanto intervallo viderem, *deinde*, ut tibi poſſem præſens gratulari, *tum*, ut quibus de rebus vellemus, inter nos communicaremus, *poſtremo*, ut noſtra amicitia confirmaretur vehementius. *Cic.*

Et ipſa charitas generis humani ſerpſit ſenſim foras; cognationibus *primum*, *tum* affinitatibus, *deinde* amicitiis, *poſt* vicinitatibus, *tum* civibus, *deinde* totius complexu gentis humanæ. *Cic.*

Primo, omiſſum.] Quinque faciunt quaſi membra eloquentiã: invenire quid dicas, inventa diſponere, *deinde* ornare verbis, *poſt mandare* memoriæ, *tum ad extremum, agere* & pronunciare. *Cic.*

Abſolute.] *Primum* ipſe ego Muſas nunquam tanti putaſſem. *Cic.*

Ea igitur *primo*, neque id ipſum diu, quomodo poterat, in illa cupiditate continebatur, *deinde* ita flagrare cœpit amentia, ut eam non pudor &c. *Cic.*

Primo altero, tertio, denique reliquis conſecutis diebus. *Cic.*

Priora tempora, in ruinis Reip. noſtriſque jacuerunt. *Cic.*

Pro.

Ante.] Illa præſidia quæ *pro templis* omnibus cernitis. *Cic.*

In.] Laudati quoque *pro concione* omnes. *Liv.*

Vice.] Vnus Cato mihi eſt *pro* centum *millibus*. *Cic.*

Pro.

Pro nihilo putare, ducere, habere, eſſe.

Pro, i. e. *Si ſpectes, in comparatione.*] Quid mihi *pro expectatione* populi Rom. *pro* Cn. Pompeji *meritis*, *pro* ratione mei temporis faciendum fuerit. *Cic.*

Secundum.] Ego vos *pro* mea ſumma & vobis cognita in Remp. *diligentia* moneo, *pro autoritate* conſulari hortor, *pro magnitudine* periculi obteſtor. *Cic.* *Pro tempore.* *Pro* loco.

Quantum unus vir poteſt.] Tum me ejus beneficio plus quam *pro virili parte*, obligatum puto. *Cic.*

Propter.] Vt *pro* hujus peccatis ego ſupplicium ſufferam. *Ter.* Miſi, qui *pro vectura* ſolveret. *Cic.*

Hoc non modo *pro* me, ſed contra me eſt potius. *Cic.*

Tum deprecabitur a vobis, tum etiam *pro ſuo* jure contendet, *ne &c. Cic.*

Pro re pauca loquar. *Virg.* *Pro* re nata. *Pro* opibus.

Pro ſua quisque *facultate* parant. *Cic.* *Pro* mea, tua, ſua parte.

Pro ſe quisque aurum, argentum, & æs publicum conferunt. *Liv.*

Qui intervallis conjuncti imparibus, ſed tamen *pro rata portione* diſtinctis. *Cic.*

Pro eo, ut temporis difficultas, aratorumque penuria tulit. *Cic.*

Equidem *pro eo quanti* te facio, quicquid feceris approbabo. *Cic.*

Quod erit ejusmodi, ut ſi a Cæſare, quod ſperamus, impetraverimus, tuo beneficio nos id conſecutos eſſe judicemus: ſin minus, *pro eo tamen* jam habeamus. *Cic.*

Proh Dii immortales, tantum ne unius hominis incredi-

credibilis ac divina virtus lucis afferre Reip. potuit? *Cic.* Prope.

Juxta.] Vt non modo *prope me*, ſed plane mecum habitaret. *Cic.*

Non procul.] *Prope a* meis *ædibus* ſedebas. *Cic.*

Sine Caſu.] Nemo audet *prope* accedere. *Plaut.*

Parum abfuit.] *Propius nihil eſt factum*, quam ut occideretur. *Cic.*

Non longe abeſt.] *Prope adeſt*, cum alieno more vivendum eſt mihi. *Ter.*

Proxime antecedens.] Qui *anno proximo* Legati fuerunt. *Cic.*

Sequens.] Hunc *proximo ſeculo* Themiſtocles inſequutus eſt: *Cic.*

Ordo.] Ad hanc rationem natura vim maximam habet, fortuna *proximam. Cic.*

Cognatio.] Tyranno occiſo, quinque ejus *proximos* cognatione, magiſtratus necat. *Cic.*

Cum accuſativo.] Cum *proxime Romam* veniſti. *Cic.* *Proxime terram* ambit Lunæ curſus. *Cic.* *Propius Pompejum ſedebam. Cic.*

Maxime.] Vt *proxime* ad noſtram diſciplinam illam veterem, non hanc, quæ nunc increbuit, videantur accedere. *Cic.*

Noviſſime.] In iis literis, quas *proxime* a te *accepi. Cic.*

Sapientisſimus eſt, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem, *proxime* accedit, qui alterius bene inventis obtemperat. *Cic.*

Non poſſum non aut *proxime atque* ille, aut etiam æque laborare. *Cic.*

Jam *prope erat*, ut in ſummum clivum evaderent. *Liv.*

Quod eo melius cernere mihi videor, quod ab ea (morte) *propius abſum. Cic.* Cras-

Craſſo & Antonio L. Philippus *proximus* accedebat. *Cic.*
Somnia a vino & *a cibis proxime. Plin.* Qui præfectus claſſis, *proximus poſt* Lyſandrum fuit. *Cic.*

PROPTER.

Ob.] Tyronem *propter humanitatem*, & modeſtiam, malo ſalvum, quam *propter* uſum meum. *Cic.* Virtus per ſe, & *propter ſe* expetenda. *Cic.*
Prope.] In Pratulo, *propter* Platonis *ſtatuam* conſedimus. *Cic.* Duo filii *propter* patrem *cubantes. Cic.* Hic vir Clariſſimus qui *propter te ſedet. Cic.*
Propterea ſcripſi, ut me non ſine cauſa laborare intelligeres. *Cic.*
Si notionem veri & falſi, *propterea quia* non poſſint internoſci, nullam habemus. *Cic.*

QVA.

Per quem locum.] Ipſe in templum, neſcio *qua* per cuniculum aſcendit. *Cic.*
Tum, tum.] Topiarium laudavi, ita omnia conveſtivit hedera, *qua* baſin villæ, *qua* intercolumnia ambulationis. *Cic.*
Per quemcunque locum.] *Quacunque* iter fecit, ejusmodi fuit, ut non legatus Pop. Romani, ſed ut quædam calamitas pervadere videretur. *Cic.*

QVALISCVNQVE.

Sed homines benevolos, *qualescunque* ſunt, grave eſt inſequi contumelia. *Cic.*
Qualescunque ſummi civitatis viri ſunt, *talis* eſt civitas. *Cic.*

QVAM.

Abſolute.] Septimo die *quam* profectus erat. *Liv.* Octavo menſe *quam* cœptum oppugnari, captum Saguntum. *Liv.*

Cum ſuperlativo.] An eſt mi Cicero, quod ego malim, *quam* te *doctiſſimum* eſſe? *Cic.* Commodiſſimum eſt, *quam laxiſſimas* habere habenas amicitiæ. *Cic.*

Optantis.] *Quam vellem* domi manſiſſes. *Cic.*

Admirantis.] *Quam non* eſt facilis virtus. *Cic.*

Quantum.] Hic *quam velit*, Epicurus jocetur. *Cic.*

Quam ut.] Longe Ariſtoteli videtur ſecus, qui judicat heroum numerum grandiorem, *quam deſideret ſoluta oratio. Cic.*

Inter duo comparativa.] Non quia *eloquentius quam verius*, ſed quia liberius, ideoque licentius ſcribitur. *Plin. Jun.*

Inter duo ſubſtantiva.] Severus, *verſificator quam poëta* melior. *Cic.*

Poſtpoſitum comparativo.] Morbi *pernicioſiores*, pluresque ſunt animi, *quam* corporis. *Cic.* Diſcipuli *libentius* præcipientem audiunt, *quam* reprehendentem. *Quintil.*

Quam tu filium tuum, *tam* pater me meus deſiderat. *Plaut.*

Quorum *quamdiu* manſit imitatio, *tamdiu* genus illud dicendi ſtudiumque vixit. *Cic.*

Quæſo, *quampridem* Fanni, hoc nomen in adverſaria retuliſti? *Cic.*

Poſtero ergo die *quam* illa erant acta. *Cic.*

Quatuordecim annis *poſt*, prætor eſt factus *quam* Conſul Mummius. *Cic.*

Dico igitur, & *quam maxima poſſum* voce dico. *Cic.* Convivium ad multam noctem, *quam maxime poſſumus*, vario ſermone producimus. *Cic.* Aves nidos conſtruunt, eosque *quam poſſunt*, molliſſime ſubſternunt. *Cic.*

Iis

Iis plus frumenti imperabatur, *quam quantum* exaraverant. *Cic.*

Sed hoc majus eſt quiddam, *quam ut* ab iis poſtulandum ſit. *Cic.* Hæc ſunt dicta ſubtilius, *quam ut quivis* ea poſſit agnoſcere. *Cic.* Hoc eſt altius, *quam ut* nos humi ſtrati, perſpicere poſſimus. *Cic.*

Defendere quidem reos, *quam* facere, vir bonus *mallet. Quintil.*

Multa præclara in eo viro cognovi, ſed nihil eſt admirabilius, *quam quomodo* ille mortem Marci filii tulit. *Cic.*

QVANDO.

Tempus.] *Quando* me iſta curaſſe arbitramini? *Cic.*

Quoniam.] Quam, *quando* complexus & tenes. *Cic.*

QVANQVAM.

Abſolute.] *Quanquam* ille quidem nihil difficilius eſſe dicebat, quam amicitiam usque ad extremum vitæ diem permanere. *Cic.*

Quanquam egregios Conſules habemus, *ſed* turpiſſimos Conſulares. *Cic.*

Quanquam ſunt omnes virtutes æquales & pares, *ſed tamen* eſt ſpecies alia magis alia formoſa & illuſtris. *Cic.*

QVAMVIS.

Quantumvis.] Quidvis facere in ejusmodi rebus, *quamvis* callide, *quamvis* audacter, *quamvis* impudenter. *Cic.*

Quamvis non fueris impulſor & ſuaſor profectionis meæ, approbator *certe* fuiſti. *Cic.*

QVANTVM.

Abſolute.] Quamobrem, tu *quantum* tuo judicio tribuendum eſſe putes, ſtatues ipſe. *Cic.* Ego

quantum auguror conjectura, non deſpero fore aliquem. *Cic.*

Extenuatio.] Nos qui jam, & quid facere, & *quantulum* judicare poſſemus, oſtendimus. *Cic.*

Quantum in me, in te, in ipſo eſt.

Nam, nomen civium Romanorum, *quantum in ipſis* fuit, ſuſtulerunt. *Cic.*

Quamobrem, Quirites, conſilio *quantum potero*, labore plus pæne quam potero, vigilabo pro vobis. *Cic.*

Sed tamen quicquid erit in his libellis, *quantulumcunque* videbitur eſſe, hoc quidem certe manifeſtum erit. *Cic.*

Quantum me diligis, *tantum* adhibe diligentiæ. *Cic.* Neque enim *tantopere* deſiderabam, *quantopere* delector. *Cic.* Dici non poteſt, *quantopere* gaudeant. *Cic.*

QVASI.

Tanquam.] Philoſophia laudandarum omnium artium procreatrix quædam, & *quaſi* parens. *Cic.* Sic eas exponam, *quaſi* agatur res, non *quaſi* narretur. *Cic.*

Non ſecus ac.] Vt *quaſi* aurum igne, ſic benevolentia fidelis, periculo aliquo perſpici posſit. *Cic.* Literas Græcas ſic avide arripui, *quaſi* diuturnam ſitim explere cupiens. *Cic.*

Verba tua eo tendunt.] *Quaſi tu dicas*, me te velle argento circumducere. *Plaut.*

Ironia.] *Quaſi vero* id cupiditate defendendæ nobilitatis, aut ſtudio partium fecerit. *Cic.*

Fere.] Quantulus vobis videtur? mihi quidem *quaſi pedalis*. *Cic.*

QVATENVS.

Ad quem terminum.] In omni re videndum eſt

quate-

quatenus, etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium, quam parum. *Cic.* Eſt enim *quatenus* amicitiæ dari venia poſſit. *Cic.*

Qua ex parte.] Poſtulatum eſt, ut Bibuli ſententia divideretur: *quatenus* de religione dicebat, Bibulo aſſenſum eſt. *Cic.*

QVEMADMODVM.

Quomodo.] Velim cogites, *quemadmodum* bibliothecam nobis conficere poſſis. *Cic.*

Vt *quemadmodum* gubernatores optimi vim tempeſtatis, *ſic* illi fortunæ impetum, ſuperare non poſſent. *Cic.*

Nunquam laborant, *quemadmodum* probent quod dicunt, *ſed* quemadmodum ſe explicent dicendo. *Cic.*

QVIS QVI.

Qui, pro Quis, ſed raro.] Qui tantus fuit labor? quæ ſimultas? *Cic.*

Vt.] Nec ſum tam inſolens, *qui* me Jovem eſſe dicam. *Cic.*

Qualis.] Sed illum eum eſſe puto, *qui* eſſe debet. *Cic.*

Aliquis.] Niſi *quis* nos Deus reſpexerit. *Cic.*

Subjicitur.] *Roget quis*, quid tibi cum illa? *Ter.*

Nempe qui.] Maluimus iter facere pedibus, *qui* incommodiſſime navigaſſemus. *Cic.*

Quantum.] Tu velim (*quod cōmodo valetudinis tuæ* fiat) quam longiſſime poteris, nobis obviā properes. *Cic.* Quæ tibi mandavi, velim (ut ſcribis) cures, *quod ſine moleſtia* tua facere poteris. *Cic.*

Quantum ad id quod.] *Quod ad me ſcribis* de Hermathena, mihi gratiſſimum eſt. *Cic.*

Quo cum.] Nemo eſt omnium *qui cum* potius mihi, quam tecum communicandum putem. *Cic.*

Quomodo.] *Qui poſſumus* Deum non niſi ſempiternum intelligere? *Cic.*

Imminuit.] Orator ſi modo ſum, aut etiam *quicunq;* ſum. *Cic.*

Quantacunque.] *Quæcunque* in equite Romano dignitas eſſe poteſt. *Cic.*

In quo.] *Quid* tibi tantum malum feci? quid offendi? *Quint.*

Cur.] *Quid ita*? *Plaut. Quid quæris*? num ad privata redeam? *Cic.*

Quis clarior in Græcia Themiſtocle? *quis* potentior? *Cic.*

Nego jus eſſe *qui* miles non ſit, pugnare cum hoſte. *Cic.*

Sic ad nos confirmatus revertere, ut *quam* expectationem tui concitaſti, *hanc* ſuſtinere ac tueri poſſis. *Cic.*

Quæ ad te pertinere arbitrabor, *ea* mea ſponte faciam. *Cic.*

Dignam me putas, *quam illudas. Ter.* Cognoſces dignum, *qui* a te *diligatur. Cic.*

Fortiter malum *qui* patitur, *idem* poſt patitur bonum. *Plaut.*

Quæ malum, eſt iſta tua audacia atque amentia! *Cic.*

Quæſo, *quid* tu *hominis* es? *Ter.* Exponam vobis breviter, *quid hominis* ſit. *Cic.*

Quid ſit ei *animi. Plaut.*

Quid ſui *conſilii* ſit, oſtendit. *Cæſ.*

Quid iſtud *gaudii* eſt? *Ter.*

Quid iſtud? ſi certum eſt facere, facias, verum ne poſt conferas culpam in me. *Ter.*

Sed

Sed *quid* ego argumentor? *quid* plura diſputo. *Cic.*

Quid eſt quod trepidas? *Ter.*

Quid eſt quamobrem quisquam noſtrum Cenſorias ſubſcriptiones omnes fixas & in perpetuum ratas putet eſſe oportere? *Cic.*

Quid Africanus minor? *quid* major? *quid* inter horũ ætates interjectus Cato? *quid* innumerabiles alii? nam domeſticis exemplis abundamus. *Cic.*

Quid quod ſi iſta vera ſunt, ratio omnis tollitur. *Cic.*

Literæ mihi dantur a te, *quibus* in extremis ſcriptum eſt. *Cic.*

Quid tum? Quid tum poſtea? Quid tum denique? Quid itaque? Quid interea? Quid demum?

Quid quod ejusdem hominis imagines in meum aliæ, aliæ in tuum? *quid quod* earum rerum quæ nunquam omnino fuerunt, neq; eſſe potuerunt, ut Scyllæ, ut Chimeræ? *quid quod* hominum, locorum, urbium earum, quas nunquam vidimus? *quid quod* ſimul ac mihi collibitum eſt, præſto eſt imago? *quid quod* etiam ad dormientem veniant non vocatæ? *Cic.*

Quid enim ſummus dolor plures dies movere non poteſt? *Cic.*

Quid ego de Marco *loquar? Cic.*

Quod te oro. Cic.

Quid? animadvertis horum ſilentium? *Cic.*

Quid ergo? jam voluptatem Epicurus ignorat? *Cic.*

Quid multa? queſtus eſt graviter. *Cic.*

Si mihi permiſiſſes, (*qui* meus amor in te eſt) confeciſſem cum coheredibus. *Cic.*

Quod te per genium, dextramque, Deosque penates, obſecro. *Hor.*

Nosque malo ſolatio, ſed nonnullo tamen, conſolamur, *quod ipſius vicem minime* dolemus. *Cic.*

Cato

Cato mirari ſe dicebat, *quod non rideret* Aruſpex, Aruſpicem cum vidiſſet. *Cic.*

Quare *nihil eſt, quod* ex tanto comitatu virorum ampliſſimorum, me unum abſtrahas. *Cic.*

In viam *quod* te des, hoc tempore *nihil eſt*. *Cic.*

An *quod* probare populo Rom. fidem veſtram & religionem non potueritis, *eo* vobis judicandi poteſtas adempta ſit? *Cic.*

Quod ſi in eam me partem incitarem, profecto jam reperirem reſiſtendi viam. *Cic.*

Quod ſi eſſem ea perfidia, qua ſunt ii, qui in nos hæc conferunt, *tamen* ea ſtultitia certe non fuiſſem. *Cic.*

Quoſcunque de te queri audivi, omni ratione placavi. *Cic.*

Quicquid præter ſpem evenit, omne *id* deputabo eſſe in lucro. *Ter.*

Qvia. Qvoniam.

Iteratum.] Non *quia* prodeſſe nunquam ſatis ſit, ſed *quia* hoc proſpicere debet, ne quid prius quam fecerit, faciat. *Quintil.*

Quoniam in populari ratione omnis noſtra verſatur oratio, populariter interdum loqui neceſſe erit. *Cic.*

Quæ omnia, *quia* Cato extulerat in cœlum, *idcirco* in ejus ſententiam eſt facta diſceſſio. *Cic.*

Qvidam.

Emphatice.] Craſſi quidem reſponſum, excellentis *cujuſdam* eſt ingenii, ac ſingularis. *Cic.* *Commemoranda quædam* & divina Cæſaris liberalitas. *Cic.*

Tu pudore a dicendo, ac timiditate ingenua *quadam* refugiſti. *Cic.*

Sed audio *majorem quendam* in urbe timorem eſſe. *Cic.*

Jam

Jam vero animus non eſſe ſolum, ſed etiam *cujuſdam modi* eſſe debet. *Cic.*

QVIDEM.

Diſtinctio.] *Ego quidem* ſcribo, *tu vero* legis, *ille autem* dormit.

Exceptio.] Ab optimis illis *quidem* viris, *ſed* non ſatis eruditis. *Cic.*

Abſolute.] Aut enim nemo (quod *quidem* magis credo *)* aut ſi quiſquam eſt, ille ſapiens fuit. *Cic.* Tantum doleo & mirifice *quidem. Cic.*

Spero me tibi cauſam probaſſe, cupio *quidem certe. Cic.* Quam ſapienter, non diſputo, conſtanter *quidem* & fortiter *certe. Cic.*

Nunc *quidem profecto* Romæ eſt. *Cic.*

QVISPIAM. QVISQVAM.

In comparatione.] Neuter *quemquam omnium* pluris facit quam me. *Cic.* Tetrior hic tyrannus Syracuſis fuit, quam *quiſquam ſuperiorum. Cic.*

Interrogat.] Et eſt *quiſquam*, qui cum hoc cognoverit, ſuſpicari poſſit? *Cic.*

Quæret fortaſſe *quiſpiam. Cic.*

Si quiſquam eſt facilis, hic eſt. *Ter.*

An hoc dubitavit *quiſquam omnium*, quin is venalem in Sicilia juriſdictionem habuerit? *Cic.*

Ne *quiſquam unus* malis artibus poſtea tam popularis eſſet. *Liv.*

Neque me Athenis *alter* hodie *quiſquam*, cui credi recte æqueque putent. *Plaut.*

QVO.

Abſolute.] *Quo* gratior tua liberalitas C. Cæſar nobis qui illa videmus, debet eſſe. *Cic.*

Sed *quo* erant ſuaviores, *eo* majorem dolorem ille caſus afferebat. *Cic.*

Nihil

Nihil impedit, *quo minus* id quod maxime placeat, facere poſſimus. *Cic.*

Nam *quo minus* ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparavi. *Cic.*

Mihi Antonius perveniſſe videtur, *quoad* progredi potuerit feri hominis amentia. *Cic.*

Non prætermittes, *quoad ejus* facere poteris, ſcribere ad me. *Cic.*

Patebit hæc *quoquo verſus* pedes triginta. *Cæſ.*

Numeroſis nominibus, & novis, *quocunq;* incedit, inſignis. *Cic.*

Vt enim heri feci, ſic nunc rationem, *quo* ea me *cunq;* ducet, ſequar. *Cic.*

Quocirca nihil eſſe tam deteſtabile, tamque peſtiferum, quam voluptatem. *Cic.*

QVOMODO.

Vt.] De familia *quomodo* amicis placuiſſe ſcribis, faciemus. *Cic.*

Nullum eſt præceptum, *quomodo* verum inveniatur, ſed tantum *quomodo* judicetur. *Cic.*

Quomodo hominum inter homines juris eſſe vincula putant, *ſic* homini nihil juris eſſe cum beſtiis. *Cic.*

Nam *quomodo nunc* eſt, pedem ubi ponat in ſuo, non habet. *Cic.*

Quomodocunque dicitur, intelligi tamen quicquid dicitur, poteſt. *Cic.*

QVORSVM. QVORSVS.

Quorſum caſurum eſſet, verebar. *Cic.*

Quorſus hæc pertinent? *Cic.*

Quorſum tandem iſta, aut cur quæris? *Cic.*

Quorſus inquam iſtud? non enim intelligo. *Cic.*

QVIN.

QVIN.

Quin continetis vocem indicem ſtultitiæ veſtræ. *Cic.*

Cauſæ nihil eſſet, *quin* ſecus judicaret. *Cic.*

Equidem nihil prætermiſi, quantum facere potui, *quin* Pompejum a Cæſaris conjunctione avocarem. *Cic.*

Nihil prætermitto, non poſſum, non dubium eſt, nihil dubii eſt, nihil abeſt, nihil dico, quin:

Non dubium eſt, *quin* uxorem nolit filius. *Ter.*

Nemo eſt noſtrum, *quin* vota victoriæ fecerit. *Cic.*

Nego *ullam* gemmam aut margaritam fuiſſe, *quin* quæſierit, inſpexerit, abſtulerit. *Cic.*

Quin etiam neceſſe erit cupere & optare, ut quam ſæpiſſime peccet amicus. *Cic.*

QVIPPE.

Certe.] Dixiſti, *quippe* jam fixum & ſtatum eſt. *Cic.*

Ironia.] Movet *quippe* me lumen curiæ. *Cic.*

Vtpote.] Sol Democrito magnus videtur, *quippe* homini erudito. *Cic.*

Nam.] Leve nomen habet utraque res. *Quippe*, leve eſt totum hoc riſum movere. *Cic.*

Quippe quæ in Lege ſcripta non ſit. *Cic.*

Harum igitur duarum ad fidem faciendam juſtiſtitia plus poſſet, *quippe cum* ea ſine prudentia ſatis habeat autoritatis. *Cic.*

QVISQVIS. QVISQVE.

Cum duobus ſuperlativis.] *Optimus quisque æquiſſime* animo moritur. *Cic.* Vt *quisque eſt* vir optimus, ita difficillime alios eſſe improbos ſuſpicatur. *Cic.*

Quisquis es adoleſcens, operam fac. *Plaut.*

Nihil dulcius hominum generi a natura datum eſt, quam ſui *cuique* liberi. *Cic.* Cæ-

Cætera multitudo, ſorte *decimus quiſque* ad ſupplicium lecti. *Liv.*

Quo *quiſque eſt ingenioſior*, hoc docet laborioſius. *Cic.*

QVOT. QVOTVS.

Sine interrogatione.] *Quota* pars ex eo deducetur, ea pars ſit profutura. *Cic*

Vt *quot* Oratores, *todidem* reperiantur genera dicendi. *Cic.*

Quotus enim *quiſque* Philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus? *Cic.*

QVOTIES. QVOTIESCVNQVE.

Abſolute.] *Quoties* quæq; cohors percurrebat, ab ea parte magnus hoſtium numerus cedebat. *Cæſ.*

Quoties dicitur, *toties* de nobis judicatur, *Cic.*

Quotieſcunque dico, *toties* mihi videor in judicium venire, non ingenii modo, ſed etiam virtutis. *Cic.*

QVOTIDIE.

Quotidie inter nos ea quæ audiebamus, conferebamus. *Cic.*

Me *quotidie* Cæſar *magis* amplectitur. *Cic.*

Quod ſcribis te a Cæſare *quotidie plus* diligi, immortaliter gaudeo. *Cic.*

QVOVSQVE.

Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? *Cic.*

RELIQVVM EST.

Abſolute.] *Reliquum eſt*, quod ipſi optime conſiderabitis, veſtri ſimiles fœminæ ſintne Romæ. *Cic.*

Miſſos fecerat.] Quos belli calamitas *reliquos fecerat*. *Cic.*

Reli-

Reliquum eſt, *ut* te orem. *Cic.*
Reliquum eſt, *ne* quid ſtulte, ne quid temere dicam contra potentes. *Cic.*
Relinquitur illud, quod vociferari non deſtitit. *Cic.*
Quod reliquum eſt, munus tuum tuere. *Cic.*
De reliquo, ſi dignum eum tua amicitia hoſpitioq; cognoveris, peto ut eum complectare. *Cic.*

SATIS.

Sufficit.] Mihi fere *ſatis eſt*, quod vixi, vel ad ætatem, vel ad gloriam. *Cic.*
Cum Nominibus.] Cum latinis literis, tum Græcis *ſatis eruditus. Cic. Satis ingenii*, doctrinæ, temporis.
Cum Verbis.] Non *ſatis occurrit*, quod ſcribam. *Cic.* Hunc *laudare* pro dignitate nemo *ſatis* commode poteſt. *Cic.*
Hem quid eſt? quid trepidas? ſatisne ſalvæ? *Ter.*
Mihi videtur *ſatis ſuperque* iſtorum ſtudiis, ſi modo ſunt ſtudioſi, eſſe factum. *Cic.*

SCILICET.

Certe. Videlicet.] Me *ſcilicet* latronem ac ſicarium abjecti homines ac perditi deſignabant. *Cic.*
Ironia.] Conſumetur, inquis: *ſcilicet* conſumetur legitimum illud triennium. *Cic. Scilicet* tibi graviorem dolorem patrui tui mors attulit, quam C. Graccho fratris. *Cic.*

SECVS.

Aliter.] Etſi nonnullis idem *videatur ſecus. Cic.*
De tuo in me animo inquis, *ſecus exiſtimandi* videris nonnihil loci dediſſe. *Cic.*
Mihi autem erit maximæ curæ, ne quid fiat *ſecus quam volumus. Cic.*

SECVNDVM.

Poſt.] *Secundum ea* quæro, ſervaris ne in eo fidem. *Cic.*

Secundo loco.] *Secundum Deum*, homines hominibus utiles eſſe. *Cic. Secundum te*, nihil mihi eſt amicius ſolitudine. *Cic.*

In favorem.] *Secundum nos* judicari volumus. *Cic.* Ferre ſententiam *ſecundum teſtamentum*. *Cic.*

An iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter *ſecundum mare* ſuperum faciunt. *Cic.*

SEMEL.

Antiſtius & Piſo ſæpe dicebant, minus ſæpe Pomponius, raro Carbo, *ſemel aut iterum* Philippus. *Cic.*

Vt re *ſemel atque iterum* præjudicata, in judicium venerit. *Cic.*

SI.

Quandoquidem.] *Si te* in germani fratris dilexi loco. *Ter.*

Si raro ab initio ponitur.] Vivam, *ſi* vivet, *ſi* cadet illa, cadam. *Prop.*

An, ſed raro.] Vide, inquit, Scaure, mortuus rapitur, *ſi potes* eſſe poſſeſſor. *Cic.*

Poſtpoſitum cum Subjunctivo.] Nos quotidie tabellarios veſtros expectamus, qui, *ſi venerint*, fortaſſe erimus certiores, quid nobis faciendum ſit. *Cic.*

Etiamſi.] Redeam? non *ſi* me *obſecret*. *Ter.*

Quandoquidem.] Omnino *ſi quæris* ludi apparatiſſimi, ſed non tui ſtomachi. *Cic.*

Si tamen.] O fortunatam Rempublicam, *ſi quidem* hanc ſentinam ejecerit. *Cic.*

Sed ſi.] Tu ſi modo es Romæ (vix enim puto) *ſin es*, hoc vehementer animadvertas velim. *Cic.*

Atqui *ſi* pulcher eſt hic mundus, ſi probus artifex, *profecto* ſpeciem æternitatis imitari voluit. *Cic.*

Si ulla res eſt, quæ bonorum animos vehementius poſſit incendere, hæc *certe* eſt. *Cic.*

Si minus ſupplicio affici, *at* cuſtodiri oportebat. *Cic.*

Conceditis, ut nobis libertatem retinere liceat, *ſi minus* dignitatem. *Cic.*

A flamma, *ſi non* potes omne, partem aliquam velim, extorqueas. *Cic.*

Eorum deſiderium, *ſi non* æquo animo, *at* forti feras. *Cic.* Cum ſpe *ſi non* optima, *at* aliquà vivere. *Cic.*

Si maxime velim. *Cic.*

Hic venit in judicium, *ſi nihil aliud*, ſaltem &c. *Cic.*

Si quisquam fuit unquam remotus, ego profecto is ſum. *Cic.*

Gratulor Bajis noſtris, *ſi quidem*, ut ſcribis, ſalubres repente factæ ſunt. *Cic.*

Nimiæ pietatis, & ſummi amoris in patriam, nos pœnas, *ſi Diis placet*, ſufferamus. *Cic.*

Si vir eſſe voles, præclara ſynodia, *ſin autem*, erimus nos, qui ſolemus. *Cic.*

Sin ita eſt, omnia faciliora; *ſin aliter*, magnum negotium. *Cic.*

SIVE. SEV.

Sive, ſemel poſitum.] Te erigas ac reſiſtas, *ſive* etiam obſiſtas negotiis. *Cic.*

Iteratum.] *Sive* tua natura paulo acrior, *ſive* quædam dulcedo iracundiæ, *ſive* dicendi ſales valuiſſent. *Cic.*

Seu, ſemel poſitum.] O fortunatum hominẽ, qui hujusmodi nuncios *ſeu* potius Pegaſos habet. *Cic.*

Seu vere, quam opinionem habuerunt, proferunt, *ſive* etiam auribus Vari ſerviunt. *Cic.*

Seu ego taceo, *ſeu* loquar, ſcio ſcire te. *Plaut.*

SIC. SICVT.

Similitudo.] Pomponium *ſic* amo, *ut* alterum fratrem. *Cic.*

Adeo.] Id mihi *ſic* erit gratum, *ut* gratius eſſe nihil poſſit. *Cic.*

Ita factus ſum] *Sic ſum*, ſi placeo utere. *Ter. Sic eſt* ingenium. *Id. Sic eſt* vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimat. *Cic.*

Abſolute.] Cum jam tibi Aſia, *ſicut* unicuique ſua domus nota eſſe debeat. *Cic.*

Apud eum *ſic* fui *tanquam* domi meæ. *Cic.*

Sic ulciſcar ſingula genera, *quemadmodum* a quibusque ſum provocatus. *Cic.*

Illa quæ aliis *ſic*, aliis *ſecus*, nec ſemper uno modo facta videntur, ficta eſſe dicimus. *Cic.*

Ennium, *ſicut* ſacros vetuſtate lucos, adoremus. *Quintil.*

Sicut aliis in locis parum firmamenti, & parum virium veritas habet: *ſic* in hoc loco, falſa invidia imbecilla eſſe debet. *Cic.*

Vt in ſeminibus cauſa eſt arborum, & ſtirpium: *ſic* hujus luctuoſiſſimi belli ſemen tu fuiſti. *Cic.*

Non ſicut vulgus, *ſed ut* eruditi ſolent, appellare Sapientem. *Cic.*

SIMILIS. SIMILITER.

Abſolute.] Ita reputo, a nemine iſtorum ex hoc loco *ſimiliter* eſſe laudatum. *Cic.*

Nec ſi ille ſapiens ad tortoris equuleum a tyranno cogatur, *ſimilem* habeat vultum, *ac ſi* ampullam perdidiſſet. *Cic*

Similiter facis, *ac ſi* me roges, cur te duobus contuear oculis.

SIMVL.

Vna.] Propter propinquitatem, totos dies *ſimul eramus*. *Cic.*

Simul

Simul ac.] *Simul* inflavit tibicen, carmen agnoſcitur. *Cic.*

Deinde.] *Simul* & illud cogita. *Cic.*

Quod ſi cui animus *ſimul cum* re concidit. *Cic.*

Adeo omnes *ſimul* ſpernebant, *ſimul* tantam in medio creſcentem molem, ſibi, ac poſteris ſuis metuebant. *Cic.*

Simul ac primum ei occaſio viſa eſt. *Cic.*

Omne autem animal *ſimul ut* ortum eſt, & ſeipſum, & partus ſuos diligit. *Cic.*

Verres *ſimul ac* tetigit provinciam, *ſtatim* Meſſanam literas dedit. *Cic.*

Simul ne per inſolentiam quis exiſtimet, memet ſtudium meum laudando extollere. *Salluſt.*

Sodes.

Veſcere *ſodes. Horat.*

Speciatim.

Legem *ſpeciatim* initio, de mea ſalute promulgavit. *Cic.*

Specialiter, barbarum eſt.

Statim.

Illico.] Philippus ut me ſalutavit, *ſtatim* Romam profectus eſt. *Cic.*

Statim ut ille prætor factus eſt. *Cic.*

Ego a te *ſtatim* habeo quod ſcribam, *ſimul* ut Curionem video. *Cic.*

Sub. Subter. Subtus.

Statim poſt.] *Sub eas literas*, recitatæ ſunt tuæ. *Cic.*

Sub equeſtris finem certaminis, coorta eſt pugna equitum. *Liv.*

Tua innocentia *ſub* ictu eſt. *Sen.*

Sub lucem, ſub noctem, ſub veſperam, *i. e. incipiente luce, &c.*

Sub ortum ferme lucis, nullo obvio armato, in forum perveniunt. *Liv.*

Vtrinque legati, fere *ſub idem tempus*, ad res repetendas miſſi. *Liv.*

Sub hanc vocem fremitus fuit. *Liv.*

Idoneus *ſub dio* capiendus eſt locus cochleariis. *Var.* Nullus dies tam intolerabilis, quo non *ſub divo* tractari aliquid poſſit. *Colum.*

Sub manum. Sub manu.

Conſilium naſci *ſub dio* debet, & hoc quoque tardum eſt nimis. *Sen.*

Et quo celerrime, *ac ſub manum* annunciari, cognoſcique poſſet. *Suet.*

Cœlum *ſub aſpectum* & tactum cadit. *Cic.*

Sub judicium ſapientis, & delectum cadunt. *Cic.*

Plato iram in pectore, cupiditatem *ſubter præcordia* locavit. *Cic.*

Virtus omnia, quæ cadere in hominem poſſunt, *ſubter ſe* habet. *Cic.*

Huic ſupra nubes, & *ſubter* ſidera lapſo. *Ovid.*

Labris ſubnigris, aut rubicundis, neque reſimis ſuperioribus, neque pendulis *ſubtus*, mento ſuppreſſo. *Var.*

SVMMVM.

Scies igitur fortaſſe cras, *ſummum* perendie. *Cic.*

Fac plane ut valeas, nos *ad ſummum* ſcilicet valemus. *Cic.*

SVPER. SVPRA.

De.] Simulque cogites, quid nobis agendum ſit *ſuper legatione. Cic.* Multis *ſuper Priamo* rogitans, ſuper Hectore multa. *Vir.*

Ante.] Illa quam *ſupra dixi. Cic.* Illi polliceor, quæ *ſupra ſcripſi. Cic.*

Te-

Tectum quod *ſuper* conclavia, non placuerat. *Cic.*

Ratio quæ *ſupra* hominem putanda eſt, Deoque tribuenda. *Cic.*

Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, *ſupra quam* cuique credibile eſt. *Sal.*

Libros confeci & abſolvi, neſcio quam bene, ſed ita accurate, ut *nihil ſupra*. *Cic.*

Quia Sol *ſuper terram*, dies eſt. *Quintil.*

Supra lunam ſunt omnia æterna. *Cic.* Olli cæruleus *ſupra caput* adſtitit imber. *Vir.*

Dux hoſtium cum exercitu *ſupra caput* eſt. *Sal.*

TALIS.

Vita quidem *talis* fuit vel fortuna, vel gloria, *ut* nihil poſſet accedere. *Cic.*

Tali atque hic eſt infortunio. *Ter.*

Non equidem hoc divinavi, ſed *tale aliquid* putavi fore. *Cic.*

Tot *talesque* viri. *Cic.*

TAM.

Comparatio.] Quæ quidem non *tam* expetenda fuit, *quam* tuenda nobis eſt. *Cic.*

Abſolute, pro Adeo.] Quandoquidem *tam iners, tam* nullius conſilii ſum. *Ter.*

Abs te *tamdiu* nihil literarum? *Cic.*

Xenophanes hoſpes *tam* te diligit, *quam* ſi vixerit tecum. *Cic.*

Non eſſem *tam* inurbanus, ac pæne inhumanus, *ut* ego eo gravarer, quod vos cupere ſentirem. *Cic.*

Non puto *tam* expeditum negotium futurum, *ut non* habeat aliquid moræ. *Cic.*

Quis eſt *tam* lynceus, *qui* in tantis tenebris nihil offendat? *Cic.*

Tam ſum amicus Reipublicæ, *quam qui* maxime. *Cic.*

Tam mihi geratum id erit, *quam quod* gratiſſimum. *Cic.*

Non tam ut proſim cauſis, elaborare ſoleo, *quam ut ne* quid obſim. *Cic.*

Non tam vitandi mei doloris cauſa, *quam quia* tua id intereſſe arbitrabar. *Cic.*

Non tam propter periculum meum, *quam propter* vitia multa, quæ ibi offendi. *Cic.*

Tibi enim Gracchus *tamdiu* laudabitur, *dum* memoria rerum Romanarum manebit. *Cic.*

Diſces *quamdiu* voles: *tamdiu* auté velle debebis, *quoad* te quantum proficias, non pœnitebit. *Cic.*

Tamdiu requieſco, *quamdiu* aut ad te ſcribo, aut tuas literas lego. *Cic.*

Vixit *tamdiu*, *quam* licuit in civitate bene beateq; vivere. *Cic.*

Tam valde perhorreſcere. *Cic.*

TAMEN.

A principio.] *Tamen* a malitia non diſcedis. *Cic.*

Neque ſum mediocriter commotus, neque *tamen* credidi, *ſed certe* aliquid ſermonis fuit. *Cic.*

Tamenne iſta tam abſurda defendes? *Cic.*

TAMETSI.

In principio, cum Indicativo.] *Tametſi* viciſſe debeo, *tamen* de meo jure decedam. *Cic.*

Abſolute.] Facito ut ſciam, *tametſi* minus ſum curioſus. *Cic.*

Meum ſtudium erga te, & officium, *tametſi* multis jam rebus ſpero eſſe cognitum; *tamen* in his maxime declarabo.

TANDEM.

Hoc per ipſos Deos, de quibus loquimur, quale *tandem* eſt? *Cic.* Quo *tandem* illum mœrore afflictum eſſe & profligatum putatis? *Cic.*

Tandem es odioſus mihi. *Plaut.*

TANQVAM.

Similitudo.] Repente enim, *tanquam ſerpens* te e latibulis intuliſti. *Cic.*

Crebra, *tanquam* tempeſtatum, *ſic* ſententiarum commutatio. *Cic.* *Tanquam* levia quædam vina nihil valent in aqua, *ſic* Stoicorum iſta guſtata magis, quem potata delectant. *Cic.*

Tanquam enim *ſi* clauſa ſit Aſia, ſic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppreſſo Dolabella. *Cic.*

TANTISPER.

Tantisper hic ego ad januam conceſſero. *Plaut.*

Cenſeo latendum *tantisper* ibidem, *dum* deferveſcat hæc gratulatio. *Cic.* Ego hic *tantisper, dum* exit, te operiar foris *Ter.*

TANTVS.

Tanta contentione decertavi, *quanta* nunquam antea in ulla cauſa. *Cic.*

Quis unquam tam brevi tempore, tot loca adire, *tantos* curſus conficere potuit? *Cic.*

Alterum tantum. Tertium tantum. Sexcenta tanta.

Tanta eſt inter eos, *quanta maxime* poteſt eſſe, morum ſtudiorumque diſſenſio. *Cic.*

Tanta vis probitatis eſt, *ut* eam etiam in hoſte diligamus. *Cic.*

Si me amas *tantum, quantum* profecto amas. *Cic.*

Neque *tantum* eſt in re, *quantus* eſt ſermo. *Cic.*

Magiſtratibus *tantundem* detur in cellam, quantum ſemper datum ſit. *Cic.*

Tantum cibi ac potionis adhibendum, *ut* reficiantur vires, non opprimantur. *Cic.*

Tantumque a vallo ejus prima acies aberat, *uti* ne in eam tela tormentave adigi poſſent. *Cæſ.*

Præſertim cum hi mores *tantum* jam ad nimiam levitatem & ambitionem incubuerint. *Cic.*

Tantum ingenium, in tam leves ſententias incidiſſe. *Cic.*

Vndique ad inferos *tantundem* viæ eſt. *Cic.*

Vltro ſe offerunt omnes. *Tantus* ardor omnium animos occupavit! *Cic.*

Si quis *tantulum* de recta regione deflexerit. *Cic.*

Si *tantulum moræ* fuiſſet, quo minus ei pecunia numeraretur. *Cic.*

Tantum abeſt ab officio, *ut* nihil officio magis poſſit eſſe contrarium. *Cic.*

Qua in vita, *tantum abeſt* ut voluptates ſectentur; *etiam* curas, ſolicitudines, vigilias perferunt. *Cic.*

Tantum abeſſe dicebat, ut id conſentaneum eſſet, *ut maxime* repugnaret. *Cic.*

Nomen *tantum* virtutis uſurpas; quid ipſa valeat, ignoras. *Cic.*

Nihil *dicam* arrogantius, *tantum* dicam. *Cic. Non tantum* parum commode, *ſed etiam* turpiter. *Cic.*

Tantum quod hominem *non* nominat. *Cic.*

Nihil tanti fuit, quo venderemus fidem noſtram. *Cic.*

Hoc ſolum defuit.] Vt vidit non poſſe æquare ordinem Romanos, & *tantum non* jam circumiri, a dextero cornu concitat naves. *Cic. Tantum non* ſtatim a funere ad negotiorum conſuetudinem redit. *Svet.*

Expedit.] *Eſt mihi tanti*, Quirites, hujus invidiæ falſæ & iniquæ tempeſtatem ſubire, dummodo a vobis hujus horribilis belli periculum depellatur. *Cic.*

Non expedit.] Nunc mihi *nihil tanti eſt*, faciam quod volunt. *Cic.*

Tan-

TANTOPERE.

Neque hoc *tantopere* querendum videretur, hæc ſumma in illis eſſe, ſi in nobis eſſent ſaltem mediocria. *Cic.*

Neque enim *tantopere* hanc a Craſſo diſputationem deſiderarem, *quantopere* ejus ratione in cauſis delector. *Cic.*

TEMERE.

Abs re.] Non *temere* fama naſci ſolet. *Cic.*

Non enim *temere* nec fortuito ſati & creati ſumus. *Cic.*

Neſcio quid triſtis eſt, *non temere eſt. Ter. Non temere eſt*, quod tu tam times. *Ter.*

TIBI.

Nihil ſignificat.] *Ecce tibi* ex transverſo. *Cic. Hic tibi* ſtrepitus. *Cic.*

Res inopinata.] Epiſtolam cum a te avide expectarem, *ecce tibi* nuncius, pueros veniſſe Roma. *Cic.*

Indignantis.] *Ecce tibi* qui Rex Populi Rom. eſſe concupierit. *Cic.*

TOT. TOTIDEM.

Abſolute.] *Tot*, ac tantæ & tam graves civitates. *Cic.*

Quot homines, *tot* cauſæ. *Cic.*

Vocis mutationes *totidem* ſunt, *quot* animorum. *Cic.*

Illum ego locum, *totidem* verbis a Dicearcho tranſtuli. *Cic.* Gemini fratres fuerunt; at hi non *totidem* annos vixerunt. *Cic.*

TOTIES.

Interim velim mihi ignoſcas, quod ad te ſcribam tam multa *toties*. *Cic.*

Illud ſoleo mirari non me *toties* accipere tuas literas, *quoties* a Q. fratre mihi afferuntur. *Cic.*

TVM.

Tunc.] Quæ *non tum* incipit eſſe lex ſcripta, ſed *tum* cum orta eſt. *Cic.*

Deinde.] *Tum* rationes in ea diſputatione a te collectæ, vetabant me Reip. penitus diffidere. *Cic.*

Cum Conjunctivo.] Gravi teſte privatus ſum amoris erga te mei, patre tuo, clariſſimo viro, qui, *cum* ſuis virtutibus, *tum* vero te filio, ſuperaſſet omnium fortunas, ſi te ante vidiſſet, quam e vita diſcederet. *Cic.*

Cum duobus verbis conſtrui debet eodem modo & tempore.] Itaq; *cum* meus me mœror quotidianus conficit, *tum* vero hæc addita cura vix vitam mihi reliquam facit. *Cic.*

Atque ille quidem princeps ingenii & doctrinæ Plato, *tum denique* fore beatas Respub. putavit, ſi aut docti, aut ſapientes homines, eas regere cœpiſſent. *Cic.*

Tum enim eramus in maxima ſpe; *nunc* ego quidem in nulla. *Cic.*

Cui *tum, cum jam* in armis eſſemus, Conſulatus tamen & triumphus ampliſſimus deferebatur. *Cic.*

Fructus enim ingenii & virtutis *tum maxime* capitur, *cum* in proximum quemque confertur. *Cic.*

Tum demum ſciam recte monuiſſe, ſi tu recte caveris. *Plaut.*

Tum vero illa egregia ac præclara mater, exultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit. *Cic.*

Scripſiſti epiſtolam ad me, plenam conſilii, ſum̃æque *tum* benevolentiæ, *tum* etiam prudentiæ. *Cic.*

Nec indignatur Herodotus æquari ſibi Titum Livium

vium, *tum* in narrando miræ jucunditatis, clariſſimiq; candoris, *tum* in concionibus ſupra quam narrari poteſt, eloquentem. *Cic.*

VBI.

Poſtquam.] *Vbi* ſemel quis pejeraverit, ei credi poſtea, etiam, ſi per plures Deos juret, non oportet. *Cic.*

Cum Genitivis nihil ſignificantibus.] Vbi gentium; ubi loci; ubi terrarum; ubi locorum; ubinam gentium; ubicunque gentium.

Ea urbe natus es, *ubi* nata & alta eſt ratio, ac moderatio vitæ. *Cic.*

Quid ageres, *ubi terrarum* eſſes, ne ſuſpicabar quidem. *Cic.*

Vbinam eſt is homo *gentium*? *Plaut.*

Tempus eſt hujusmodi, ut *ubi* quisque ſit, *ibi* eſſe minime velit. *Cic.* *Ibi* malis eſſe *ubi* aliquo numero ſis, quam iſtic, ubi ſolus ſapere videare. *Cic.*

Vbi trinæ ſunt, *tum demum* maturæ ſunt. *Cato.*

Hæc *ubi* filio nunciata ſunt, *ſtatim* exanimatus ad ædes contendit. *Cic.*

Vbi aperuit oſtium, *continuo* hic ſe conjicit intro. *Ter.*

Olea *ubi* matura erit, *quam primum* cogi oportet. *Cat.*

Vbi erit otium, revertere ad me *extemplo*. *Plaut.*

Vbi primum incipiunt hiſcere, *tum* legi oportet. *Cat.*

O Dii immortales, *ubinam gentium* ſumus? *Cic.*

Nemo eſt quin *ubivis, quam* ibi ubi es, eſſe malit. *Cic.*

Nihil eſt virtute amabilius, quam qui adeptus erit, *ubicunque* erit *gentium*, a nobis diligetur. *Cic.*

VE.

Aut.] Appius enim ad me ex itinere bis *terve* literas miſerat. *Cic.* Com-

Componere & ſtruere verba ſua, ut *neve* aſper eorum concurſus, *neve* hiulcus ſit, ſed quodammodo coagmentatus, & lævis. *Cic.*

VEL.

Tum.] Multum *vel* honori, *vel* periculo inſervire. *Cic.*

Disjunctive.] Sunt iſta quidem *vel* magna, *vel* potius maxima. *Cic.*

Velut.] Nulla eſt tam facilis res, quæ non difficilis fiat, quam invitus facias: *vel hæc deambulatio*, quam non laborioſa, ad languorem dedit. *Ter.*

Indignantis.] *Vel quod* multo etiam minus eſt ferendum. *Cic.*

Saltem.] Poſtremo ſi nullo alio pacto, *vel fœnore*. *Ter.*

Etiam.] Hæc ſunt ingenii *vel* mediocris, exercitationis autem *vel* maximæ. *Cic.*

Maxime.] Quam moroſi ſint qui amant, *vel ex hoc* intelligi poteſt. *Cic.*

Hanc tu mihi *vel* vi, *vel* clam, *vel* precario fac tradas. *Ter.*

Sophiſta temporibus illis *vel maximus*. *Cic.*

Omnibus his ſufficit *vel unum* Ciceronis exemplum. *Quintil.*

Cum Sophocles ſcripſerit *vel optime* Electram. *Cic.*

Vel maxime populus Rom. bellum cum Antiocho Rege gesſiſſet. *Cic.*

VELUT.

Similitudo.] Moram ſuam externam *velut* quadam Deorum providentia illatam. *Cic.*

Exempli gratia.] Beſtiæ quæ gignuntur e terra, *velut* crocodili. *Cic.*

Velut in cantu & fidibus quæ harmonia dicitur, *ſic*

ex

ex corporis totius natura & figura, varios motus cieri. *Cic.*

VIX.

Imminuendi.] In dicendo *vix paucos* proferre poſſum. *Cic.*

Difficultas.] Gabinius ipſe *vix*, ſed tamen ſe collegit. *Cic.*

Cum *vix dum* triginta dies in Syria fuiſſes. *Cic.*

Vix dum epiſtolam tuam legeram, *cum* ad me Poſthumius Curius venit. *Cic.*

Vix in ipſis & oppidis frigus infirma valetudine vitatur: *nedum* in mari, & in via, ſit facile abeſſe ab injuria temporis. *Cic.*

Mihi vero cum his ipſis *vix*, his autem detractis, *ne vix quidem*. *Cic.*

Aut *vix*, aut *nullo modo* poſſum. *Cic.*

Vix tandem legi literas dignas Appio Claudio. *Cic.*

VLTRA.

Trans.] Sed adhibet modum quendam, quem *ultra progredi* non oportebat. *Cic.* Divinatio conjectura nititur, *ultra* quam progredi non poteſt. *Cic.*

Præterea.] Eſt autem oratio ſcripta elegantiſſime, ſetnentiis, verbis, ut nihil poſſit *ultra cogitari*. *Cic.*

Longum exordium eſt, quod pluribus verbis aut ſententiis, *ultra quam* ſatis eſt, producitur. *Cic.*

Servum, gravisſime de ſe opinantem, *non ultra* quam compedibus coërcuit. *Suet.*

VLTRO.

Inſuper.] *Vltro* etiam irriſum, advenit. *Ter.* Eſt etiam in nobis animus, Quirites, ut non modo nullius audaciæ cedamus, ſed etiam omnes improbos, *ultro* ſemper laceſſamus. *Cic.*

Nec

Nec mihi quicquam in mentem venit optare, quod non *ultro* mihi Cæſar detulerit. *Cic.*

Poſtea homines curſare *ultro citroque* non deſtiterunt. *Cic.*

Beneficia *ultro citroque* data & accepta. *Cic.*

Sic naturis iis, ex quibus omnia conſtant, ſurſum deorſum *ultro citroque* commeantibus, mundi partium conjunctio continetur. *Cic.*

Unde. Undique.

Adſunt Athenienſes, *unde* humanitas ac doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur. *Cic.*

Aut *undique* religionem tolle, aut usque quaque conſerva. *Cic.*

Non ſum tam ignarus, Judices, cauſarum, non tam inſolens in dicendo, ut omni ex genere orationem aucuper, & omnes *undiq;* floſculos carpam ac delibem. *Cic.*

Unus.

Unus & alter dies intercesſerat, *cum* &c. *Cic.*

Uni epiſtolæ reſpondi, venio *ad alteram*. *Cic.*

Fuit ergo jam accepta a Platone philoſophandi ratio triplex: *una* de vita & moribus, *altera* de natura & rebus occultis: tertia de diſſerendo. *Cic.*

Exitus quidem omnium *unus & idem* fuit. *Cic.*

Una atque eadem vox erat, qua Prætor populi Rom. amoris turpisſimi flamma, & claſſis Pop. Rom. prædonum incendio conflagrabat. *Cic.*

Cur nunquam tam frequens Senatus fuit, quo *unus aliquis* tuam ſententiam ſecutus ſit? *Cic.*

Si tu ſolus, aut *quivis unus* cum ſcuto. *Cic.*

Confugerent ad *unum aliquem* virtute præſtantem. *Cic.*

Ego autem ſententiam dixi, cui aſſenſi ſunt *ad unum*. *Cic.*

Cum *te unum ex omnibus*, ad dicendum maxime natum aptumque cognoſſem. *Cic.*

Inter omnes, in omni dicendi genere unus eminet Demoſthenes. *Cic.*

Vnum omnium loquaciſſimum, & minime aptum ad dicendum. *Cic.*

Solus.] In tuis ſummis laudibus, excipiunt *unam* iracundiam. *Cic.*

Cum ſuperlativo.] *Vna excellentiſſima* virtus juſtitia colitur. *Cic.*

VSPIAM. VSQVAM.

Aliò.] Nec vero *usquam* diſcedebam. *Cic.*

Si ſcires aſpidem occulte latere *uspiam*. *Cic.*

An quisquam *usquam gentium* eſt æque miſer? *Ter.*

VSQVE.

Illum *usque* a mari ſupero Romam proficiſci cum magno comitatu. *Cic.* Vetus opinio eſt, *usque ab* heroicis ducta temporibus. *Cic.*

Vsque ad hoc tempus Syracuſis feſtos dies anniverſarios agunt. *Cic.*

Noſtri ſonitus tanti fuerunt, ut ego brevior ſim, quod eos *usque iſthinc* exauditos putem. *Cic.*

Certum eſt obſidere, *usque donec* redierit. *Ter.*

Mihi quidem *usque* curæ erit quid agas, *dum* quid egeris, ſcio. *Cic.*

Multa facimus *usque eo*, *dum* aſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii. *Cic.*

Vsque eo moroſi ſumus, *ut* nobis non ſatisfaciat ipſe Demoſthenes. *Cic.*

Vsque eone te diligis, & magnifice circumſpicis? *Cic.*

Dionyſius quidem Tyrannus Syracuſis expulſus, Corinthi pueros docebat, *usq; eo* imperio carere non potuit. *Cic.*

Ipſos quoque tempeſtas vehementius jactare cœpit, *usque adeo, uti* navis dominus confugeret in ſcapham. *Cic.*

Suadere, orare, *usque eo, donec* perpulit. *Ter.*

Vsque adeone mori miſerum eſt? *Var.*

Vsque quaque ſapere oportet; id erit telum acerrimum. *Cic.*

Aſſidue.] Ita *usque* adverſa tempeſtate uſi ſumus. *Ter.*

VT.

Velim, ſed timeo.] *Vereor, ut* hic dies mihi ſatis ſit. *Ter.*

Sicut.] Præſertim *ut* nunc ſunt mores *Ter.*

Quomodo.] Quid agit tua uxor? *ut valet? Plaut.* *Vt* ſæpe ſuma ingenia in occulto *latent. Plaut.* Cnejus noſter, o rem miſeram & incredibilem, *ut* totus *jacet*! *Cic.*

Vtinam.] *Vt* iſtum Dii Deæque *perdant. Plaut.*

Si ſpectes.] *Vt* Populi Rom. ætas eſt, ſenes, *ut* Athenienſium ſecula numerantur, adoleſcentes debent videri. *Cic.*

Si ſpectes mala.] Exorabilis iracundia, *ut in malis*, acerbitati anteponenda eſt. *Cic.*

Vtpote qui.] Dices enim, *ut es* homo facetus. *Cic.*

Licet.] *Vt* ſuperiora omittam; hoc *certe* quod mihi maximam admirationem movet, non tacebo. *Cic.*

Ne.] *Vt ne* longius abeam. *Cic.*

Quin.] Ruere illa non poſſunt, *ut* hæc *non* eodem labefactata motu concidant. *Cic.*

Vtcunque.] Sed *utut* eſt, indulge valetudini. *Cic.*

Poſt-

Poſtquam.] *Vt* ab urbe diſceſſi, nullum prætermiſi diem, *quin* aliquid ad te literarum darem. *Cic.*
Quomodocunque.] Sed *utcunque* aderunt res. *Cic.*
Vereor, ut hoc perinde intelligi auditu *non* poſſit, atque ipſe cogitans ſentio. *Cic.*
Vt male poſuimus initia, *ſic* cætera ſequuntur. *Cic.*
Vt vir doctiſſimus fecit Plato, *item* mihi credo eſſe faciendum. *Cic.*
Pompejus ſuis prædixerat, *ut* Cæſaris impetum exciperent, *neve* ſe loco moverent. *Cæſ.*
Mihi quidem deliberatum eſt, *ut nunc eſt*, abeſſe ex ea urbe. *Cic.*
Hanc vides villam, *ut nunc* quidem *eſt*, lautius ædificatam. *Cic.*
Petivi ſæpe per literas non ut decernatur aliquid novi, ſed *ut ne* quid novi decernatur. *Cic.*
Non ut te inſtituerem ſcripſi; *ſed* me in ſcribendo commemoratio tuæ virtutis delectavit. *Cic.*
Vt ut hæc ſunt, *tamen* hoc faciam. *Ter.*
Philippus *ut* heri me ſalutavit, *ſtatim* Romam profectus eſt. *Cic.*
Illud dico, me *ut primum* in concione provinciam depoſuerim, *ſtatim* quemadmodum tibi traderem, cogitare cœpiſſe. *Cic.*
Ne paſſus fueris plus quam duas, aut *ut maxime* tres gemmas habere. *Col.*
Domus celebratur, *ut cum maxime. Cic.*
Mihi quidem non eſt notum, *ut quisque* in Epirum proficiſcatur. *Cic.*
Cætera *uti* facto opus ſit, *ita* agant. Sal.
Vti initium, *ſic* finis eſt. *Sal.*

VTER.

Vtrumvis.] *Vtrum* igitur eorum accidiſſet, verum oraculum fuiſſet. *Cic.*

Vtrum, ſuppreſſum.] Erravit, *an* potius inſanivit Apronius. *Cic.* Velit, nolit, ſcire difficile eſt. *Cic.*

Quamobrem *uter* tandem noſtrum, Labiene, popularis eſt? tune an ego? *Cic.*

Vt neque dijudicari poſſet, *uter utri* virtute anteferendus videretur. *Cæſ.*

Horum *utro* uti nolimus, *altero* eſt utendum. *Cic.*

Si *utros* ejus habueris libros (duo enim ſunt corpora) an *utrosque* neſcio. *Cic.*

Vter e duobus doctior?

Videte igitur *utrum* ſit æquius, hominem honeſtiſſimum dedi immaniſſimis nationibus, *an* reddi amicis. *Cic.*

Vtrum hoc ſignum improbitatis tuæ, *an* trophæum neceſſitudinis atque hoſpitii, an amoris judicium eſſe voluiſti? *Cic.*

Vtrum prælium committi ex uſu eſſet, necne. *Cæſ.*

Videndum eſt primum *utrum* velint, *an non* velint. *Plaut.*

Magna eſt vis fortunæ in *utramque partem*, vel ad ſecundas res, vel ad adverſas. *Cic.*

Vterque inter ſe aut *neuter* ſatisdaret. *Cic.*

Cum *uterque utrique* exercitui eſſet in conſpectu. *Cæſ.* *Vter utrique* eſt cordi. *Ter.*

At minus habent virium, quam veſtrum *utervis.* *Cic.*

In hoc bello *utracunq;* pars vicerit, tamen perituri ſumus. *Cic.*

Vtrumlibet elige: alterum incredibile eſt, alterum nefarium. *Cic.*

VTI.

Tanquam.] *Vti* quod optimo jure ſepulchrum publice datum eſt. *Cic.*

Vt.] Is ad me dedit literas, *uti* ſe tibi placarem. *Cic.*

VTINAM.

Vtinam.] Vtinam ſaluti noſtræ conſulere poſſemus, dignitati *certe* conſuleremus. *Cic.* *Vtinam* tu quoque eodem die. Sin, (quid enim multa?) *utiq;* poſtridie. *Cic.*

VTIQVE.

Certe. Omnino.] Illud vero *utique* ſcire cupio. *Cic.* Velim M. Varronis & Lollii mittas laudationem, Lollii *utique*. *Cic.*

Velim ante poſſis, ſin minus, *utique* ſimul. *Cic.*

EXCERPTA E PHÆDRI FABVLIS.

HÆſi nonnihil ambiguus, quo maxime antiquo & ingenuo libro, Filium puerum Latinitati initiarem. Cumque nec ſeveritas Epiſtolarum Ciceronis, nec alius Autor prolixus, ac in rerum verborumq; amplitudinem diffuſus, videretur tantillo captui convenire, Quintiliani conſilio locum dandum eſſe mecum ſtatui, qui ætati nondum Rhetorem capienti, Æſopi fabellas, ſermone puro, & nihil ſe ſupra modum extollente, narrare, ac nutricularum fabulis ſubſtituere ſuadet. Quamobrem Phædrum, quo nemo Æſopi Apologos magis ſcite, magisq; diſerte eloquutus eſt, præceptorem filio exponere, & elegantiores expreſſiones ediſcendas committere juſſi. Simul occaſionem ſemper captabam, monendi puerum, quid Æſopus per fabellas quæſiverit, & quantum ad errores mortalium corrigendos eæ faciant; ut ſic mature virtutis & probitatis præceptis teneram mentem imbuerem. Sane, occurrunt aliqua prætextata in Phædro, prætextam geſtantibus minime proponenda: ſed ea univerſa ab editione qua uſi ſumus, quamque Joh. Henricus Urſinus, Vir de ſacris & profanis literis egregie meritus, Anno 1657. Ratisbonæ evulgavit, abſunt. Omnium quibus Juventus curæ cordique, ſuprema lex eſſe debet, illud non Poëtæ, ſed Sapientiæ ipſius effatum:

Nil dictu fœdum, viſuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt.

LIBER

LIBER I.

ÆSopus auctor quam materiam repperit,
Hancce ego polivi verſibus ſenariis.
Duplex libelli dos eſt, quod riſum movet,
Et quod prudentis vitam conſilio monet.
Calumniari ſi quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum feræ,
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

I.

Ad rivum eundem Lupus & Agnus venerant
Siti compulſi: Superior ſtabat Lupus:
Longeq; inferior Agnus. Tunc face improba
Latro incitatus, jurgii cauſam intulit.
Cur, inquit, turbulentam mihi feciſti aquam
Iſtam bibenti? Laniger contra timens:
Qui poſſum, quæſo facere, quod quereris, lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
Ante hos ſex menſes, maledixiſti, ait, mihi.
Reſpondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater tuus, inquit, hercle maledixit mihi,
Atque ita correptum lacerat injuſta nece.
Hæc propter illos ſcripta eſt homines fabula,
Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

II.

Athenæ cum florerent æquis legibus,
Procax libertas Civitatem miſcuit,
Frænumq; ſolvit priſtinum licentia.

Cum triſtem ſervitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, ſed quoniam grave
Omnino inſuetis onus, & cœpiſſent queri.

*

Clamore magno petierunt Regem a Jove,
Qui diſſolutos mores vi compeſceret.

*

Forte una tacite profert e ſtagno caput.

*

Vocem præcludit metus.

*

Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,
Afflictis ut ſuccurrat. Tunc contra Deus:
Quia noluiſtis veſtrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte.

III.

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Æſopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani Graculus ſuperbia,
Pennas, Pavoni quæ deciderant, ſuſtulit,
Seque exornavit: deinde contemnens ſuos,
Immiſcuit ſe Pavonum formoſo gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantq; roſtris. Male multatus Graculus.
Redire mœrens cœpit ad proprium genus.

*

Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus,
Et quod Natura dederat, voluiſſes pati,
Nec illam expertus eſſes contumeliam,
Nec hanc repulſam tua ſentiret calamitas.

IV.

Amittit merito proprium, qui alienum appetit.

Lym-

*

Lympharum in ſpeculo vidit ſimulachrum ſuum.

*

· - Verum decepta aviditas,
Et quem tenebat ore demiſit cibum,
Nec quem petebat,potuit adeo attingere.

V.

Nunquam eſt fidelis cum potente ſocietas.

*

- - Et patiens ovis injuriæ,

*

Malo adficietur,ſi quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam ſola improbitas abſtulit.

VI.

Quidnam futurum eſt,ſi crearit liberos?

VII.

Perſonam tragicam forte Vulpes viderat,
O quanta ſpecies,inquit,cerebrum non habet!
Hoc illis dictum eſt,quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, ſenſum communem abſtulit.

IIX.

Qui pretium meriti ab improbis deſiderat,
Bis peccat:primum,quoniam indignos adjuvat;
Impune abire deinde quia jam non poteſt.

*

Ingrata es,inquit,ore quæ noſtro caput
Incolume abſtuleris,& mercedem poſtules.

IX.

Sibi non cavere, & aliis conſilium dare,
Stultum eſſe,paucis oſtendamus verſibus.

*

- - Vbi pernicitas
Nota,inquit,illa eſt,quid ita ceſſarunt pedes?

Lepus

*

Lepus ſemianimus mortis in ſolatio:
Qui modo ſecurus noſtra irridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

X.

Quicunque turpi fraude ſemel innotuit,
Etiamſi verum dicit, amittit fidem.

*

Negabat illa ſe eſſe culpæ proximam.

*

Vterq; cauſam cum peroraſſent ſuam,
Dixiſſe fertur Simius ſententiam:
Tu non videris perdidiſſe quod petis;
Te credo ſurripuiſſe, quod pulchre negas.

XI.

Virtutis expers, verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis eſt deriſui.

*

- - Hic auriculas
Clamore ſubito tollit totis viribus,
Novoq; turbat beſtias miraculo.

*

Qualis tibi videtur opera hæc vocis meæ?
Inſignis, inquit, ſic, ut niſi noſſem tuum
Animum genusque, ſimili fugiſſem metu.

XII.

Laudatis utiliora quæ contempſeris
Sæpe inveniri, hæc exſerit narratio.

*

Et curſu levi canes eluſit.

*

O me infelicem, qui nunc demum intelligo,

Vt

Vt illa mihi profuerint, quæ deſpexeram,
Et quæ laudaram, quantum luctus habuerint.

XIII.

Qui ſe laudari gaudet verbis ſubdolis,
Fere dat pœnas, turpi pœnitentia.

*

O qui tuarum, Corve, pennarum eſt nitor!
Quantum decoris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.

*

Tum demum ingemuit Corvi deceptus ſtupor.
Hac re probatur, ingenium quantum valet.
Virtuti ſemper prævalet ſapientia.

XIV.

Verboſis adquiſivit ſibi famam ſtrophis.

*

Non artis ulla medicum ſe prudentia,
Verum ſtupore Vulgi factum nobilem.
Rex, advocata concione, hæc addidit:
Quantæ putatis eſſe vos dementiæ,
Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſit pedes?
Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum ſtultitiæ quæſtus impudentia eſt.

XV.

In principatu commutando ſæpius,
Nil præter Domini mores mutant pauperes.

*

- - Quæſo num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?

*

- - Ergo quid refert mea,
Cui ſerviam? clitellas dum portem meas.

XVI.

Fraudator, nomen ſponſore locat cum improbo,
Non rem expedire, ſed mala videre expetit.

*

Vbi vos requiram, cum dies advenerit?

XVII.

Solent mendaces luere pœnas maleficii.

*

Hæc, inquit, merces fraudis, a Superis datur.

XIIX.

Nemo libenter recolit, qui læſit, locum,

*

Vir eſt hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus Naturæ melius quo deponeret.
Minime, inquit, illo poſſe confido loco
Malum finiri, quo conceptum eſt initio.

XIX.

Habent inſidias hominis blanditiæ mali,

*

- - Si mihi & turbæ meæ
Par, inquit, eſſe potueris, cedam loco.

XX.

Stultum conſilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

XXI.

Quicunque amiſit dignitatem priſtinam,
Ignavis etiam jocus eſt, in caſu gravi.
Defectus annis, & deſertus viribus
Leo cum jaceret, ſpiritum extremum trahens,

*

Aper fulmineis ad eum venit dentibus.

*

- - Fortes indigne tuli
Mihi inſultare: Te Naturæ dedecus

Quod

Quod ferre cogor, certe bis videor mori.

XXII.

Hoc in ſe dictum debent illi agnoſcere
Quorum privata ſervit utilitas ſibi;
Et meritum inane jactant imprudentibus.

XXIII.

Repente liberalis ſtultis gratus eſt,
Verum peritis irritos tendit dolos.

*

Namque iſta ſubita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

XXIV.

Inops potentem dum vult imitari, perit.

*

Et tacta invidia tantæ magnitudinis,
Rugoſam inflavit pellem.

*

- - Dum vult validius
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

XXV.

Conſilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, & deridentur turpiter.

*

- - Facerem mehercule,
Niſi eſſe ſcirem carnis te cupidum meæ.

XXVI.

Nulli nocendum: Si quis vero læſerit,
Multandum ſimili jure, fabella admonet.

*

Satiatur ipſa, & torquet convivam fame:
Quæ, cum lagenæ collum fruſtra lamberet,
Peregrinam ſic locutam volucrem accepimus:
Sua quiſque exempla debet æquo animo pati.

XXVII.

XXVII.

Hæc res avaris eſſe conveniens poteſt,
Et qui humiles nati, dici locupletes ſtudent.

*

Pœnas ut ſanctæ Religioni penderet.
Itaque aurum dum cuſtodit, oblitus cib
Fame eſt conſumtus.

*

- - O Canis, merito jaces,
Qui concupiſti ſubito regales opes,
Trivio conceptus, & educatus ſtercore,

XXIIX.

Quamvis ſublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet ſolertiæ,

XXIX.

Plerunque ſtulti riſum dum captant levem,
Gravi diſtringunt alios contumelia,

*

Et ſibi nocivum concitant periculum.

*

- - Facilis vindicta eſt mihi:
Sed inquinari nolo ignavo ſanguine.

XXX.

Humiles laborant, ubi potentes diſſident.

*

Heu quanta nobis inſtat pernicies! ait.

*

Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet

XXXI.

Qui ſe committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.

*

Qui regnum adeptus, cœpit veſci ſingulis,
Et exercere imperium ſævis unguibus.
Tunc de reliquis una: Merito plectimur.

LIBER II.

NEc aliud quicquam per ſabellas quæritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque ſeſe diligens induſtria.

*

Recommendatur, non auctoris nomine.

*

Bonas in partes, Lector, accipias velim.
Sic iſta rependet tibi brevitas gratiam,
Cui verboſa neſcit commendatio.

XXXII.

Attende, cur negare cupidis debeas,
Modeſtis etiam offerre, quod non petierint.

*

Verum, eſt aviditas dives, & pauper pudor.

XXXIII.

A Fœminis utcunque ſpoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis diſcimus.

XXXIV.

Succeſſus improborum plures allicit.

XXXV.

Quantum homo bilinguis ſæpe concinnet mali,
Documentum habere ſtulta credulitas poteſt.

XXXVI.

Eſt ardelionum Romæ quædam natio,
Trepide concurſans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi moleſta, & aliis odioſiſſima.

*

Alveolo cœpit ligneo conſpargere
Humum æſtuantem.

Multo majoris alapæ mecum veneunt.

XXXVIII.

Contra potentes nemo eſt munitus ſatis,
Si vero acceſſit conſiliator maleficus,
Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit.

*

Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit triſti nece.

XXXIX.

Ille onere dives, celſa cervice eminens,
Clarumque collo jactans tintinnabulum,
Comes quieto ſequitur & placido gradu.

*

- - Me contemtum gaudeo,
Nam nil amiſi, nec ſum læſus vulnere.
Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas,
Magnæ periclo ſunt opes obnoxiæ.

XXXIX.

Spatium diei noctis excipiunt vices.

*

Sed ille qui oculos centum habet, ſi venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.

*

- - Cur frondis parum eſt?
Stramenta deſunt? Tollere hæc aranea,
Quantum eſt laboris?

*

- - Hæc ſignificat fabula,

*

Dominum videre plurimum in rebus ſuis.

Auctor.

Patere honoris ſcirent ut cuncti viam,
Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.

Plures

*

Plures habebit, quos opponat Græciæ:
Sin livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.

*

Siniſtra quos in lucem Natura extulit,
Nec quicquam poſſunt niſi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat ſui.

LIBER III.

*

PHædri libellos legere ſi deſideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Vt liber animus ſentiat vim carminis.

*

. . Tanti non eſt ingenium tuum,
Momentum ut horæ pereat officii mei.

*

. . Aliquæ venient feriæ,
Quæ me ſoluto pectore ad ſtudium vocent.

*

Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Vt adſuetam fortius præſtes vicem.
Mutandum tibi propoſitum eſt, & vitæ genus,
Intrare ſi Muſarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa eſt jugo,
In quo tonanti ſancta Mnemosyne Jovi
Fœcunda novies artium peperit chorum,
Quamvis in ipſa natus ſim pæne Schola
Curamque habendi penitus corde eraſerim,
Et laude invita in hanc vitam incubuerim,
Faſtidioſe tamen in cœtum recipior.

*

\- - Qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigilia;
Docto labori dulce præponens lucrum.

*

Librum exarabo tertium Æſopi ſtylo,
Honori & meritis dedicans illum tuis:
Quem ſi leges, lætabor, ſin autem minus,
Habebunt certe, quo ſe oblectent poſteri.

*

\- - Servitus obnoxia
Quia quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit jocis.
Ego porro illius ſemita feci viam.

*

Suſpicione ſi quis errabit ſua,
Et rapiet ad ſe, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conſcientiam.

*

Ego literatæ qui ſum propior Græciæ,
Cur ſomno inerti deſeram patriæ decus?

*

Qui ſaxa cantu movit, & domuit feras,
Erebique tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abeſto, livor, ne fruſtra gemas.

*

Induxi te ad legendum: ſincerum mihi
Candore noto, reddas judicium, peto.

XXXX.

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna fæce & teſta nobili,
Odorem quæ jocundum late ſpargeret:
Hunc poſtquam totis avida traxit naribus:

O ſua-

O ſuavis anima,qualem te dicam bonam
Antehac fuiſſe,tales cum ſint reliquiæ?
Hoc,quo pertineat,dicet, qui me noverit.

XXXXI.

Solet a deſpectis par referri gratia

*

- - Alii fuſtes congerunt,
Alii onerant ſaxis.

*

Miſere panem,ut ſuſtineret ſpiritum.

*

Et in cubile concito properat gradu.

*

Et cuncta vaſtans ſævit irato impetu.

*

Damnum haud recuſant,tantum pro vita rogant.

*

- - Vos timere abſiſtite;
Illis revertor hoſtis,qui me læſerant.

XLIII.

Quale,inquit,caput eſt,talis præſtatur ſapor.

*

Quando & formoſos ſæpe inveni peſſimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

XLIV.

Succeſſus ad perniciem multos devocat.
Æſopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit,melior.

*

- - Fecit quod monitus fuit,
Sed ſpes fefellit impudentem audaciam.
Comprenſus namque,pœnas perſolvit cruce.

XLV.

Vide ne dolone collum compungam tibi.

- - Verbis non moveor tuis;
Sed iſtum timeo, ſella qui prima ſedens,
Jugum flagello temperat lento meum,
Et lora frænis continet ſpumantibus.
Quapropter aufer frivolam inſolentiam.
Nam, ubi ſtrigandum, & ubi currendum ſit, ſcio.
Hac derideri fabula merito poteſt,
Qui ſine virtute vanas exercet minas.

XLVI.

Cani perpaſto, macie confectus Lupus
Forte occurrit.

*

Eadem eſt conditio tibi,
Præſtare domino ſi par officium potes.

*

Quanto eſt facilius mihi ſub tecto vivere,
Et otioſum largo ſatiari cibo?

*

Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam & vigilem cum nox venerit.
Crepuſculo ſolutus, qua viſum eſt vagor:
Adfertur ultro panis: de menſa ſua
Dat oſſa dominus: fruſta jactat familia,
Et quod faſtidit quisque pulmentarium:
Sic ſine labore venter impletur meus.
Age, ſi quo adire eſt animus, eſt licentia.

*

Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

XLVII.

Præcepto monitus, ſæpe te conſidera.
Habebat quidam filiam turpiſſimam;
Idemque inſigni & pulchra facie filium.

*

- - Illa iraſcitur,

Nec

Nec gloriantis ſuſtinet fratris jocos.

*

Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus, quod rem fœminarum tetigerit.

*

Cotidie, inquit, ſpeculo, vos uti, volo,
Tu, formam ne corrumpas nequitiæ malis:
Tu, faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

XLVIII.

Vulgare amici nomen; ſed rara eſt fides.

*

Quæſo, tam anguſtam talis vir ponis domum?
Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

XLIX.

Periculoſum eſt credere, & non credere.

*

Ergo exploranda eſt veritas multum prius,
Quam ſtulta prave judicet ſententia.
Sed fabuloſa ne vetuſtate eleyem,
Narrabo tibi, memoria quod factum eſt mea.

*

Togamque puram jam pararet filio.

*

Dum quærunt lumen, dum concurſat familia,
Iræ furentis impetum non ſuſtinens,
Ad lectum accedit.

*

Repræſentavit in ſe pœnam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas ſtrinxerat.

* *

- - Tenebras diſpulit caluminæ,
Certumque fontem veritatis reperit.

*

- - Si mendacium

Subtiliter limaſſet a radicibus,
Non evertiſſet ſcelere funeſto domum.
Nil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim,
Quandoquidē & illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

*

Opinione alterius ne quid ponderent,
Ambitio namque diſſidens mortalium,
Aut gratiæ ſubſcribit, aut odio ſuo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.

LI.

In ſterquilinio pullus gallinaceus
Dum quærit eſcam, margaritam reperit.
Jaces indigno quanta res, inquit, loco.

*

Nec tibi prodeſſe, nec mihi tu quicquam potes.

LII.

Apertum eſt, quis non poſſit, aut quis fecerit,
Quapropter apibus fructum reſtituo ſuum.

LIII.

Arcum retenſum poſuit in media via:
Heus, inquit, Sapiens, expedi quod fecerim.

*

Cito rumpes arcum, ſemper ſi tenſum habueris,
At ſi laxaris, cum voles, erit utilis:
Sic luſus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

LIV.

Stulte, inquit, erras, non eſt hæc mater tua.

*

Non illam quæro, quæ cum lubitum eſt, concipit,
Dein portat onus ignotum certis menſibus,

Noviſſi-

Noviſſime prolapſam effundit larcinam:
Verum illam, quæ me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne deſit mihi.

*

Vnde illa ſcivit, niger an albus naſceret?

*

Facit Parentes bonitas, non neceſſitas.
His demonſtrare voluit Auctor verſibus,
Obſiſtere homines legibus, meritis capi.

LV.

Humanitati qui ſe non accommodat,
Plerunque pœnas oppetit ſuperbiæ.
Cicada acerbum noctuæ convicium
Faciebat, ſolitæ victum in tenebris quærere.

*

- - Noctua ut vidit ſibi
Nullum eſſe auxilium, & verba contemni ſua,
Hac eſt aggreſſa garrulam fallacia.

*

Potare eſt animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit. Si non faſtidis, veni,
Vna bibamus.

*

Trepidantem conſectata eſt, & letho dedit
Sic viva quod negarat, tribuit mortua.

LVI.

- - Quercus Jovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo Laurea,
Pinus Cibellæ, populus celſa Herculi.

*

Honorem fructu ne videamur vendere.

*

Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.
Nihil agere quod non proſit, fabella admonet.

LVII.

Pavo ad Junonem venit, indigne ferens,
Cantus Luſcinii quod ſibi non tribuerit.

*

Sed forma vincis, vincis magnitudine:
Nitor ſmaragdi collo præfulget tuo;
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.

*

Fatorum arbitrio partes vobis ſunt datæ:
Tibi forma, vires Aquilæ, Luſcinio melos,
Augurium Corvo, læva Cornici omina;
Omnes quæ propriis ſunt contentæ vocibus:
Noli adfectare, quod tibi non eſt datum,
Deluſa ne ſpes ad querelam decidat.

LVIII.

Æſopus domino ſolus cum eſſet familia.

*

- - Et quidam e turba garrulus;
Æſope, medio ſole quid cum lumine?
Hominem, inquit, quæro, & abiit feſtinans domum.

LIBER IV.

LIX.

QVi natus eſt infelix, non vitam modo
Triſtem decurrit; verum poſt obitum quoq;
Perſequitur illum dura fati miſeria.

Poëta.

Non ſemper ea ſunt quæ videntur; decipit

Frons

Frons prima multos rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

LX.

Muſtela annis & ſenecta debilis.

*

Involvit ſe farina,& obſcuro loco
Abjecit negligenter.

*

Sic valeas,inquit,ut farina es,quæ jaces.

LXI.

Nondum matura eſt (uva,)nolo acerbam ſumere.
Qui facere quæ non poſſunt,verbis elevant,
Adſcribere debebunt hoc exemplum ſibi.

LXII.

- - Parvæ vindictam rei,
Dum quæro demens,ſervitutem reperi.
Hæc iracundos admonebit fabula,
Impune potius lædi,quam dedi alteri.

LXIII.

Plus eſſe in uno ſæpe quam in turba boni.

*

Vnam formoſam,& oculis venantem viros:
At alteram lanificam & frugi, ruſticam:
Devotam vino tertiam, & turpiſſimam.

*

Ne data poſſideant,aut fruantur.

*

- - Plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam,& delicatos hortulos.

*

Æſopus media ſubito in turba conſtitit:
O ſi maneret condito ſenſus patri,
Quam graviter ferret,quod voluntatem ſuam

Inter-

Interpretari non potuiſſent Attici.

*

- - Cultum vendet, ut vinum paret:

*

Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Vnius hominis repperit ſolertia.

LXIV.

Quos immolatos victor avidis dentibus,
Capacis alvi merſit tartareo ſpecu.
Quemcunque populum triſtis eventus premit,
Periclitatur magnitudo Principum;
Minuta plebs facili præſidio latet.

Phædrus.

Tu qui naſute ſcripta deſtringis mea,
Et hoc jocorum legere faſtidis genus,
Parum libellam ſuſtine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuæ,
Et in cothurnis prodit Æſopus novis.

*

Quid ergo poſſum facere tibi, Lector Cato,
Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?
Noli moleſtus eſſe omnino literis,
Majorem exhibeant ne tibi moleſtiam.
Hoc illis dictum eſt, qui ſtultitiam nauſeant,
Et ut putentur ſapere, cœlum vituperant.

LXV.

Quid me, inquit, ſtulta dente captas lædere,
Omne adſuevi ferrum quæ corrodere.

LXVI.

Homo ſimul ac venit in magnum periculum.
Effugium reperire alteritis quærit malo.

LXVII.

LXVII.

Peras impoſuit Jupiter nobis duas,
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit;
Alienis, ante pectus ſuſpendit gravem.
Hac re videre noſtra mala non poſſumus:
Alii ſimul delinquunt, Cenſores ſumus.

LXVIII.

Tamen, ſceleſte, ſpiritu culpam lues
Olim, cum adſcriptus venerit pœnæ dies.

*

Significat primo, ſæpe quos ipſe alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios.
Secundo oſtendit, ſcelera non ira Deum,
Fatorum dicto ſed puniri tempore,
Noviſſime interdicit, ne cum malefico
Vſum bonus conſociet ullius rei.

LXIX.

Opes inviſæ merito ſunt forti Viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.

*

Odi, inquit, illum, quia malis amicus eſt,
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

LXX.

Vtilius homini nihil eſt quam recte loqui,
Probanda cunctis eſt quidem ſententia;
Sed ad perniciem ſolet agi ſinceritas.

*

- - Anne os fœteret ſuum?
- - Sane anhelitum gravem.

LXXII.

Sinite, inquit, illas gloria vana frui;
Et uſurpare veſtri ornatum muneris,

Pares

Pares dum non ſint veſtræ fortitudini.
Hoc argumentum monet, ut ſuſtineas, tibi
Habitu eſſe ſimiles, qui ſunt virtute impares.

LXXIII.

Factus periculo tum gubernator Sophus.
Parce gaudere oportet, & ſenſim queri;
Totam quia vitam miſcet dolor & gaudium.

LXXIV.

Furſuribus ſibi conſparſum quod panem darent.

*

Tum vero vultum magni ut viderunt Jovis,
Totam timentes concacarunt Regiam.

*

- - Rogantes aditum, continuo impetrant.
Conſedit genitor tum Deorum maximus,
Quaſſatque fulmen; tremere cœpere omnia.

*

Reclamant omnes, vindicandam injuriam.

*

Ita nunc Legatos expectantes poſteri,
Venire cum vident novum, olfaciunt culum.

LXXV.

Qui fert malis auxilium, poſt tempus dolet.

*

- - Ne quis diſcat prodeſſe improbis.

LXXVI.

Oro ut imprudentiæ, des primum veniam.

*

- - Sic fatis placet.
Nolo iraſcaris, libere ſi dixero:
Diis eſt iratis natus, qui eſt ſimilis tibi.

LXXVII.

Abiturus illuc, quo priores abierunt,

Quid

Quid mente cæca miſerum torques ſpiritum?
Tibi dico avare, gaudium heredis tui,
Qui thure Superos, ipſum te fraudas cibo:
Qui triſtis audis muſicum cithâræ ſonum,
Quem tibiarum macerat jocunditas,
Obſoniorum pretia cui gemitum exprimunt:
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas ſordido perjurio:
Qui circumcidis omnem impenſam funeris,
Libitina ne quod de tuo faciat Lucrum.

PHÆDRVS.

Sive hoc ineptum, ſive laudandum eſt opus.
Invenit ille, noſtra perfecit manus.
Sed exequamur cœptum propoſiti ordinem.

LXXIIX.

Homo doctus in ſe ſemper divitias habet.

*

Venire in patriam voluit curſu pelagio,

*

Aſcendit navem; quam tempeſtas horrida
Simul & vetuſtas medio diſſolvit mari.

*

Simonide tu ex opibus nil ſumis tuis?
Mecum, inquit, mea ſunt cuncta.

*

Simonidis qui ſæpe verſus legerat,
Eratque abſentis admirator maximus.

*

- - Cæteri tabulam ſuam
Porrigunt, rogantes, victum.

Metum-

LXXIX.

Metumque riſus ſolvit. Hoc ſcriptum eſt tibi,
Qui magna cum minaris, extricas nihil.

LXXX.

Nil agere quod non proſit, fabella indicat.

*

In capite Regis ſedeo, cum viſum eſt mihi,
Et matronarum caſta delibo oſcula.

*

Eorum qui ſe falſis ornant laudibus.
Et quorum virtus exhibet ſolidum decus.

LXXXI.

Quantum valerent inter homines literæ,
Dixi ſuperius: quantus nunc illis honos
A ſuperis ſit tributus, tradam memoriæ

*

Ad cœnam mihi promitte, cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi

*

Splendebat hilare poculis convivium:
Magno apparatu læta reſonabat domus;
Repente cum duo Juvenes, ſparſi pulvere,
Sudore multo defluentes corpora,
Humanam ſupra formam, cuidam ſervulo
Mandant, ut ad ſe provocet Simonidem:
Illius intereſſe ne faciat moram.

*

Omnes ſcierunt, Numinum præſentiam
Vati dediſſe vitam mercedis loco.

Poëta.

Superſunt mihi quæ ſcribam, ſed parco ſciens:

Primum

Primum, eſſe ne tibi videar moleleſtior,
Diſtringit quem multarum rerum varietas:
Dein, ſi quis eadem forte conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui:
Quamvis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.

*

Nam vita morti propior eſt cotidie,
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus conſumet temporis dilatio.

*

Similique gyro venient aliorum vices,

*

Sed difficulter continetur ſpiritus,
Integritatis qui ſinceræ conſcius.

*

Ego quondam legi quam puer ſententiam,
Palam mutire plebejo periculum eſt,
Dum ſanitas conſtabit, pulchre meminero.

LIBER V.

Conſilium tacito corde damnavi meum.

*

- - - Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio cauſam ſcribendi dedit.

*

Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet.
Mihi parta laus eſt, quod tu, quod ſimiles tui,
Veſtras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicatis memoria:
Illiteratum plauſum non deſidero.

Poëta.

Vt quidam artifices noſtro faciunt ſeculo,

Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adſcripſerunt Praxitilem, ſuo
Detrito Myronem argento.

LXXXII.

Illam oſculantur, qua ſunt oppreſſi, manum,
Tacite gementes triſtem fortunæ vicem.

*

Vnguento delibutus, veſtitu adfluens,
Veniebat greſſu delicato & languido.

*

Quinam cinædus ille in conſpectu meo
Audet venire?

LXXXIII.

Iter duobus unum erat ſociis viæ:
Dum progrediuntur, fit latro illis obvius;
Alter periclo auxilio ſe pedum expedit;
Manum alter conſerens, juſtam obtulit necem,
Et vindicavit ſeſe forti dextera.

*

Cedo, inquit, illum; jam curabo, ſentiat
Quos adtentarit.

*

- . Conde ferrum, & linguam pariter futilem.

*

Illi adſignari debet hæc narratio,
Qui re ſecunda fortis eſt, dubia fugax.

LXXXIV.

Injuriæ qui addideris contumeliam.

*

- - Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuiſſe mentem lædendi ſcio.

Hoc

Hoc argumentum, veniam mage dari docet,
Qui caſu peccat quam qui conſilio eſt nocens,
Illum eſſe quavis pœna dignum judico.

LXXXV.

Tuum libenter proſus adpeterem cibum,
Niſi qui nutritus illo eſt, jugulatus foret.

*

Periculoſum ſemper reputavi lucrum.
Sed dicis: qui rapuere divitias habent.
Numeremus, agedum, qui deprehenſi perierint,
Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas eſt bono, multis malo.

LXXXVI.

Pravo favore labi mortales ſolent,
Et pro judicio dum ſtant erroris ſui,
Ad pœnitendum rebus manifeſtis agi.

*

Quos inter ſcurra notus urbano ſale,
Habere dixit ſe genus ſpectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret,
Diſperſus rumor civitatem concitat:
Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.

*

Silentium ipſa fecit expectatio.

*

- - Multis onerant laudibus,
Hominemque plauſu proſequuntur maximo.

*

Fit turba major: nam favor mentes tenet.

*

- - Scurra digrunnit prior,
Movetque plauſus, & clamores ſuſcitat.

*

Et cum dolore vocem naturæ exprimit.

*

En, hic declarat, quales ſitis judices.

Poëta.

Sed temperatæ ſuaves ſunt argutiæ,
Immodicæ offendunt.

LXXXVII.

Æque defectus pilis.
Eja, inquit, commune quodcunque eſt lucri.

*

Superum voluntas favit, ſed fato invido,
Carbonem, ut ajunt, pro theſauro invenimus.
Quem ſpes deluſit, huic querela convenit.

LXXXIIX.

Vbi vanus animus aura captus frivola,
Abripuit inſolentem ſibi fiduciam,
Facile ad deriſum ſtulta levitas ducitur.

*

- - Aliquot menſes tranſeunt,
Ad ſanitatem dum venit curatio.

*

- - Devolutis tonitrubus,
Dii ſunt locuti more translaticio.

*

Lætare incolumis Roma ſalvo Principe,

*

- - Homo meus ſe in pulpito.
Totum proſternit.

LXXXIX.

Curſu volucri, pendens in novacula,
Calvus, comoſa fronte, nudo corpore,

Quem

Quem ſi occuparis, teneas, elapſum ſemel,
Non ipſe poſſit Jupiter reprehendere.

XC.

Tace, inquit, ante hoc novi quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, ſibi dici putet.

XCI.

Languere cœpit annis ingravantibus.

*

- - Sed carioſis dentibus
Prædam dimiſit.

*

Non te deſtituit animus, ſed vires meæ.
Quod fuimus laudas; jam damnas, quod non ſumus.

EXCERPTA E Q. CVRTII HISTORIARVM LIBRIS.

Poſtquam Phædri lectione, animum Filii, diu gnaviterque, non enim multa legenda, ſed multum, ſubegi, Q. Curtii Rufi Hiſtoriam Alexandri Magni ut porro in manus darem, utile exiſtimavi. Eſt Q. Curtius, Juſti Lipſii, æqui utique & periti judicis, ſententia, probus legitimusque Hiſtoricus, ſi quisquam fuit. Mira in ſermone ejus facilitas, in narrationibus lepos: adſtrictus idem, & profluens; ſubtilis, & clarus; ſine cura ulla accuratus. Verus in judiciis, argutus in ſententiis, in orationibus ſupra quam dici poteſt facundus. *Hunc ergo in ſinu geſtare debent Adoleſcentes, nec unum unquam diem dimittere, ſine ejus lectione. Non me latet, haud deeſſe qui de Curtio graviter opinentur, & adeo ex Guidonis Patini, haud ita pridem defuncti Medici Pariſienſis Clariſſimi Epiſtolis pateſcit, eum hominem, quo ipſe juvenis Magiſtro uſus eſt, auſum fuiſſe credere, & apud alios profiteri, Curtii hiſtoriam eſſe Itali cujusdam recentem fœtum, & vix trecentorum annorum ætatem agere, Scriptoremq; illum minime res ex vero, ſed e ſuo ingenio, pro libitu, ut viſum erat, enarraſſe. Aſſerti hujus, ut mollisſime dicam, temeritatem, atroci ſtylo confodere, alterius diei, alterius loci negotium eſt. Illud interim nimis ſcire ego velim, quomodo non neceſſe ſit, ſaltem tribus ſeculis Curtium eſſe antiquiorem, cum tralatitium, puerisque notum ſit id, quod ab Antonio Panormitano proditũ habetur, Alphonſum X. Hiſpaniæ Regem, Sapientem cognomine, quem conſtat Anno 1282. diem obiiſſe ſupremum, aliquando ſola illius Scriptoris lectione e gravi morbo convaluiſſe, ita, ut Curtium deinde Soſpitatorem*

ſuum

ſuum vocare conſueverit. Provocaſſe ad Curtium, integro ſeculo priorem Alphonſo Rege, Johannem Sarisburienſem, Carnotenſem Epiſcopum, Thomæ Cantuarienſis Diſcipulum, in Policratico ſive Libris de Nugis Curialium, in præſentia urgere nihil attinet. Illud unum addere juvat, eſſe omnino ἐκ τῶν ἀδυνάτων, ut ſeculo tam inſipienti & inſiceto, quale, ſermonem Latinum ſi ſpectes, a nato Chriſto XIV. erat, & ad quod ſecundum Curtiomaſtigis ſententiam is Autor pertinet, quis ita ſcripſerit, Curtius uti ſcripſiſſe deprehenditur. Aliter catuli olent, aliter ſues, & nemo ne inter illos quidem, qui mille annis ante id tempus in dicendo claruerunt, ad Curtium comparandus venit, ita ut quod res eſt, dixerit Voſſius Pater, quando Auguſtæi ævi eſſe Curtii dictionem, vel proxime abire, *pronunciavit, cum usq; adeo verborum eligens ſit is Autor, nec perſpicue minus quam terſe ſcribat, acutus in ſententiis, inq; orationibus mire diſertus. Sed nimirum, ceu elegantiſſime ſimul & facetiſſime Phædrus ait,* quidam, ut putentur ſapere, Cœlum vituperant. *In prælegendo Curtio verborum ac rerum, quin & Geographiæ, quod par erat, ſedulam rationem habui. Gemmas locutionum quæ ſequuntur, Filius ſibi excerpſit, memoriæ penitus infigendas, ea adhibita editione, quam Anno 1658. Elzevirii accurate excuderunt.*

LIBER III.

CAPVT I.

Marſyas amnis, fabuloſis Græcorum carminibus inclytus. Fons ejus ex ſummo montis cacumine excurrens, in ſubjectam petram magno ſtrepitu aquarum cadit. Inde diffuſus, circumjectos rigat campos, liquidus, & ſuas duntaxat undas trahens. Itaque color ejus placido mari ſimilis, locum poëtarum mendacio fecit.

Cum extra munimenta ſe evolvit, majore vi ac mole agentem undas, Lycum appellant.

Caduceatorem præmiſit, qui denuntiaret, ni dederent, ipſos ultima eſſe paſſuros.

Cæterum, ut circumſideri arcem, & omnia ſibi indies arctiora viderunt eſſe.

Phrygia pluribus vicis, quam urbibus frequens.

Inter hæc maria, anguſtiſſimum Aſiæ ſpatium eſſe comperimus, utroque in arctas fauces compellente terram.

Alexander urbe in ſuam ditionem redacta, Jovis templum intrat, vehiculum, quo Gordium Midæ patrem vectum eſſe conſtabat, adſpexit, cultu haud ſane a vilioribus vulgatisque uſu abhorrens. Notabile erat vinculum, adſtrictum compluribus nodis, in ſemet ipſos implicatis, & celantibus nexus.

Incolis deinde affirmantibus, editā eſſe oraculo ſortem, Aſiæ potiturum, qui inexplicabile vinculum

lum ſolviſſet ; cupido inceſſit animo , ſortis ejus explendæ.

Quippe ſeries vinculorum erat ita adſtricta, ut unde nexus inciperet, quove ſe conderet, nec ratione, nec viſu percipi poſſet.

Ille nequicquam diu luctatus cum latentibus nodis, Nihil, inquit, intereſt quomodo ſolvatur: gladioque ruptis omnibus loris , Oraculi ſortem vel eluſit, vel implevit.

Ex fœdere naves ſociis imperat, quæ Helleſponto præſiderent.

CAP. II.

HAud ſecus quam par erat , motus , omiſſa omni alia ſpe, ſtatuit ipſe decernere.

Ratus, pluribus curam , omnibus abfuiſſe fortunam.

Majorem quam pro numero ſpeciem gerebat.

Perſarum erant centum millia, in quibus eques triginta millia implebat.

Hyrcani egregii , ut inter illas gentes, ſex millia expleverant, equis militatura. Derbices quadraginta millia peditum armaverant. Pluribus hærebant ferro præfixæ haſtæ , quidam lignum igni duraverant.

A Caſpio mari octo millium pedeſter exercitus venerat.

His copiis triginta millia Græcorum, mercede conducta, egregiæ juventutis, adjecta ſunt.

Nec quicquam illi minus, quam multitudo militum defuit.

Hic tanti apparatus exercitus , hæc tot gentium, & totius Orientis excita ſedibus ſuis moles, fini-

ſinitimis poteſt eſſe terribilis: nitet purpura, aurumque fulget armis,& opulentia, quantam qui oculis non ſubjecere, animis concipere non poſſunt. Sed Macedonum acies, torva ſane & inculta, clypeis haſtisque immobilis, cuneos & conferta robora virorum reget.

Vir viro, armis arma conſerta ſunt: ad nutum monentis intenti,ſequi ſigna,ordines ſervare didicere.

Quod imperatur, omnes exaudiunt, obſiſtere, circuire, diſcurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis quam milites callent.

Fatigatis, humus cubile eſt: cibus, quem occupant, ſatiat, tempora ſomni arctiora quam noctis ſunt.

Erat Dario mite & tractabile ingenium, niſi etiam ſuam naturam plerunque fortuna corrumperet.

Habeo paratum mortis meæ ultorem, expetet pœnas mei conſilii ſpreti, ipſe,contra quem tibi ſuaſi.

Tu quidem licentia regni ſubito mutatus, documentum eris poſteris, homines,cum ſe permiſere fortunæ,etiam naturam dediſcere.

CAP. III.

ANxium de inſtantibus curis,agitabant etiam per ſomnum ſpecies imminentium rerum: ſive illas ægritudo, ſive divinatio animi præſagientis accerſit.

Vetera quoque omnia,ut fit,ſolicitudo revocaverat.

Cæterum ipſe, & vatum reſponſo, quod edebatur

batur in vulgus, & ſpecie, quæ per ſomnum oblata erat, lætus, caſtra ad Euphratem movere jubet.

Patrio more Perſarum traditũ eſt, orto ſole demum procedere. Die jam illuſtri ſignum e tabernaculo regis, buccina dabatur, ſuper tabernaculum, unde ab omnibus conſpici poſſet, imago ſolis, cryſtallo inclusa fulgebat.

Proximi ibant, quos Perſæ immortales vocant, ad decem millia: cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honeſtabat.

Pallam auro diſtinctam, aurei accipitres, velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant.

Haſtas argento exornatas, ſpicula auro præfixa geſtabant.

Intervallo deinde unius ſtadii, matrem Darii Syſigambim currus vehebat, & in alio erat conjux. Turba fœminarum Reginas comitantium, equis vectabatur.

Contra, ſi quis aciem Macedonum intueretur, diſpar acies erat, equis viriſque non aurea, non diſcolori veſte, ſed ferro atque ære fulgentibus. Agmen & ſtare paratum, & ſequi, nec turba, nec ſarcinis prægrave, intentum ad Ducis non ſignum modo, ſed etiam nutum.

CAP. IV.

IGne ferroque Ciliciam vaſtat, ut hoſti ſolitudinem faciat: quicquid uſui eſſe poteſt, corrumpit: ſterile ac nudum ſolum, quod tueri nequibat, relicturus.

Populator terræ, quam a populationibus vindicare debuerat.

Namque perpetuo jugo montis aſperi ac prærupti,

rupti, Cilicia includitur: quod cum a mari ſurgat, veluti ſinu quodam flexuque curvatum, rurſus altero cornu in diverſum litus excurrit.

Per hoc dorſum, qua maxime introrſum mari cedit, aſperi tres aditus & perangusti ſunt.

Alexander fauces jugi, quæ Pylæ appellantur, intravit: contemplatus locorum ſitum, non alias magis dicitur admiratus eſſe felicitatem ſuam: obrui potuiſſe vel ſaxis confitebatur, ſi fuiſſent, qui ſubeuntes propellerent. Iter vix quaternos capiebat armatos. Dorſum montis imminebat viæ, non anguſtæ modo, ſed plerunque præruptæ, crebris oberrantibus rivis, qui ex radicibus montium manant.

CAP. V.

PVlvere ac ſudore ſimul perfuſum Regem, invitabat liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret.

Vix ingreſſi ſubito horrore artus rigere cœperunt.

Ingens ſolicitudo, & pene jam luctus in caſtris erat.

Inter hæc liberius meare ſpiritus cœperat: allevabat Rex oculos, & paulatim redeunte animo, circumſtantes amicos agnoverat.

Lenta remedia, & ſegnes medicos, non expetunt tempora mea, vel mori ſtrenue, quam tarde convaleſcere mihi melius eſt.

CAP. VI.

IS non præceps ſe, ſed ſtrenuum remedium afferre, tantamque vim morbi, potione medicata levaturum eſſe, promiſit.

Ingentem animo ſolicitudinem literæ incuſ-

ſerant,

ſerant, & quicquid in utramque partem aut metus, aut ſpes ſubjecerat, ſecreta æſtimatione penſabat.

Levato corpore in cubitum, accipit poculum, & haurit interritus.

Rex, inquit, ſemper quidem ſpiritus meus ex te pependit, ſed nunc vero (arbitror) ſacro & venerabili ore trahitur.

Omiſſo metu, patere medicamentum concipi venis: laxa paulisper animum, quem ſolicitudine intempeſtiva, amici ſane fideles, ſed moleſte ſeduli turbant.

Si Dii tibi permiſiſſent, quo maxime modo animum velles experiri meum, alio profecto voluiſſes: ſed certiore, quam expertus es, ne optaſſes quidem.

Intercluſus ſpiritus arcte meabat.

Ille fomenta corpori admovit, ille torpentem; nunc cibi, nunc vini odore excitavit.

Pro ſe quisque dexteram ejus amplexi, grates habebant, velut præſenti Deo.

Namque haud facile dictu eſt, præter ingenitam illi genti ergaReges ſuos venerationem, quantum hujus utiqueRegis, vel admirationi dediti fuerint, vel charitate flagraverint.

Cum eſſet præſto ubique fortuna, temeritas in gloriam ceſſerat.

Queis ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, ut pariter charus ac venerandus eſſet, effecerat.

CAP. VII.

Occupato itinere, ſic, ut paulo ante dictum eſt, idem autor & nuntius venit.

Facile

Facile ratio tam ſalubris conſilii accepta eſt.

Hortabatur Siſenem, ut dignum aliquid nobilitate ac moribus ſuis ederet: magno id ei apud Regem honori fore.

In agmine a Cretenſibus, haud dubie juſſu Regis, occiſus eſt.

CAP. VIII.

AT Darius, ut erat ſanctus & mitis, ſe vero tantum facinus negat eſſe facturum, ut ſuam ſecutos fidem, ſuos milites jubeat trucidari.

Neminem ſtolidum (ait,) conſilium capite luere debere: defuturos eos qui ſuaderent, ſi ſuaſiſſe periculum eſſet.

Fama bella ſtant, & is, qui recedit, fugere creditur.

In regione vaſta, & invicem a ſuis atque hoſte vexata, non ſuffectura alimenta.

Hæc magnificentius jactata, quam verius.

Saucii quidam & invalidi, qui agmen non poterant perſequi, excepti erant.

Ignes deinde totis campis collucere cœperunt, omniaque velut continenti incendio ardere viſa.

Lætus, quod omni expetierat voto, in illis potiſſimum anguſtiis decernendum eſſe.

Vt ſolet fieri, cum ultimi diſcriminis tempus adventat, in ſolicitudinem converſa fiducia eſt.

Tertium, ſicut præceptum erat, ſignum, tuba miles acceperat, itineri ſimul paratus, & prælio.

Adventum hoſtium, pavidi agreſtes nuntiaverunt.

Non mediocris omnium animos formido inceſſerat,

Diſcors

Diſcors exercitus, nec ad unum intentus imperium, variorum tumultu cuncta turbaverat.

Vbi partes labant, ſumma turbatur.

CAP. IX.

IN ſubſidiis pugnaciſſimas locaverat gentes. Cornuaque hinc a jugo, illinc a mari ſtabant.

Ante hanc aciem poſuerat funditorum manum, ſagittariis admixtis.

Paulatim deinde ſe laxare ſinus montium, & majus ſpatium aperire cœperunt.

CAP. X.

PRiores Perſæ, inconditum & trucem ſuſtulere clamorem.

Semper circumjecta nemora petræque, quantamcunque accepere vocem, multiplicato ſono referunt.

Alexander ante prima ſigna ibat, identidem manu ſuos inhibens.

Varia oratione, ut cujusque animis aptum erat, milites alloquebatur.

Irent, & imbellibus fœminis, aurum viri eriperent: aſpera montium ſuorum juga, nudosque colles, & perpetuo rigentes gelu, ditibus Perſarum campis agrisque mutarent.

CAP. XI.

IAm ad teli jactum pervenerant, cum Perſarum equites ferociter in lævum cornu hoſtium invecti ſunt.

Conſerti, & quaſi cohærentes, tela vibrare non poterant.

Levi & vano ictu, pauca in hoſtem, plurima in humum innoxia cadebant tela.

 Tum

Tum demum ergo promovebant gradum,cum hoſtem proſtraverant.

Armis & robore corporis multum ſuper cæteros eminens,animo vero & pietate in paucisſimis.

Tum vero ſimilis ruinæ ſtrages erat.

Egregia morte defuncti , omnes in ora proni, ſicut dimicantes procubuerant , adverſo corpore vulneribus acceptis.

Alexandri dexterum femur,leviter mucrone perſtrictum eſt.

Equi confoſſi haſtis, & dolore efferati , jugum quatere,& Regem curru excutere cœperant.

In equum , qui ad hoc ipſum ſequebatur , imponitur,inſignibus quoque imperii,ne ſugam proderent,indecore abjectis.

Rurſus in prælium redeunt , ſparſosque & incompoſitos victoriæ fiducia Barbaros,ingenti cæde proſternunt.

Sed,quis aut in victoria , aut in fuga,copias numerat?

Abrupti a cæteris , haud ſane fugientibus ſimiles,evaſerant.

Jamque ad fœminas perventum erat ,quibus, quo chariora ornamenta ſunt , violentius detrahebantur : nec corporibus quidem vis ac libido parcebat.

Cum per omnes ordines ætatesque victoris crudelitas ac licentia vagaretur.

Nec illa quidem ſorte corrupta , acceperat in ſinum filium , nondum ſextum ætatis annum egreſſum,in ſpem tantæ fortunæ , quantam paulo ante pater ejus amiſerat,genitum.

Ingens circa eam nobilium fœminarum turba con-

conſtiterat, laceratis crinibus, abſciſſaque veſte, priſtini decoris immemores, Reginas, Dominasque, veris quondam, tunc alienis nominibus vocantes.

Sed illum, equos ſubinde mutantem, longius fuga abſtulerat.

Tantulo impendio, ingens victoria ſtetit.

CAP. XII.

INvitari deinde amicos, quibus maxime aſſueverat, juſſit; quippe, ſumma duntaxat cutis, in femore perſtricta.

Lugubris clamor, barbaro ululatu planctuque permixtus, epulantes conterruit.

Alexander fortunæ Darii, & pietati illarum illacrymaſſe fertur.

Illa, paucos, arcta propinquitate conjunctos, pro habitu præſentis fortunæ, humari juſſit.

Is longe omnium amicorum chariſſimus erat, cum ipſo pariter educatus, ſecretorum omnium arbiter; libertatis quoque in admonendo eo, non alius jus habebat; quod tamen ita uſurpabat, ut magis a Rege permiſſum, quam vindicatum ab eo videretur.

Equidem, ſi hac continentia animi ad ultimum vitæ perſeverare potuiſſet, feliciorem fuiſſe crederem, quam viſus eſt eſſe, cum Liberi Patris imitaretur triumphum, ab Helleſponto usque ad Oceanum omnes gentes victoria emenſus. Si viciſſet profecto ſuperbiam atque iram, mala invicta; ſi abſtinuiſſet inter epulas cædibus amicorum, egregiosque bello viros, & tot gentium ſecum domitores, indicta cauſa veritus eſſet occidere.

Sed nondum fortuna ſe animo ejus infuderat. Itaque orientem eam moderate & prudenter tulit, ad ultimum, magnitudinem ejus non cepit.

Reginas excellentis formæ, tam ſancte habuit, quam ſi eodem quo ipſe, parente, genitæ forent. Conjugem ejusdem, quam nulla ætatis ſuæ pulchritudine corporis vicit, adeo ipſe non violavit, ut ſummam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet.

Et (ut video) dignus es, qui tantum Regem, non felicitate ſolum, ſed etiam æquitate ſuperaveris.

Et præteritæ fortunæ faſtigium capio, & præſentis jugum pati poſſum. Tua intereſt, quantum in nos licuerit, ſi id potius clementia, quam ſævitia vis eſſe teſtatum.

Quam vellem Darius aliquid ex hac indole hauſiſſet.

CAP. XIII.

E Manibus cuſtodientium lapſus, Damaſcum ante lucem intrat.

Quippe & procella ſubito nivem effuderat, & humus rigebat gelu.

Equis calcaria ſubdere jubet, & acri impetu in hoſtem invehi.

Non ſufficiebant prædantium manus prædæ.

Summa pecuniæ ſignatæ, fuit talentorum duo millia & ſexaginta, facti argenti pondus quingenta æquabat.

LIBER

LIBER IV.

CAP. I.

OBedienter imperata fecerunt.

Præcipue eum movit, quod Darius ſibi Regis titulum, nec eundem Alexandri nomini adſcripſerat.

In ea ſe fidem & dare paratum, & accipere.

Repello igitur bellum, non infero.

Et vincere, & conſulere victis ſcio.

Quod ſi te nobis committere times, dabimus fidem, impune venturum. De cætero, cum mihi ſcribes, memento non ſolum Regi te, ſed etiam tuo ſcribere.

Admiratus Hephæſtio magnitudinem animi ſpernentis, quod alii per ignes ferrumque peterent, Vos quidem macti virtute, inquit, eſtote, qui primi intellexiſtis, quanto majus eſſet, regnum faſtidire, quam accipere.

Abdolonymum quendam, longa quidem cognatione ſtirpi Regiæ annexum, ſed ob inopiam ſuburbanum hortum exigua colentem ſtipe.

Cauſa ei paupertatis, ſicut pleriſque, probitas erat, intentuſque operi diurno, ſtrepitum armorum, qui totam Aſiam concuſſerat, non exaudiebat.

Cape Regis animum, & in eam fortunam, qua dignus es, iſtam continentiam profer. Et, cum in Regali ſolio ſedebis, vitæ neciſque omnium civium dominus, cave oblivifcaris hujus ſtatus, in quo accipis regnum, imo hercule propter quem.

Interdum, ſatiſne ſani eſſent, qui tam proterve ſibi illuderent, percunctabatur.

Fama, ut ſolet, ſtrenue totas urbes diſcurrit; aliorum ſtudium, aliorum indignatio eminebat.

Corporis habitus, famæ generis non repugnat.

Vtrique Regi hoſtis, & ſemper ex ancipiti mutatione temporum pendens.

Omnia experiri neceſſitas cogebat, quippe cum primas ſpes fortuna deſtituit, futura præſentibus videntur eſſe potiora.

Vtendum animis, dum ſpe calerent, ratus eſt.

Vana gens, & novandis, quam gerendis aptior rebus.

Palantes, & victoriæ incauti.

Id conſilium, non ratione prudentius, quam eventu felicius fuit.

Nihilo magis ei, ad quem transfugerat, fidus, quam illi quem deſeruerat.

Eadem illinc quoque partium fortuna fuit.

Sed leviora inter illos fuere diſcrimina: unum certamen, ex quo cætera pendebant, intuente fortuna.

CAP. II.

HAbebat Rex caſtra in continenti, a quo urbem anguſtum fretum dirimit.

Tyrus, & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ Phœnicesque memorabilis.

Commeatus large & hoſpitaliter ex oppido adduxerant.

Non tenuit iram Alexander, cujus alioquin potens non erat.

Proinde ſciatis licet, aut intraturum me urbem, aut oppugnaturum.

At,

At, illi, loco ſatis fiſi, obſidionem ferre decreverunt.

Quippe, vix leni & tranquillo mari, moles agi poſſunt, Africus vero prima quæque congeſta, pulſu illiſa, mari ſubruit: nec ulla tam firma moles eſt, quam non exedant undæ per nexus operum manantes, & ubi acrior flatus exiſtit, ſummi operis faſtigio ſuperfuſæ.

Carthaginienſium Legati, ad celebrandum anniverſarium ſacrum more patrio tunc venerant.

Admotis follibus, ignem flatu accendebant.

Jacienda moles erat, quæ urbem continenti committeret.

Ingens ergo animos militum deſperatio inceſſit, cernentium profundum mare, quod vix divina ope poſſet impleri.

Hæc ipſa inſectatio alacritatem militum accendit, jamque paululum moles aquam eminebat.

Igitur ex jumentis coria velaque juſſit obtendi, ut extra teli jactum eſſent.

CAP. III.

NAvem magnitudine eximia, ſaxis arenaque a puppi oneratam, ita ut multum prora emineret, bitumine, ac ſulphure illitam, remis concitaverunt; & cum magnam vim venti vela quoque concepiſſent, celeriter ad molem ſucceſſit.

Hic (quod in adverſis rebus ſolet fieri) alius in alium culpam referebat, cum omnes verius de ſævitia maris queri poſſent.

Ægro animi Alexandro, & utrum perſeveraret, an abiret, ſatis incerto, claſſis Cypro advenit.

Vndique tormentis, & maxime arietum pulſu, muros quatit.

Interiorem quoque murum, ut, ſi prior fefelliſſet, illo ſe tuerentur, undique orſi.

Tyrii deſperatione torpebant, cum ſubito ſpiſſæ nubes intendere ſe cœlo, & quicquid lucis internitebat, effuſa caligine, extinctum eſt. Tum inhorreſcens mare paulatim levari, deinde acrius vento concitatum, fluctus ciere, & inter ſe navigia collidere.

Miles miniſteria nautarum, remex militis officia turbabat, & quod in hujusmodi caſu accidit, periti ignaris parebant.

Non tamen defecere animis Tyrii, quanquam ab ingenti ſpe deſtituti erant.

Sacrum quoque, quod quidem Diis minime cordi eſſe crediderim, multis ſeculis intermiſſum, repetendi, autores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur. Quod ſacrilegium verius, quam ſacrum, Carthaginenſes, a conditoribus traditum, usque ad excidium urbis ſuæ feciſſe dicuntur.

Efficacior omni arte imminens neceſſitas, non uſitata modo præſidia, ſed quædam etiam nova admovit.

Jacientes arma, laceratis omnibus, queis protegi poterant, vulneribus inulti patebant.

CAP. IV.

ADeo victoriæ non omnem modo, ſed etiam gratulationem præceperat.

Donec ſuorum clamore audito, Alexander claſſem litori, a quo fremitus acciderat, admovit.

Triremis e claſſe Alexandri, in eam navim quæ quinqueremi imminebat, tanta vi impulſa eſt, ut

Tyrius

Tyrius gubernator in mare excuteretur e puppi.

Ipſe in altiſſimam turrim aſcendit, ingenti animo, periculo majore.

Digna prorſus ſpectaculo edidit; multos e muris propugnantes, haſta transfixit.

Magna pars ſumma tectorum obtinebat, ſaxa, & quicquid manibus fors dederat, ingerentes ſubeuntibus.

Quantumque ſanguinis fuſum ſit, vel ex hoc exſtimari poteſt, quod intra munimenta urbis, ſex millia armatorum trucidata ſunt.

Duo millia, in quibus occidendis defecerat rabies, crucibus affixi, per ingens litoris ſpatium pependerunt.

Tyrus ſeptimo menſe, quam oppugnari cœpta erat, capta eſt.

Si famæ libet credere, hæc gens literas prima aut docuit, aut didicit, coloniæ certe ejus pene orbe toto diffuſæ ſunt.

Multis ergo caſibus defuncta, & poſt excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta refovente, ſub tutela Romanæ manſuetudinis acquieſcit.

Nunquam (ait,) diu eodem veſtigio ſtare fortunam, ſemperque homines quantamcunque felicitatem habeant, invidiam tamen ſentire majorem.

CAP. V.

QVocunque (ajebat,) ille fugere potuiſſet, ipſum ſequi poſſe, deſineret terrere fluminibus, quem ſciret mare trajeciſſe.

In eo concilio, ut ſunt Græcorum temporaria ingenia, decernunt, ut duodecim legarentur ad Regem, qui ob res pro ſalute Græciæ ac libertate

geſtas,coronam auream,donum victoriæ ferrent. Iidem paulo ante incertæ famæ captaverant auram,ut quocunque pendentes animos tuliſſet fortuna,ſequerentur.

Piratici lembi.

His in ſupplementum copiarum ſuarum diſtributis , piratisq; ſupplicio affectis , captivos remiges adjecere claſſi ſuæ.

Dum applicant navigia crepidini portus.

Nullo ex his auſo repugnare , omnibus catenæ injectæ ſunt.

Cum obſidionem tolerare non poſſet , urbe tradita pactus eſt ,ut incolumi abire liceret.

CAP. VI.

SVnt autem Bactriani inter illas gentes promptiſſimi,horridis ingeniis, multumque a Perſarum luxu abhorentibus , ſiti haud procul Scytharum bellicoſiſſima gente , & rapto vivere aſſueta , ſemperq; in armis erant.

Alexander quam regionem Darius petiiſſet , omni cura veſtigans,tamen explorare non poterat; more quodam Perſarum, arcana Regum mira celantiū fide. Non metus,non ſpes elicit vocem , qua prodantur occulta :vetus diſciplina Regum,ſilentium vitæ periculo ſanxerat.Lingua gravius caſtigatur, quam ullum probrum: nec magnam rem ſuſtineri poſſe credunt ab eo, cui tacere grave ſit , quod homini facillimum voluerit eſſe natura.

Agi cuniculos juſſit , facili ac levi humo acceptante occultum opus:quippe multam arenam vicinum mare evomit , nec ſaxa cotesq;,quæ interpellent ſpecus,obſtabant.

Sed acrius quam conſtantius prælium inierunt

Arabs quidam Darii miles , majus fortuna ſua facinus auſus.

Ille aſſurgere ſupplicem, recipiq; inter ſuos juſſit.

Gladio Barbarus ſtrenue in dextram translato, cervicem appetit Regis: qui exigua corporis declinatione evitato ictu, in vanum manum Barbari lapſam, amputat gladio, denunciato in illum diem periculo (ut arbitrabatur ipſe) defunctus. Sed, ut opinor, inevitabile eſt fatum: quippe , dum inter primores promptius dimicat, ſagitta ictus eſt.

Ipſe , nec oris quidem colore mutato, ſupprimi ſanguinem , & vulnus obligari juſſit ; diu ante ipſa ſigna , vel diſſimulato vel victo dolore , perſtiterat.

Linqui deinde animo, & ſubmitti genu cœpit; quem proximi exceptum in caſtra receperunt. Et, Batis interfectum ratus, urbem ovans victoria repetit.

Ducebat ipſe Rex anteſignanos , & dum incautius ſubit, ſaxo crus ejus affligitur. Innixus tamen telo, nondum prioris vulneris obducta cicatrice, inter primores dimicat.

Ille, non interrito modo, ſed contumaci quoque vultu intuens Regem, nullam ad minas ejus reddit vocem.

Vincam tamen ſilentium , & ſi nihil aliud, gemitu interpolabo.

Per talos ſpirantis lora trajecta ſunt, religatumque ad currum, traxere circa urbem equi.

CAP. VII.

IPſe cum expedita delectorum manu, Nilo amne vectus eſt.

Terra

Terra cœloq; aquarum penuria eſt: ſteriles arenæ jacent: quas ubi vapor ſolis accendit, fervido ſolo exurente veſtigia, intolerabilis æſtus exiſtit: luctandumq; eſt non tantum cum ardore & ſiccitate regionis, ſed etiam cum tenaciſſimo ſabulo, quod præaltum, & veſtigio cedens, ægre moliuntur pedes.

Deſtinata exequi pergit.

Ac primo quidem, & ſequenti die, tolerabilis labor viſus, nondum tam vaſtis nudisq; ſolitudinibus aditis: jam tamen ſterili, & emoriente terra. Sed ut aperuere ſe campi alto obruti ſabulo, haud ſecus quam profundum æquor ingreſſi, terram oculis requirebant.

Cum repenre, ſive illud Deorum munus, ſive caſus fuit, obductæ cœlo nubes condidere ſolem, ingens æſtu deſatigatis, etiamſi aqua deficeret, auxilium.

Quatriduum per vaſtas ſolitudines abſumptum eſt. Jamq; haud procul Oraculi ſede aberant.

Eſt etiam aliud Ammonis nemus. In medio habet fontem, aquam ſolis vocant: ſub lucis ortum tepida manat: medio die, cũ vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit; inclinato in veſperam, caleſcit, media nocte fervida exæſtuat, quoq; propius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decreſcit, donec ſub ipſum diei ortum, asſueto tepore langueſcat.

Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodaverunt.

Macedones aſſueti quidem regio imperio, ſed majore libertatis umbra quam cæteræ gentes, immorta-

mortalitatem affectantem, contumacius, quam aut ipſis expediebat, aut Regi, averſati ſunt.

CAP. IIX.

MEmnonis Titonique celebrata regia, cognoſcendæ vetuſtatis avidum, trahebat pene extra terminos Solis.

Imminens bellum, cujus multo major ſupererat moles, otioſæ peregrinationi tempora exemerat.

Merſa navis omnes deſtituit.

In ripam tamen ſemianimis evaſit, & ut primum fatigatus ſpiritum laxavit, quem metus & periculum intenderant, nullo adjuvante, (quippe in diverſum evaſerant alii) exanimatus eſt.

Ad cujus interitum vindicandum, quanta maxime celeritate potuit, contendit.

Iter ad Euphratem pronuntiari juſſit.

CAP. IX.

EQuitibus equisq; tegumenta erant, ex ferreis laminis, ſerie inter ſe connexis.

Ex ſummo temone haſtæ præfixæ ferro eminebant.

Equitabilis & vaſta planities: nec ſtirpes quidem & brevia virgulta operiunt ſolum, liberque proſpectus oculorum, etiam quæ procul receſſere permittitur.

Si qua campi eminebant, juſſit æquari, totumque faſtigium extendi.

Vndecimis caſtris pervenit ad Euphratem, quo pontibus juncto, equites primos ire, phalangem ſequi jubet.

Paucis deinde, non ad quietem, ſed ad reparandos animos, diebus datis militi, ſtrenue hoſtem inſequi cœpit.

Loca omni ſolitudine atque inopia vaſta.

Ac primo caligine, quam fumus effuderat, obſcurante lucem, inſidiarum metu ſubſtitit.

Paucos equitum ad tentandum vadum fluminis præmiſit, cujus altitudo primo ſumma equorum pectora, mox ut in medium alveum ventum eſt, cervices quoque æquabat.

Primus inter pedites Rex egreſſus in ripam, vadum militibus manu, quando vox exaudiri non poterat, oſtendit. Sed gradum firmare vix poterant, cum modo ſaxa lubrica veſtigium fallerent, modo rapidior unda ſubduceret.

Sed neque conſilium, neque imperium accipi poterat.

Tandem, qua leniore tractu amnis aperit vadum, emerſere.

Deleri potuiſſet exercitus, ſi quis auſus eſſet vincere. Sed perpetua fortuna Regis, avertit inde hoſtem.

Fugientem per medios hoſtes conſecutus, ex equo præcipitavit, & obluctanti, caput gladio dempſit: quod relatum magna cum laude ante Regis pedes poſuit.

CAP. X.

SEd prima fere vigilia, Luna deficiens primum nitorem ſideris ſui condidit: deinde ſanguinis colore ſuffuſo, lumen omne fœdavit; ſolicitisq; ſub ipſum tanti diſcriminis caſum, ingens religio, & ex ea, formido quædam incuſſa eſt.

Jam pro ſeditione res erat, cum ad omnia interritus, duces principesq; militum, frequentes adeſſe prætorio jubet.

Temporum orbes implent deſtinatas vices, Luna-

Lunaque deficit, cum ad terram ſubit, aut ſole premitur.

Adverſis Diis pugnare.

Nulla res efficacius multitudinem regit, quam ſuperſtitio: alioqui impotens, ſæva, mutabilis, ubi vana religione capta eſt, melius Vatibus, quam Ducibus ſuis paret.

Rurſus ad ſpem & fiduciam erexere torpentes.

In rationem neceſſitas verſa eſt.

Deficere eam nuntiat, & vix ſpiritum ducere.

Itineris continui labore, animique ægritudine fatigata, inter ſocrus, & virginum filiarum manus, collapſa erat, deinde & extincta.

Receperat in gremium adultas virgines, magna quidem mutui doloris ſolatia, ſed quibus ipſa deberet eſſe ſolatio.

In conſpectu erat nepos parvulus, ob id ipſum miſerabilis, quod nondum ſentiebat calamitatem, maxima ex parte ad ipſum redundantem.

Eximiam pulchritudinem formæ ejus, non libidinis habuit incitamentum, ſed gloriæ.

E Spadonibus, qui circa Reginam erant, Tyriotes, inter trepidationem lugentium elapſus, per eam portam, quæ, quia ab hoſte averſa erat, levius cuſtodiebatur.

Quem, ut conſpexit Darius, multiplici doloris expectatione commotus, &, quid potiſſimum timeret, incertus, Vultus tuus, inquit, neſcio quod ingens malum præfert: ſed, cave, miſeri hominis auribus parcas; didici enim eſſe infelix, & ſæpe calamitatis ſolatium eſt, noſſe ſortem ſuam. Num, quod maxime ſuſpicor, & loqui timeo, ludibria meorum nuntiaturus es mihi, & (ut credo) ipſis quoque omni graviora ſupplicio? Inge-

Ingemuiſſe etiam Alexandrum morti (nuntiat,) & non parcius fleviſſe, quam ipſe lachrymaretur.

Num, quod & ſcire expeto, & quærere pudet, auſus eſt & dominus & juvenis?

Dii patrii, inquit, primũ mihi ſtabilite regnum: deinde, ſi de me jam transactũ eſt, precor ne quis Aſiæ rex ſit, quam iſte tam juſtus hoſtis, tam miſericors victor.

Periculoſum eſt prægrave imperiũ: difficile eſt continere, quod capere non poſſis. Videsne, ut navigia quæ modum excedunt, regi nequeant? Nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt: facilius eſt quædam vincere, quam tueri. Quam, hercule, expeditius manus noſtræ rapiunt, quam continent.

Alexander Legatis excedere tabernaculo juſſis, quid placeret ad conſilium refert.

Et ego pecuniam quam gloriam mallem, ſi Parmenio eſſem. Nunc Alexander, de paupertate ſecurus ſum, & me non mercatorem memini eſſe ſed Regem. Nihil quidem habeo venale; ſed fortunam meam utique non vendo.

Bellum cum captivis & fœminis gerere non ſoleo: armatus ſit oportet, quem oderim.

Ad internecionem mihi perſequendus eſt, non ut juſtus hoſtis, ſed ut percuſſor veneficus.

Ite, nuntiate Regi veſtro, & quæ amiſit, & quæ adhuc habet, præmia eſſe belli. Hoc regente utriusque terminos regni, id quemque habiturum, quod proximæ lucis aſſignatura fortuna eſt.

Cæterum, nec mundus duobus ſolibus poteſt regi, nec duo ſumma regna ſalvo ſtatu terrarum poteſt habere.

Dimiſſi

Dimiſſi, nuntiant, adeſſe certamen.

CAP. XII.

NOn auſus ultra procedere, nihil aliud quam fremitum hominum, hinnitumque equorum, exaudiſſe nuntiat.

In lævo cornu Bactriani ibant equites, mille admodum.

Hos, aliæ gentes, ne ſociis quidem ſatis notæ, ſequebantur.

Indi, cæterique Rubri maris accolæ, nomina verius quam auxilia, poſt currus erant.

Summa totius exercitus: equites CXLV. millia, pedeſtris acies, ſexcenta millia expleverat.

Alexandri exercitum pavor, cujus cauſa non ſuberat, invaſit. Quippe lymphati trepidare cœperunt, omnium pectora occulto metu percurrente.

Cœli fulgor tempore æſtivo ardenti ſimilis internitens, ignis præbuit ſpeciem.

Ille ſegnis, in eo, quem occupaverat, tumulo ſedet; contentus non laceſſi.

Ipſos arma deponere, ac levare corpora jubet.

Sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, univerſam quidem rei faciem non abſtulit: cæterum agminum diſcrimina, atque ordinem, prohibuit perſpici.

Jamque nitidior lux, diſcuſſa caligine, aciem hoſtium oſtenderat.

Nec jam contineri Macedones poterant, quin curſu quoque ad hoſtem contenderent.

CAP. XIII.

IGitur, ſive dubius animi, ſive ut ſuos experiretur, conſilium adhibet, quid optimum factu eſſet, exquirens.

Hirta illis ora,& intonſas comas eſſe. Præterea eximiam vaſtorum magnitudinem corporum.

Parmenionem, nuper acrius quam vellet increpitum,rurſus caſtigare non ſuſtinebat.

Malo me fortunæ pœniteat, quam victoriæ pudeat.

Vigilias intentiore cura ſervari juſſerat.

Profecto, ſi qua divinæ opis auguria,humana mente concipi poſſent,Dii ſtant nobiſcum.

Sed,nec ſomnum capere, nec quietem pati poterat, modo e jugo montis aciem in dextrum Perſarũ cornu demittere agitabat, modo recta fronte concurrere hoſti: interdum hæſitare,an potius in lævum torqueret agmen. Tandem gravatum animi anxietate corpus,altior ſomnus oppreſſit.

Nec miles injuſſu ducis, aut arma capere poterat,aut in ordines ire.

Vbi eſt vigor ille animi tui? nempe excitare vigiles ſoles.

Tum quoque munimento corporis ſumpto, proceſſit ad milites.

Vltimos ordines avertit a fronte, ut totam aciem orbe muniret.

Adeoque aciem verſatilem poſuit, ut qui ultimi ſtabant, ne circuirentur, verti tamen,& in frontem circumagi poſſent. Itaque non prima quam latera, non latera munitiora fuere quam terga.

Quidam transfuga,quanto maximo curſu poterat,ad Regem pervenit.

Cæterum, hoc tantus exercitus exaudire non poterat,uſum aurium intercipiente fremitu duorum agminum.

(Ajebat) ob id ipſum, quod ignoti eſſent,ignobiles

biles eſſe : nunquam ignorari viros fortes: at imbelles ex latebris ſuis erutos, nihil præter nomina afferre : itaque illinc plures ſtare, hinc plures dimicaturos.

Sicut curru eminebat, dextera lævaque ad circumſtantium agmina oculos manusque circumferens, Terrarum, inquit, quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Helleſpontus, paulo ante domini, jam non de gloria, ſed de ſalute, & quod ſaluti præponitis, de libertate pugnandum eſt. Hic dies, imperium, quo nullum amplius vidit ætas, aut conſtituet aut finiet.

Cætera in veſtra poteſtate ſunt, audete modo vincere, famamq;, infirmiſſimum adverſus fortes viros telum, contemnite. Temeritas eſt, quam adhuc pro virtute timuiſtis: quæ, ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia amiſſo aculeo, torpet.

Quæ antea pro illis erant, in contrarium converſa ſunt. Noſtrum mobile & expeditum agmen eſt, illud præda grave.

Semper gravior in paucitate jactura eſt.

Nihil poteſt eſſe diuturnum, cui non ſubeſt ratio.

Præterea breves & mutabiles vices rerum ſunt, & fortuna nunquam ſimpliciter indulget.

Forſitan ita Deorum fata ordinaverunt, ut Perſarum imperiũ, quod ſecundo curſu per CCXXX. annos ad ſummum faſtigium evexerant, magno motu concuterent magis, quam affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanæ, cujus nimia in proſperis rebus oblivio eſt.

Jactamur invicem varietate fortunæ.

Cæterum,ſi ſpes non ſubeſſet,neceſſitas tamen ſtimulare deberet; ad extrema perventum eſt.

Eripite viſcera mea ex vinculis, reſtituite mihi pignora, pro quibus ipſe mori non recuſo. Parentem,liberos (nam Conjugem in illo carcere amiſi) credite nunc omnes,tendere ad vos manus,implorare patrios Deos, opem veſtram, miſericordiam, fidem expoſcere, ut ſervitute,ut compedibus, ut precario victu ipſos liberetis.

Precor vos per Deos patrios, æternumque ignem,qui præfertur altaribus, fulgoremque Solis, intra fines regni mei orientis: per æternam memoriam Cyri,qui ademptum Medis Lydisque imperium,primus in Perſidem intulit, vindicate ab ultimo dedecore, nomen gentemque Perſarum. Ite alacres,& ſpe pleni,ut quam gloriam accepiſtis a majoribus veſtris,poſteris relinquatis. In dextris veſtris jam libertatem, opem, ſpem futuri temporis geritis. Effugit mortem,quisquis contempſerit: timidiſſimum quemque conſequitur. Ipſe non patrio more ſolum, ſed etiam,ut conſpici poſſim, curru vehor. Nec recuſo, quominus imitemini me,ſive fortitudinis exemplum, ſive ignaviæ fuero.

CAP. XV.

Ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures, nondum ſatis proviſo impetu,obtererent.

Syſigambis, hortantibus captivis ut animum a mœrore allevaret,in eodem,quo antea fuit,perſeveravit. Non vox ulla excidit ei: non oris color vultusque mutatus eſt: ſed ſedit immobilis,credo præcoce gaudio verita fortunam irritare: adeo, ut quid mallet,intuentibus eam, fuerit incertum.

Vallo ſimilis erat: junxerant haſtas,& ab utro-

que

que latere temere incurrentium ilia ſuffodiebant.

Equi crebra jactatione cervicum, non jugum modo excuſſerant, ſed etiam currus everterant: vulnerati, interſectos trahebant: nec conſiſtere territi, nec progredi debiles poterant.

Alexander territos caſtigare, adhortari, prælium, quod jam elanguerat, ſolus accendere; confirmatisque tandem animis ire in hoſtem jubet.

Ingens periculum in medio hærens adiſſet, ni equites Agriani, calcaribus ſubditis, circumfuſos Regi Barbaros adorti eſſent, averſosque cædendo in ſe obverti coëgiſſent.

Plura ſimul abrupta a cæteris agmina, ubicunque alium alii fors miſcuerat, dimicabant. Duo Reges junctis prope agminibus, prælium accendebant.

Ante oculos ſui quisque Regis mortem occumbere ducebant egregium.

Sive ludibrium oculorum, ſive vera ſpecies fuit.

Ingens ergo alacritas ac fiducia, paulo ante territos accendit ad pugnam.

Dicitur acinace ſtricto Darius dubitaſſe, an fugæ dedecus honeſta morte vitaret.

Senſim Perſæ cedebant, & laxaverant ordines, Alexander, mutato equo (quippe plures fatigaverat) reſiſtentium ora ſodiebat, fugientium terga: jamque non pugna, ſed cædes erat, cum Darius quoque currum ſuum in fugam vertit.

Sed proſpectum oculorum nubes pulveris, quæ ad cœlum ferebatur, abſtulerat. Ergo haud ſecus quam in tenebris errabant, ad ſonum notæ vocis, ut ſignum, ſubinde coëuntes.

Hæc ſola fugientis veſtigia excepta ſunt.

CAP. XVI.

LOngealia fortuna utriusque partis res gerebatur.

Jamque abundans multitudine, aciem circumvehi cœperat.

Jam multum viæ proceſſerat Rex, imminens fugientium tergis, cum a Parmenione triſtis nuntius venit; refrænare equos juſſit, qui vehebantur, agmenque conſtitit.

Quanquam validior erat, fortuna tamen partium territus, perculſis languidius inſtabat.

Subditis calcaribus proruere in hoſtem; & illi jam non ſenſim, ſed citato gradu recedebant: neç quidquam fugæ, niſi quod terga nondum verterant, deerat.

Quis tot ludibria fortunæ, Ducum agminumque cædem multiplicem, devictorum ſugam, clades nunc ſingulorum, nunc univerſorum, aut animo aſſequi queat, aut oratione complecti? Propemodum ſeculi res in unum diem fortuna cumulavit.

Alii qua breviſſimum patebat iter, alii diverſos ſaltus, & ignotos ſequentibus calles petebant. Eques pedesque confuſi, ſine Duce, armatis inermes, integris debiles implicabantur.

Deinde miſericordia in metum converſa, qui ſequi non poterant, inter mutuos gemitus, deſerebantur. Sitis præcipue fatigatos & ſaucios exurebat, paſſimque omnibus rivis proſtraverant corpora, præterfluentem aquam hianti ore captantes: quam cum avide turbidá hauſiſſent, tendebantur extemplo præcordia premente limo.

Vbi intravit animos pavor, id ſolum metuunt, quod primum formidare cœperunt. Præ-

Præceps in noctem diei tempus cauſatus eſt.

Turmas in obvios concitaverunt.

Ante ſigna Rex ibat, diſſimulato magis periculo quam ſpreto. Nec defuit ei perpetua in dubiis rebus felicitas.

Quo ex equo lapſo, proximum, ac deinde plures, eodem telo confodit.

Nec Perſæ inulti cadebant, quippe non univerſæ acies, quam hæ tumultuariæ manus, vehementius iniere certamen.

Rex extraordinario periculo defunctus, incolumes ſuos reduxit in caſtra. Cecidere Perſarum, quorum numerũ victores finire potuerunt, millia XL. Macedonum minus quam CCC. deſiderati ſunt.

Fugientes, quod in illo ardore animi vix credi poteſt, prudentius quam avidius perſecutus eſt.

Quippe vulnera quæ quiſque excepit, indicia virtutis ſunt.

Si vere æſtimare Macedonas, qui tunc erant, volumus, fatebimur, & Regem talibus miniſtris, & illos tanto Rege fuiſſe digniſſimos.

LIBER V.

CAP. I.

SI quæque ſuis temporibus reddere voluero, interrumpendæ ſunt res Aſiæ, quas utique ad fugam mortemque Darii, univerſas in conſpectum dari, & ſicut inter ſe cohærent, ita opere ipſo conjungi, haud paulo aptius videri poteſt.

At ille docere pergit, non ſpecioſa dictu, ſed uſui neceſſaria, in rebus adverſis ſequenda eſſe. Ferro

geri bella, non auro: viris, non urbium tectis, omnia ſequi armatos.

Igitur ſive confirmatis eorum animis, ſive imperium magis, quam conſilium ſequentibus, Mediæ fines ingreſſus eſt.

Ingruentibus deinde morbis, quos odor cadaverum totis jacentium campis vulgaverat, maturius caſtra movit.

Campeſtre iter eſt inter Tigrim & Euphratem, tam uber & pinguis ſoli, ut a paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas perimat.

Ipſi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno deinde aquarum divortio, iter quod cœpere, percurrunt.

Equites deinde Babylonii, ſuo atque equorum cultu, ad luxuriam magis quam ad magnificentiam exacto, ultimi ibant.

Poſtero die ſupellectilem Darii, & omnem pecuniam recognovit.

Murus inſtructus laterculo coctili, bitumine interlitus, ſpatium XXX. & duorum pedum latitudinem amplectitur, quadrigæ inter ſe occurrentes, ſine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri C. cubitorum eminet ſpatio. Turres denis pedibus, quam murus, altiores ſunt. Totius operis ambitus CCCLVIII. ſtadia complectitur. Singulorum ſtadiorum ſtructuram ſingulis diebus perfectam eſſe, memoriæ proditum eſt. Ædificia non ſunt admota muris, ſed fere ſpatium unius jugeris abſunt.

Cætera ſerunt, coluntque: ut ſi externa vis ingruat, obſeſſis alimenta ex ipſius urbis ſolo ſubminiſtrent.

Omni-

Omnium operum magnitudinem circumveni unt cavernæ ingentes, in altitudinem preſſæ, ad accipiendum impetum fluminis.

Arenæ ſubinde cumulatæ, & ſaxis, quibus pons ſuſtinetur, annexæ, morantur amnem: qui retentus, acrius, quam ſi libero curſu mearet, illiditur. Arcem quoq; ambitu XX. ſtadia complexam habent: triginta pedes in terram turrium fundamenta demiſſa ſunt: ad octoginta, ſummum munimenti faſtigium pervenit.

Validas arborum ſuſtinet moles, ut ſtipites earum octo cubitorum ſpatium craſſitudine æquent.

Nihil urbis ejus corruptius moribus, nihil ad irritandas illiciendasque immodicas voluptates inſtructius.

Babylonii maxime in vinum, & quæ ebrietatem ſequuntur, effuſi ſunt. Fœminarũ, convivia ineuntium, in principio modeſtus eſt habitus. Dein ſumma quæq; amicula exuunt, paulatimq; pudorem profanant. Ad ultimum (honos auribus ſit) ima corporum velamenta projiciunt.

Cæterum, quo minus damnum ſentiret, identidem incremento novabatur.

Magnorum Præfectorum & Ducum hæc incrementa ſunt, & rudimenta.

Vtriq; præceptum, ut in ſupplementum milites legerent.

CAPVT II.

NE deſides otio demitterent animos, judices dedit, præmiaque propoſuit de virtute militari certantibus.

Pri-

Primus omnium virtutis cauſa donatus eſt Adarchias ſenior, qui omiſſum apud Halicarnaſſon a junioribus prælium, unus maxime accenderat.

Cum ante equites in ſuam quisque gentem deſcriberentur, ſeorſim a cæteris exempto nationum diſcrimine, Præfectos non utique ſuarum gentium, ſed delectos attribuit.

Vt vero urbem intravit incredibilem ex theſauris ſummam pecuniæ egeſſit, L. millia talentum argenti, non ſignati forma, ſed rudi pondere.

Conſedit deinde in regia ſella, multo excelſiore, quam pro habitu corporis.

Subiit ergo regem verecundia violandi hoſpitales Deos.

Minime vero inquit, hæc feceris Rex, ſed omen quoque accipe.

Ad hanc vocem lacrymæ obortæ, prodidere animum aſpernantis id munus: quippe non aliud magis in contumeliam Perſarum fœminæ accipiunt, quam admovere lanæ manus.

Noſtri decepere me mores. Cave, obſecro, in contumeliam accipias ignorantiam meam. Quæ tui moris eſſe cognovi, ut ſpero, abunde ſervata ſunt.

CAP. III.

FLumen per L. ſtadia, ſylveſtribus ripis præceps, inter ſaxa devolvitur.

Leni tractu aquarum Perſico mari ſe inſinuat.

Madathes erat hujus regionis Præfectus, haud ſane temporum homo. Quippe ultima pro fide experiri decreverat.

Ipſe cum expedito agmine jugum montium cepit

cepit, quorum perpetuum dorſum in Perſidem excurrit.

Nec ſtare ergo, nec niti, nec teſtudine quidem protegi poterant.

Denſatis agminibus, ſcutisque ſuper capita conſertis, retro evadere Rex, ex anguſtiis jubet.

CAP. IV.

AFfirmat ſylveſtres eſſe calles, vix ſingulis pervios, omnia contegi frondibus, implexosque arborum ramos ſylvas committere.

Araxes amnis per hos campos multorum aquas torrentium evolvit in Medum.

Ipſe tertia vigilia, ſilenti agmine, ac ne tuba quidem dato ſigno, pergit ad demonſtratum iter callium.

Cæterum, qua ſe jugum montium paulatim ad planiora demittit, ingens vorago concurſu cavata torrentium, iter ruperat. Ad hæc arborum rami alius alio implicati & coëuntes, ut perpetuam objecerant ſepem.

Ne aurium quidem uſus ſupererat; ſylvas quatiente vento, quæ concutientibus ramis, majorem quam pro flatu ſonum reddebant.

Ignaviam quoque neceſſitas acuit, & ſæpe deſperatio ſpei cauſa eſt.

CAP. V.

INuſitata ſimulacra, non homines videbantur, nec quidquam in illis, præter vocem poterat agnoſci. Plures igitur lachrymas commovere, quam profuderant ipſi: quippe in tam multiplici variaque fortuna ſingulorum, intuentibus ſimiles qui-

quidem, ſed tamen diſpares pœnas, quis maxime miſerabilis eſſet, liquere non poterat.

Atque optime miſerias ferunt, qui abſcondunt.

Nemo pius habitu corporis ſuos æſtimaturus, utique ſævitia hoſtis, non natura calamitoſos.

Dignum eſſe, ajebat, omni malo, qui erubeſceret fortuita: triſtem eum de mortalitate ferre ſententiam, & deſperare miſericordiam, quam ipſe alteri denegaturus ſit.

Illi obortis lachrymis terram intuebantur, nec aut erigere vultus, aut loqui audebant.

CAP. VI.

AVrum, argentumque cumulatum erat: veſtis ingens modus: ſupellex, non ad uſum modo, ſed ad oſtentationem luxus comparata. Itaque inter ipſos victores ferro dimicabatur, pro hoſte erat, qui pretioſiorem occupaverat prædam.

Ingens pecuniæ captivæ modus traditur, prope ut fidem excedat. Cæterum, aut de aliis quoque dubitamus, aut credimus, in hujus urbis gaza fuiſſe C. & XX. millia talenta.

Multis imbribus, & prope intolerabili tempeſtate vexatus, procedere tamen, quo intenderat, perſeveravit.

Locorum ſqualor, & ſolitudines inviæ, fatigatum militem terrebant, humanarum rerum terminos ſe videre credentem. Omnia vaſta, atq; ſine ullo humani cultus veſtigio, attoniti intuebantur, & antequam lux quoque & cœlum ipſos deficerent, reverti jubebant.

Ipſe equo deſiliit, pedeſque per nivem & concretam glaciem ingredi cœpit.

Tan-

Tandem propemodum invias ſylvas emenſi, humani cultus rara veſtigia, & paſſim errantes pecorum greges reperere.

Nec fœminis quidem pro naturæ habitu molliora ingenia ſunt. Comæ prominent hirtæ, veſtis ſuper genua eſt, funda vinciunt frontem: hoc & ornamentum capitis, & telum eſt.

CAP. VII.

CÆterum ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes Reges anteceſſit; illam in ſubeundis periculis conſtantiam, in rebus moliendis efficiendisq; velocitatē, in deditos fidem, in captivos clementiam, in voluptatibus permiſſis quoque & uſitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fœdavit.

Rex quoque fuit avidior, quam patientior. Quin igitur ulciſcimur Græciam, & urbi faces ſubdimus? Omnes incaluerant mero.

Multa cedro ædificata erat Regia, quæ celeriter igne concepto late fudit incendium.

Hunc exitum habuit regia totius Orientis; unde tot gentes ante jura petebant: patria tot Regum, unicus quondam Græciæ terror; molita mille navium claſſem, & exercitus, quibus Europa inundata eſt, contabulato mari molibus, perfoſſisque montibus, in quorum ſpecus fretum immiſſum eſt.

Hujus veſtigium non inveniretur, niſi Araxes amnis oſtenderet. Haud procul mœnibus fluxerat: inde urbem fuiſſe XX. ſtadiis diſtantem, credunt magis, quam ſciunt accolæ.

Ipſum, ut primum gravatam ebrietate mentem quies reddidit, pœnituiſſe conſtat. CAP.

CAP. IIX.

VRbem hancnunc tenent Parthi, eaque æſtiva agentibus ſedes eſt.

Triginta millia peditum ſequebantur, in quibus Græcorum erant quatuor millia; fide erga Regem ad ultimum invicta. Funditorum quoque & ſagittariorum manus quatuor millia expleverat. Præter hos, tria millia & CCC. equites erant, maxime Bactrianorum.

Fides veſtra & conſtantia, ut Regem me eſſe credam facit.

Meam fortunam, quam victoris maluiſtis ſequi: digniſſimi, quibus, ſi ego non poſſim, Dii pro me gratiam referant, & mehercule referent.

Nec Dii ſiverint, ut hoc decus mei capitis, aut demere mihi quisquam, aut condonare poſſit.

Sua cuique dextra, aut ultionem tot malorum pariet, aut finem.

Sed, ſi juſta ac pia bella Dii averſantur, fortibus tamen viris licebit honeſte mori.

Oro & obteſtor, ut nobilitate veſtra gentisque dignos ſpiritus capiatis, ut eadem conſtantia animorum, qua præterita toleraſtis, experiamini quicquid deinde ſors tulerit. Me certe in perpetuum, aut victoria egregia nobilitabit, aut pugna.

Præſentis periculi ſpecies omnium ſimul corda animosque horrore perſtrinxerat: nec aut conſilium ſuppetebat, aut vox.

Regem in aciem ſequemur; ea quidem mente, victoriam ut ſperemus, mortem non recuſemus.

Inauditi antea facinoris ſocietate inita, Regem ſuum per milites, quibus ambo præerant, comprehendere & vincire decreverant.

Scio

Scio me ſententiam eſſe dicturum, prima ſpecie haudquaquam auribus tuis gratam: ſed medici quoque graviores morbos aſperis remediis curant; & gubernator, ubi naufragium timet, jactura, quicquid ſervari poteſt, redimit.

Diis adverſis bellum inimus, & pertinax fortuna Perſas urgere non deſinit.

Quid ruimus belluarum ritu in pernicem non neceſſariam? Vltimum omnium mors eſt; ad quam non pigre ire ſatis eſt.

Tam impiæ voci quantum nefas ſubeſſet, latebat.

Ille Perſarum tabernacula circuire, hortari, monere nunc ſingulos, nunc univerſos, non ante deſtitit, quam ſatis conſtaret imperata facturos.

Ægre a Dario impetravit, ut cibum caperet animumque Regis.

CAP. IX.

OLim agitatum ſcelus exequi ſtatuunt, regni cupiditate accenſi.

In illis gentibus Regum eximia majeſtas eſt; ad nomen quoque Barbari conveniunt, & priſtinæ veneratio fortunæ ſequitur adverſam.

Hinc ſpe, hinc metu militares animos verſant.

Illi lacrymantes, nunc purgare ſe, nunc Artabazum orare, ut cauſam ipſorum tueretur, precesque perferret.

Inter fidem timoremque hæſitans.

Quantum ex vultu conſpici poterat, haud ſane territus.

Eludant licet quibus forte ac temere humana negotia volvi agiq; perſuaſum eſt: equidem æterna

na conſtitutione crediderim, nexuque cauſarum latentium, & multo ante deſtinatarum, ſuum quemque ordinem immutabili lege percurrere.

Nec mirum hominem mercede conductum, omnia habere venalia, ſine pignore, ſine lare, terrarum orbis exulem, ancipitem hoſtem, ad nutum licentium circumferri.

Deſtinatus ſorti ſuæ, & jam nullius ſalubris conſilii patiens, unicam in illa fortuna opem, Artabazum, ultimũ illum viſurus amplectitur, perfuſusq; mutuis lachrymis, inhærentem ſibi avelli jubet.

Diu aliud atque aliud conſilium animo volutabat.

Forſitan mireris, quod vitam non finiam: alieno ſcelere quam meo mori malo.

Maximum opus, ſed labor breviſſimus ſupereſt.

Igitur raptim agmen curſus magis, quam itineris modo ducit: ne nocturna quidem quiete diurnum laborem relaxante.

Cum expedita equitum manu monſtratã viam ingreditur, phalange, quantum feſtinare poſſet, ſequi juſſa.

Calcaribus ſubditis, effuſo curſu eunt.

Proſpectum ademerat pulveris nubes.

Ad hoc, refecti, cum fatigatis, certamen inituri erant.

Barbari Ducibus deſtituti, qua quemq; aut ſpes ducebat, aut pavor, diſſipabantur.

Vix credibile dictu, plures captivi, quam qui caperent, erant.

Applicito captivo, cum civem ex voce cognoviſſet, id ſaltem præſentis fortunæ ſe ſolatium habere dixit, quod apud intellecturum locuturus eſſet, nec incaſſum poſtremas voces emiſſurus.

Pre-

Precari ſe, ut illi victori terrarum omnium imperium contingat.

Quisquis es mortalium, inquit, hoc mihi extremum univerſæ calamitatis genus accidit, ut pro tanto in me beneficio', dignas tibi grates referre nequeam: at, referat Alexander: Alexandro vero Dii, pro ejus ſumma in meos humanitate acclementia.

Ad corpus demortui perveniens, tam indignam illo faſtigio mortem, lachrymis proſecutus eſt.

LIBER VI.

CAP. I.

REx eminebat, non armorum modo & corporis ſpecie, ſed etiam magnitudine animi, quo uno vinci non potuit.

Alia tela clypeo excipiebat, corpore alia vitabat, donec haſtâ femora perfoſſa, plurimo ſanguine effuſo, deſtituere pugnantem.

Nec tamen omiſere Lacedæmonii pugnam, & ut primum ſibi quam hoſti æquiorem locum capere potuerunt, denſatis ordinibus effuſi, fluentem in ſe aciem excepere.

Diei quoque unius tam multiplex caſus, modo ſpem modo metum utriusq; partis augebat: velut de induſtria inter fortiſſimos viros certamen æquante fortuna.

Qui extra teli jactum erant, clamore invicem ſuos accendebant.

CAP. II.

QVem arma Perſarum non fregerant, vitia vicerunt. Intempeſtiva convivia, & perpotandi pervigilandique inſana dulcedo.

Ita popularium animos oculosque pariter offendit, ut plerisque amicorum pro hoſte haberetur.

Tenaces diſciplinæ ſuæ, ſolitosque parco ac parabili victu, ad implenda naturæ deſideria defungi, in peregrina & victarum gentium mala impulerat.

Cum intempeſtivis conviviis dies pariter noctesque conſumeret, ſatietatem epularum ludis interpolabat.

Excellens erat forma, & formam pudor honeſtabat.

Diſcurrunt lymphatis ſimiles in tabernacula, & itineri ſarcinas aptant, ſignum datum crederes, ut vaſa colligerent.

Nunquam infractos & abjectos receſſiſſe ait, quoties ipſius alacritatem, & tanti animi ſpiritus haurire potuiſſent.

Alia ductu meo, alia imperio auſpicioque perdomui.

Plures provincias complexus ſum, quam alii urbes ceperunt: & neſcio an enumeranti mihi quædam ipſarum rerum multitudo ſubduxerit.

Sed in novo, & , (ſi verum fateri volumus) precario imperio, adhuc jugum ejus rigida cervice ſubeuntibus Barbaris, tempore, milite opus eſt, dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior conſuetudo permulcet. Fruges quoque maturitatem ſtatuto tempore expectant, adeo etiam illa ſenſus omnis expertia, tamen ſua lege miteſcunt. Quid? creditis tot gentes, alterius imperio ac nomini aſſuetas, non ſacris, non moribus, non commercio linguæ nobiſcum cohæ-

cohærentes, eodem prælio domitas eſſe,quo victæ ſunt?

Cum feris beſtiis res eſt,quas captas & incluſas, quia ipſarum natura non poteſt,longior dies mitigat.

Suis autem quique parent placidius, etiam cum is præeſt, qui magis timeri poteſt.

Sicut in corporibus ægris, milites,nihil quod nociturum eſt,medici relinquunt:ſic nos,quicquid obſtat imperio recidamus.Parva ſæpe ſcintilla contempta,magnum excitavit incendium. Nil tuto in hoſte deſpicitur:quem ſpreveris,valentiorem negligentia facies.

Quem equidem cruci affixum videre feſtino, omnibus Regibus, gentibusque, fidei quam violavit meritas pœnas ſolventem.

Quanto autem præſtaret territum adhuc, & vix mentis ſuæ compotem, opprimere?

In ipſo limine victoriæ ſtamus.

Egregium mehercule opus, & inter prima gloriæ veſtræ numerandum,poſteritati famæque tradetis.

Nemus præaltis denſisque arboribus umbroſum eſt,pingue vallis ſolum rigantibus aquis, quæ ex petris eminentibus manant.

Ex ipſis radicibus montium, Zioberis amnis effunditur,qui tria fere ſtadia,in longitudinem univerſus fluit: deinde ſaxo, quod alveolum interpolat,repercuſſus,duo itinera velut diſpenſatis aquis aperit. Inde torrens,& ſaxorum per quæ incurrit, aſperitate violentior, terram præceps ſubit. Per CCC. ſtadia conditus,labitur,rurſusque velut ex alio fonte conceptus editur, & novum alveum intendit,priore ſui parte ſpatioſior.

Se in præcipiti & lubrico ſtantem, conſilium a præſenti neceſſitate reperiſſe,

In communi calamitate ſuam quemque habere fortunam.

Non timeo, ne fidem datam tantus Rex violet, Dii a Deo falli non ſolent.

Patria eſt, ubicunque vir fortis ſedem elegerit.

Quadrato tamen agmine & compoſito ibat: ſpeculatores ſubinde præmittens, qui explorarent loca.

Perpetua vallis jacet, usque ad mare Caſpium patens. Duo terræ ejus veluti brachia excurrunt: media, fluxu modico ſinum faciunt, Lunæ maxime ſimilem, cum eminent cornua, nondum totum orbem ſidere implente.

Torrentesque & eluvies iter morabantur.

Vberrimum gignendis uvis ſolum eſt, frequens arbor faciē quercus habet, cujus folia multo melle tinguntur: ſed niſi ſolis ortum incolæ occupaverint, vel modico tempore ſuccus extinguitur.

Hic quoque in fidem receptus, multis exemplo fuit, experiendi clementiam Regis.

Tu quidem, Rex, perpetua felicitate floreas: ego, cæteris lætus, hoc uno torqueor, quod præcipiti ſenectute diu frui tua bonitate non poſſum.

Novem juvenes eadem matre geniti, patrem comitabantur. Hos Artabazus dextræ Regis admovit, precatus, ut tamdiu viverent, donec utiles Alexandro eſſent.

Gens cultu vitæ aſpera, & latrociniis aſſueta: hæc ſola, nec legatos miſerat, nec videbatur imperata factura.

Noctu iter fecerat, & prima luce hoſtis in conſpe-

ſpectu erat: tumultus magis quam prælium fuit.

In ſe implicati arborum rami, ſuſpenſis circulis ſimiles, lento vimine fruſtrabantur ictus.

Bucephalum Alexander non eodem quo cæteras pecudes, animo æſtimabat. Namque ille, nec in dorſo inſidere ſuo patiebatur alium, & Regem, cum vellet aſcendere, ſponte ſua genua ſubmittens, excipiebat, credebaturque ſentire quem veheret.

Artabazum deinde, geminato honore, quem Darius habuerat ei, remittit domum.

Veſtis non toto Amazonum corpori obducitur; nam læva pars ad pectus eſt nuda, cætera inde velantur: nec tamen ſinus veſtis, quem nodo colligunt, infra genua deſcendit.

Altera papilla intacta ſervatur, qua muliebris ſexus liberos alant: aduritur dextera, ut arcus facilius intendant, & tela vibrent.

Quippe omnibus Barbaris in corporum majeſtate veneratio eſt; magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt.

Pellices totidem quot Darii fuerant, regiam implebant, quas ſpadonum greges, & ipſi muliebria pati aſſueti, ſequebantur.

Ille non ignarus, & principes amicorum, & exercitum graviter offendi, gratiam liberalitate donisque recuperare tentabat. Sed, ut opinor, liberis pretium ſervitutis ingratum eſt.

Rex ante omnes mœſtus, cupiebat quidem ſubſiſtere funeri affuturus, ſed penuria commeatuum feſtinare cogebat.

Tota nocte ſtrenue facto itinere, improviſus hoſti ſupervenit.

 Ille

Ille,ut erat animi ſemper obluctantis difficultatibus,cum & progredi arduum, & reverti periculoſum eſſet, verſabat ſe ad omnes cogitationes, aliud atq; aliud(ut ſolet,ubi prima quæque damnamus) ſubjiciente animo: hæſitanti, quod ratio non potuit,fortuna conſilium ſubminiſtravit.

Flammam in ora hoſtium ventus ferebat: fumus ingens velut quadam nube abſconderat cœlum.

CAP. VII.

JAm nonum diem ſtativa erant, cum externa vi non tutus modo Rex, ſed invictus, inteſtino facinore petebatur.

Is, quod ex vultu quoque perſpici poterat,ſimilis attonito,remotis arbitris cum juvene ſeceſſit in templum,arcana ſe & ſilenda afferre præfatus: ſuſpenſumq; expectatione,permutuam charitatē, & pignora utriusque animi rogat,ut affirmet jurejurando, quæ commiſiſſet, ſilentio eſſe tecturum.

Illum jam defecerat vox, itaque edito gemitu, vultuque a conſpectu Regis averſo, ſubinde collapſus extinguitur.

Ad hæc Philotas,haud ſane trepidus, ſi animus vultu æſtimaretur.

Haud facile dixerim, crediderit ne ei Rex, an altius iram ſuppreſſerit, dextram reconciliatæ gratiæ pignus obtulit.

CAP. VIII.

LAtus a domeſticis hoſtibus muni: hos ſi ſubmoves,nihil metue ab externo.

Phi-

Philotam (ajebat,) conſumpto per ludum jocumque pene toto die, gravatum eſſe, pauca verba ad caput Reges pertinentia, tam longo, & forſitan ſupervacuo inſerere ſermoni.

Rex, admonitos, ut conſilium ſilentio premerent, dimittit. Pronuntiari deinde iter in poſterum diem jubet, ne qua novi initi conſilii daretur nota. Invitatus eſt etiam Philotas, ad ultimas ipſi epulas: & non cœnare modo, ſed etiam familiariter colloqui cum eo, quem damnaverat, ſuſtinuit. Jam ad omnes aditus diſpoſiti equites, itinera quoque obſidere juſſi, ne quis ad Parmenionem, qui tum Mediæ, magnisque copiis præerat, occultus evaderet.

Illum, ſive ſecuritate animi, ſive fatigatione reſolutum, ſomnus oppreſſerat.

Vicit, inquit, bonitatem tuam Rex, inimicorum meorum acerbitas. Nec plura locutum, capite velato in Regiam abducunt.

CAP. IX.

REx deinde in concionem procedit, vultu præferens dolorem animi.

Diu dimiſſo in terram vultu, attonito ſtupentique ſimilis ſtetit. Tandem recepto animo, pene, inquit, milites, paucorum hominum ſcelere vobis ereptus ſum. Deum providentia & miſericordia vivo: conſpectusque veſter venerabilis coëgit, ut vehementius parricidis iraſcerer: quoniam ſpiritus, imo unus vitæ meæ fructus eſt, tot fortiſſimis viris, & de me optime meritis, referre adhuc gratiam poſſe.

Quanto majorem in animis veſtris motum excitabo, cum tanti ſceleris autores oſtendero, quorum mentionem adhuc reformido, & tanquam ſalvi eſſe poſſint, nominibus abſtineo? Sed vincenda eſt memoria priſtinæ charitatis, & conjuratio impiorum civium detegenda.

Quomodo autem tantum nefas ſileam? Parmenio, illa ætate, tot meis, tot parentis mei meritis devinctus, omnium nobis amicorum vetuſtiſſimus, ducem tanto ſceleri ſe præbuit.

Fremitus undique indignantium querentiumque tota concione obſtrepebat, qualis ſolet eſſe multitudinis, & maxime militaris, ubi aut ſtudio agitur, aut ira.

Subeſt nimirum ſilentio facinus, & avida ſpes regni, præcipitem animum ad ultimum nefas impulit..

Orbitas quoque mea, quod ſine liberis ſum, ſpernitur. Sed, errat Philotas: in vobis liberos, parentes, conſanguineos habeo: vobis ſalvis, orbus eſſe non poſſum.

Hic, cum ſcripſiſſem ei, pro jure tam familiaris uſus atque amicitiæ, qualis ſors edita eſſet Jovis Ammonis oraculo; ſuſtinuit reſcribere mihi: ſe quidem gratulari, quod in numerum Deorum receptus eſſem; cæterum miſereri eorum, quibus vivendum eſſet ſub eo, qui modum hominis excederet.

Sed, jam non verba punienda ſunt, linguæ temeritas pervenit ad gladios. Hos (ſi mihi creditis) Philotas in me acuit. Si ipſum dimiſero, quo me conferam, milites? cui caput meum credam?

Vnde

Vnde præſidium petieram, periculum extitit. Quam feliciter in acie occidiſſem, potius hoſtis præda, quam civis victima!

Soletis identidem a me, milites, petere, ut ſaluti meæ parcam. Ipſi mihi præſtare poteſtis, quod ſuadetis ut faciam. Ad veſtras manus, ad veſtra arma confugio: invitis vobis ſalvus eſſe nolo: volentibus, non poſſum, niſi vindicor.

Tum Philotam, religatis poſt tergum manibus, obſoleto amiculo velatum, juſſit induci.

Amyntas, Regis Prætor, inclinantem ad miſericordiam concionem, rurſus aſpera in Philotam oratione commovit.

Velut truncum corpus, dempto capite, ſine ſpiritu, ſine nomine, in aliena terra ludibrium hoſtis futuri.

Saxum quod forte ante pedes jacebat, arripuit, emiſſurus in eum; ut plerique credidere, tormentis ſubtrahere cupiens.

Tum dicere rurſus permiſſus Philotas, ſive conſcientia ſceleris, ſeu periculi magnitudine amens & attonitus, non attollere oculos, non hiſcere audebat. Lacrymis deinde manantibus, linquente animo, in eum a quo tenebatur, incubuit: abſterſisque amiculo ejus oculis, paulatim recipiens ſpiritum ac vocem, dicturus videbatur.

CAP. X.

VErba, innocenti reperire facile eſt, modum verborum miſero tenere difficile. Itaque inter optimam conſcientiam, & iniquiſſimam fortunam deſtitutus, ignoro, quomodo & animo meo, & tempori paream.

Sed, quanquam vincti hominis non ſupervacua ſolum, ſed etiam inviſa defenſio eſt, quæ judicem non docere videtur, ſed arguere: tamen, utcunque licet dicere, memet ipſe non deſeram, nec committam, ut damnatus etiam mea ſententia videar.

Tot conſcii, ne in equuleum quidem impoſiti, verum fatebuntur? Atqui nemo parcit morituro, nec cuiquam moriturus, ut opinor.

Vnde & parricidæ & proditori tam alti quies ſomni? Scelerati, conſcientia obſtrepente cum dormire non poſſint, agitant eos furiæ, non conſummato modo, ſed & cogitato parricidio.

Jampridem nativus ille ſermo, commercio aliarum gentium exolevit: tam victoribus quam victis peregrina lingua diſcenda eſt. Non mehercule iſta me magis lædunt, quam quod Amyntas Perdiccæ filius inſidiatus eſt Regi; cum quo quod amicitia fuerit mihi, non recuſo defendere, ſi fratrem Regis non oportuit diligi a nobis. Sin autem in illo fortunæ gradu poſitum etiam venerari neceſſe erat, utrum, quæſo, quod non divinavi, reus ſum? An impiorum amicis inſontibus quoque moriendum eſt?

Fides amicitiæ, veri conſilii periculoſa libertas, vos me decepiſtis, vos, quæ ſentiebam, ne reticerem, impuliſtis. Scripſiſſe me hoc fateor Regi, non de Rege.

Sed quoniam oraculi fides certa eſt, ſit Deus cauſæ meæ teſtis. Retinete me in vinculis, dum conſulitur Hammon interim. Qui Regem noſtrum dignatus eſt filium, neminem eorum, qui ſtirpi ſuæ inſidiati ſunt, latere patietur.

Ergo chariſſime pater, & propter me morieris, & mecum.

Ego

Ego tibi vitam adimo, ego ſenectutem tuam extinguo. Quid enim me procreabas infelicem adverſantibus Diis? an ut hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Neſcio adoleſcentia mea miſerior ſit, an ſenectus tua. Ego in ipſo robore ætatis eripior: tibi carnifex ſpiritum adimet, quem ſi fortuna exſpectare voluiſſet, natura repoſcebat.

Ego ipſe, quoties, quæ audieram, detuli, cum ludibrio credulitatis repulſus ſum. Si, & cum indicamus inviſi, & cum tacemus, ſuſpecti ſumus, quid facere nos oportet? Cumque unus e circumſtantium turba exclamaſſet: Bene meritis non inſidiari; Philotas, recte, inquit, quisquis es, dicis. Itaq; ſi inſidiatus ſum, pœnam non deprecor, & finem facio dicendi, quoniam ultima verba gravia ſunt auribus veſtris.

CAP. II.

ERat, inter Duces manu ſtrenuus Belon quidam, pacis artium & civilis habitus rudis; vetus miles, ab humili ordine, ad eum gradum, in quo tunc erat, promotus, qui, tacentibus cæteris, ſtolida audacia ferox, admonere eos cœpit.

Quanquam in veſperam inclinabat dies, tamen amicos convocari jubet.

Illi quoque, qui aliud ſuaſerant, in horum ſententiam tranſeunt.

Dum corripitur, dum obligantur oculi, dum veſtis exuitur, gentium jura, Deos patrios, nequicquam apud ſurdas aures invocabat.

Per ultimos deinde cruciatus, utpote damnatus, & inimicis in gratiam Regis torquentibus, laceratur.

Non

Non vocem modo,ſed etiam gemitus habuit in poteſtate.

Sed poſtquam intumeſcens corpus ulceribus, flagellorum ictus,nudis oſſibus incuſſos,ferre non poterat , ſi tormentis adhibituri modum eſſent, dicturum ſe,quæ ſcire expeterent,pollicetur.

Vtroque impetrato, Cratero inquit, Dic, quid me velis dicere. Illo indignante ludificari , rurſusque revocante tortores,tempus petere cœpit, dum reciperet ſpiritum,cuncta quæ ſciret indicaturus.

Credite mihi, & nos, ſi viri ſumus, a Diis adoptabimur.

Vt experiremur,utrumne vino gravatus effudiſſet illa , an altiore concepta conſilio , accerſiri eum placuit.

Approbatoque conſilio,in hæc fides data eſt & accepta.

Multa affirmatione,animique pariter conſtantia,& vultu abnuens,quidquam ſibi in Regem cogitatum eſſe.

LIBER VII.

CAP. I.

Philotam ſicut recentibus ſceleris ejus veſtigiis jure affectum ſupplicio cenſuerant milites, ita,poſteaquam deſierat eſſe quem odiſſent,invidia in miſericordiam vertitur.

Seditioſæ voces referebantur ad Regem; queis ille haud ſane motus , ſatiſque prudens, otii vitia negotio diſcuti, edicit,ut omnes in veſtibulo regiæ præſto adforent.

A duo-

A duobus indicibus delatus, tertium jam annum cuſtodiebatur in vinculis.

Quia primus Alexandrum Regem ſalutaverat, ſupplicio magis, quam crimini fuerat exemtus.

Recruduit ſoporatus dolor; quippe veteris periculi memoriam, præſentis cura renovabat.

Hæſitans & trepidus, pauca ex iis quæ compoſuerat, protulit: ad ultimum non memoria ſolum, ſed etiam mens eum deſtituit. Nulli erat dubium, quin trepidatio conſcientiæ indicium eſſet, non memoriæ vitium.

Itaque ex iis, qui proxime aſtiterant, obluctantem adhuc oblivioni, lanceis confoderunt.

Ad magna & honorata miniſteria, illius maxime ſuffragatione productus.

Si nihil, inquit, intereſt Regis, peto, ut dum dico, vinculis liberer.

Qualiscunque exitus nos manet, Rex, confitemur proſperum tibi debituros, triſtiorem fortunæ imputaturos.

Nos, Rex, ſermonis adverſus majeſtatem tuam habiti, nullius conſcii ſumus nobis.

Etiamſi aliqua vox aſperior eſſet accepta, merueramus fortibus factis, ut malles ea tempori noſtro imputare, quam animo.

Militantium nec indignatio, nec lætitia moderata eſt. Ad omnes affectus impetu rapimur: vituperamus, laudamus, miſeremur, iraſcimur.

Amicitiam, quæ nobis cum Philota fuit, adeo non inficior, ut expetiiſſe quoque nos, magnosque ex ea fructus percepiſſe confitear. An vero Parmenionis, quem tibi proximum eſſe voluiſti, filium, omnes pene amicos dignatione vincentem cul-

cultum a nobis eſſe miraris? Tu hercule (ſi verum audire vis) Rex, hujus nobis periculi cauſa es.

Conſuetudo diluet crimen.

CAP. II.

INfeſta concio vix inhiberi potuit, quin protinus ſuo more, ſaxa in eum jaceret.

Nihil pro me deprecor, modo ne fratrum innocentiæ fuga imputetur mea. Hæc ſi defendi non poteſt, meum crimen ſit.

Juvenis erat primo ætatis flore pubeſcens.

Deſertum eum a comitibus, & hæſitantem inter revertendi fugiendique conſilium, qui ſecuti erant, occupaverunt. Is tum flere cœpit, & os ſuum converberare, mœſtus non ſuam vicem, ſed propter ipſum, periclitantium fratrum.

Tum vero, neque lacrymis, neque acclamationibus, quibus ſtudia ſua multitudo profitetur, temperaverunt. Vna vox erat, pari emiſſa conſenſu, ut inſontibus & fortibus viris parceret.

Vos autem, Juvenes, malo beneficii mei oblivisci, quam periculi veſtri meminiſſe. Ea fide redite in gratiam mecum, qua ipſe vobiſcum revertor. Niſi quæ delata eſſent, excuſſiſſem, valde diſſimulatio mea ſuſpecta eſſe potuiſſet. Sed, ſatius eſt purgatos eſſe, quam ſuſpectos. Cogitate neminem abſolvi poſſe, niſi qui dixerit cauſam. Tu Amynta ignoſce fratri tuo: erit hoc ſimpliciter etiam mihi reconciliati animi tui pignus.

Fiducia, in ſolicitudinem verſa, trepidare cœpit.

Velocitate opus eſt, qua celeritatem famæ antecedas. Noctu pervenire illuc te volo: poſtero die quæ ſcripta erunt, exequi.

Cogni-

Cognita cæde, cujus cauſa ignorabatur, in caſtra perveniunt, & tumultuoſo nuntio milites concitant.

Igitur cognita Regis voluntate, non quidem indignatio, ſed tamen ſedito compreſſa eſt. Dilapſis pluribus, pauci remanſerunt, qui ſaltem ut corpus illius ſepelire permitterent, precabantur.

Hic exitus Parmenionis fuit, militiæ domique clari viri. Multa ſine Rege proſpere, Rex ſine illo nihil magnæ rei geſſerat.

Juvenis, ducis, & ſæpe etiam gregarii militis munia explicuit, acer conſilio, manu ſtrenuus, charus principibus, vulgo militum acceptior.

Hæc impulerint illum ad regni cupiditatem, an tantum ſuſpectum fecerint, ambigi poteſt.

Simpliciter ad neceſſarios ſuos quisque ſcripſerat quæ ſentiebat. Aliis gravis erat, plerisque non ingrata militia.

CAP. III.

HIs ita compoſitis, Alexander iter pronuntiari jubet in Agriaſpas.

Ipſe Rex, nationem ne finitimis quidem ſatis notam, quippe nullo commercio volentem mutuos uſus, cum exercitu intravit. Parapamiſadæ appellantur, agreſte hominum genus, & inter Barbaros maxime inconditum: locorum aſperitas, hominum quoque ingenia duraverat. Gelidiſſimum Septentrionis axem ex magna parte ſpectant.

Structura latior ab imo, paulatim incremento operis in arctius cogitur; ad ultimum in carinæ maxime modum coit. Ibi foramine relicto, ſuperne lumen accipiunt.

Ob-

Obſcura cœli verius umbra, quam lux, nocti ſimilis, premit terram, vix ut quæ prope ſunt, conſpici poſſint.

In hac tamē omnis humani cultus ſolitudine deſtitutus exercitus, quicquid malorū tolerari poteſt, pertulit: inopiā, frigus, laſſitudinem, deſperationem. Multos exanimavit rigor inſolitus nivis: multorum aduſſit pedes: plurimorum oculis præcipue perniciabilis fuit. Fatigati quippe in ipſo gelu deficientia corpora ſternebant; quæ cum moveri deſiſſent, vis frigoris ita aſtringebat, ut rurſus ad ſurgendum conniti non poſſent.

Tanta caligo erat, ut ædificia nulla alia res quam fumus oſtenderet.

Rex agmen circuibat pedes, jacentes quosdam erigens, & alios cum ægre ſequerentur, adminiculo corporis ſui excipiens. Nunc ad prima ſigna, nunc in medium, nunc in ultimo agmine itineris, multiplicato labore aderat.

Inde agmen proceſſit ad Caucaſum montem, cujus dorſum Aſiam perpetuo jugo dividit.

Septendecim dierū ſpatio Caucaſum ſuperavit exercitus. Rupes in eo X. in circuitu ſtadia complectitur, quatuor in altitudinem excedit: in qua vinctum Promethea fuiſſe, antiquitas tradit.

CAP. IV.

EOrum nemo adeo humilis eſt, ut humeri ejus non poſſint Macedonis militis verticem æquare.

Conclamant temulenti, unam hanc ſententiam ſalubrem eſſe: & Beſſus circumferri merum largius jubet, debellaturus ſuper menſa Alexandrum.

Erat

Erat in eo convivio Cobares natione Medus, ſed magicæ artis (ſi modo ars eſt, non vaniſſimi cujusque ludibrium) magis profeſſione quam ſcientia celeber ; alioquin moderatus & probus. Is cum præfatus eſſet, ſcire, ſervo eſſe utilius parere dicto, quam afferre conſilium, cum illos qui pareant, idem quod cæteros maneat ; qui vero ſuadeant, proprium periculum.

Natura mortalium, hoc quoque nomine prava & ſiniſtra duci poteſt, quod in ſuo quisque negotio hebetior eſt quam in alieno. Turbida facta ſunt conſilia eorum, qui ſibi ſuadent. Obſtat aliis metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum, quæ cogitaveris, amor.

Magnum onus ſuſtines capite, regium inſigne. Hoc aut moderate perferendum eſt, aut (quod abominor) in te ruet.

Conſilio non impetu opus eſt.

Adjicit deinde, quod apud Bactrianos vulgo uſurpabant, Canem timidum vehementius latrare, quam mordere. Altiſſima quæque flumina minimo ſono labi.

Licet ſtrenuum metum putes eſſe, velocior tamen ſpes eſt. Quin validioris occupas gratiam, dedisque te ?

Nobilis equus umbra quoque virgæ regitur, ignavus, ne calcari quidem concitari poteſt.

Beſſus & ingenio & multo mero ferox, adeo exarſit, ut vix ab amicis, quo minus occideret eum, (nam ſtrinxerat quoque acinacem) contineretur. Certe e convivio proſilivit, haudquaquam potens mentis.

Obedienter imperata fecerunt.

Inopia frumenti prope ad famem ventum erat.

Hujus ſucci ducenis quadragenis denariis amphoræ ſingulæ, mellis denariis trecenis nonagenis, trecenis vini æſtimabantur.

Bactrianæ terræ multiplex & varia natura eſt. Alibi multa arbor, & vitis largos miteſque fructus alit. Solum pingue crebri fontes rigant. Quæ mitiora ſunt frumento conſeruntur.

Qui tranſeunt campos, navigantium modo noctu ſidera obſervant, ad quorum curſum iter dirigunt, & propemodum clarior eſt noctis umbra, quam lux.

Qua mitior terra eſt, ingens hominum equorumque multitudo gignitur.

Qui cum pugnam ſegnem utrinque æquis viribus ſtare vidiſſet, in primos ordines adequitavit; demtaque galea, inhibitis qui tela jaciebant, ſi quis viritim dimicare vellet, provocavit ad pugnam.

Erigyus, gravis quidem ætate, ſed & animi & corporis robore nulli juvenum poſtferendus. Is galea demta canitiem oſtentans: Venit, inquit, dies, quo aut victoria aut morte honeſtiſſima, quales amicos & milites Alexander habeat, oſtendam. Nec plura elocutus, equum in hoſtem egit.

CAP. V.

Aquarum (ut ante dictum eſt) penuria, prius deſperatione, quam deſiderio bibendi ſitim accendit.

Per CCCC. ſtadia, ne modicus quidem humor exiſtit. Arenas vapor æſtivi ſolis accendit, quæ

ubi

ubi flagrare cœperunt, haud ſecus quam continenti incendio cuncta torrentur.

Camporum non alia, quam vaſti & profundi æquoris ſpecies eſt.

Primum animi, deinde corpora deficere cœperunt. Pigebat & conſiſtere, & progredi.

Nec ſolus bibere ſuſtineo, nec tam exiguum dividere omnibus poſſum. Vos currite, & liberis veſtris, quod propter illos attuliſtis, date.

Eos autem qui primi agminis erant, mature cibo ac potione firmatos, implere alios utres, alios vaſa, quibus cum aqua poſſit potari, juſſit, ac ſuis opem ferre. Sed, qui intemperantius hauſerant, intercluſo ſpiritu extincti ſunt.

Nec pons erigi poterat, circumquaque amnem nudo ſolo, & materia maxime ſterili. Conſilium igitur, quod unum neceſſitas ſubjecerat, init. Utres quam plurimos ſtramentis refertos dividit.

Hoc modo ſexto demum die in ulteriore ripa, totum exercitum expoſuit.

Quos Beſſus truci vultu intuens, conſurgit, manibus non temperaturus.

Mores patrii nondum exoleverant, ſed jam bilingues erant, paulatim a domeſtico externoque ſermone degeneres.

Nec mora, lucos quoque ſacros, non cædunt modo, ſed etiam exſtirpant, ut vaſta ſolitudo & ſterilis humus, excuſſis etiam radicibus, linqueretur: quæ, ſi in ipſos proditionis authores excogitata eſſent, juſta ultio eſſe, non crudelitas videretur. Nunc culpam majorum poſteri luêre, qui ne viderant quidem Miletum.

Cujus, inquit, feræ rabies occupavit animum tuum

tuum, cum Regem de te optime meritum, prius vincire, deinde occidere ſuſtinuiſti?

Adeo certo ictu deſtinata feriebat, ut aves quoque exciperet.

CAPVT VI.

INterea Macedones ad petendum pabulum incompoſito agmine egreſſi, a Barbaris, ubi de proximis montibus decurrerunt, opprimuntur.

Rex inter promtiſſimos dimicans, ſagitta ictus eſt, quæ in medio crure fixa reliquerat ſpiculum.

Caſtris inde motis, lectica militari ferebatur, quam pro ſe quisque eques pedesque ſubire certabant.

Signo ut puberes interficerentur dato, reliqui in prædam ceſſere victoris. Vrbs diruta eſt, ut cæteri cladis exemplo continerentur.

Ad quorum pertinaciam mitigandam, Rex L. equites præmiſit, qui clementiam ipſius in deditos, ſimulque inexorabilem animum in devictos, oſtenderent.

Alexander haud ſecus quam par erat motus, urbem corona circumdedit, munitiorem, quam ut primo impetu capi poſſet.

Statuerat autem parcere urbi conditæ a Cyro: quippe non alium gentium illarum magis admiratus eſt, quam huncRegem, & Semiramim; in queis & magnitudinem animi, & claritatem rerum, longe emicuiſſe credebat.

Cæterum, pertinacia oppidanorum, ejus iram accendit.

Non alia urbs fortius obſidionem tulit, quippe & mili-

militum promtiſſimi cecidere, & ipſe Rex ad ultimum periculum venit. Namq; cervix ejus ſaxo icta eſt, ut oculis caligine offuſa collaberetur, ne mentis quidem compos. Exercitus certe velut erepto eo ingemuit. Sed, invictus adverſus ea, quæ cæteros terrent, nondum percurato vulnere, acrius obſidioni inſtitit, naturalem celeritatem ira concitante.

Ingens militum certamen inter ipſos fuerat, ut ſuum quisque munus (nam diviſum erat) primus oſtenderet.

CAP. VII.

PRimus cum hac gente non proviſum bellum Alexander geſturus, cum in conſpectu ejus obequitaret hoſtis, præcipue voce deficiens, quam & modicus cibus, & cervicis extenuabat dolor, amicos in conſilium advocari jubet.

Inter hæc Rex, dum fibris pecudum explorantur eventus latentium rerum, propius ipſum conſidere amicos jubet, ne contentione vocis cicatricem infirmam adhuc rumperet.

Sed neceſſitas ante rationem eſt, maxime in bello, quo raro permittitur tempora eligere.

At hercule ſi paululum ceſſaverimus, in tergis noſtris Scythæ hærebunt.

Si me ſequi vultis, valeo amici. Satis virium eſt ad toleranda iſta. Aut ſi jam adeſt vitæ meæ finis, in quo tandem opere melius extinguar?

Hæc, quaſſa adhuc voce deficiens, vix proximis exaudientibus dixerat: cum omnes a tam præcipiti conſilio deterrere Regem cœperunt.

Tibi autem ſæpius quam poteſt, denuntio, ipſe mihi indices, quid ex extis cognoveris, ne poſſis inficiari dixiſſe, quæ dixeris.

Ille exſanguis, attonitoq; ſimilis ſtabat, per metum etiam voce ſuppreſſa.

Equorum velocitati par eſt hominum pernicitas.

Hæc agentem anima deficit, corpusq; ex equo defluxit in terram.

Quam cladem Alexander ſolerti conſilio texit, morte denuntiata iis, qui ex prælio venerant, ſi acta vulgaſſent.

CAP. VIII.

CVm animo disparem vultum diutius ferre non poſſet, in tabernaculum, ſupra ripam fluminis de induſtria locatum, receſſit.

Tanta erat apud eos veneratio Regis, ut facile periculi, quod horrebant, cogitationem, præſentia ejus excuteret.

In vultu Regis defixerant oculos, credo, quia magnitudine corporis animum æſtimantibus, modicus haud quaquam famæ par videbatur.

Quid tu? ignoras arbores magnas diu creſcere, una hora exſtirpari? Stultus eſt, qui fructus earum ſpectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipſis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit, & ferrum rubigo conſumit. Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit, etiam ab invalido.

Proinde fortunam tuam preſſis manibus tene: Lubri-

Lubrica eſt,nec invita teneri poteſt: impone felicitati tuæ frænos, facilius illam reges. Noſtri ſine pedibus dicunt eſſe fortunam, quæ manus & pinnas tantum habet,cum manus porrigit,pinnas quoque comprehendere non ſinit. Denique,ſi Deus es,tribuere mortalibus beneficia debes,non ſua eripere: ſin autem homo es,id quod es,ſemper eſſe te cogita.

Inter dominum & ſervum nulla amicitia eſt, etiam in pace, belli tamen jura ſervantur.

CAP. IX.

SCythæ admotos ordines equitum in primo ripæ margine opponunt, ut ne applicari quidem terræ rates poſſent.

Curſum gubernatores, cum obliquo flumine impellerentur,regere non poterant:vacillantesq; milites, & ne excuterentur ſolliciti, nautarum miniſteria turbaverant.

Ipſe Rex,quod vigoris ægro adhuc corpori deerat,animi firmitate ſupplebat. Vox adhortantis non poterat audiri, nondum bene obducta cicatrice cervicis.

Captivos omnes ſine pretio remiſerat,ut fidem faceret,ſibi cum ferociſſimis gentium, de fortitudine,non de ira fuiſſe certamen.

Horum oſſa tumulo contegi juſſit,& inferias more patrio dedit.

CAP. X.

TOrrentem eum ripæ in tenuem alveum cogunt: deinde caverna accipit, & ſub terram rapit. Curſus abſconditi indicium, eſt aquæ meantis ſonus, cum ipſum ſolum ſub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem reſudet humore.

Carmen lætantium more canere, tripudiisque & laſciviori corporis motu, gaudium quoddam animi oſtentare cœperunt.

Si quis ipſos beneficio quam injuria experiri maluiſſet, certaturos fuiſſe ne vincerentur officio.

Quarto die ad flumen Oxum perventum eſt: hic quia limum vehit, turbidus ſemper, & inſalubris eſt potu.

CAP. XI.

PEtra in altitudinem XXX. eminet ſtadia, circuitu C. & L. complectitur, undique abſciſſa & abrupta, ſemita perangusta aditur. In medio altitudinis ſpatio, habet ſpecum, cujus os arctum & obſcurum eſt: paulatim deinde ulteriora panduntur. Vltima, etiam altos receſſus habent, fontes per totum fere ſpecum manant.

Rex loci difficultate ſpectata, ſtatuerat inde abire, cupido deinde inceſſit animo, naturam quoque fatigandi.

Nihil tam alte natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti.

Præmium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta decem. Vno minus accipiet, qui proximus ei venerit: eademque ad decem homines ſervabitur portio. Certum habeo, vos non tam liberalitatem intueri meam, quam voluntatem.

Ferreos cuneos, quos inter ſaxa defigerent, validosque funes parabant. Rex circumvectos petram, qua minime aſper ac præruptus aditus videbatur, ſecunda vigilia (quod bene verteret) ingredi jubet.

Ac

Ac primo pedibus ingreſſi ſunt, deinde, ut in prærupta perventum eſt, alii manibus eminentia ſaxa complexi, levavere ſemet; alii adjectis funium laqueis evaſere, cum cuneos inter ſaxa defigerent, queis gradus ſubinde inſiſterent.

Per aſpera enixis, duriora reſtabant, & creſcere altitudo petræ videbatur.

Cophen ſtrenue revocant, & cum eo XXX. principes mittunt, qui Petram tradant, & ut incolumibus abire liceat, paciſcantur.

LIBER VIII.

CAP. I.

CVm propter vagum hoſtem ſpargendæ manus eſſent, in tres partes diviſit exercitum.

Hoſtis in ſylvis, quæ erant forte campo junctæ, armatum militem condidit, paucis propellentibus pecora, ut improvidum ad inſidias præda perduceret.

Barbaræ opulentiæ in illis locis haud ulla ſunt majora indicia, quam magnis ne moribus nobilium ferarum greges clauſi. Spatioſas ad hoc eligunt ſylvas, crebris perennium aquarum fontibus amœnas.

Quatuor continuis ætatibus intactum ſaltum fuiſſe conſtabat, quem Alexander cum toto exercitu ingreſſus, agitari undique feras juſſit.

Occiderat eximiæ magnitudinis feram ſolus, ſed lævo humero usque ad oſſa laceratus, ad ultimum periculi pervenerat.

Rex, cum multo incaluiſſet mero, immodicus æſtimator ſui, celebrare, quæ geſſerat, cœpit: gra-

vis etiam eorum auribus, qui ſentiebant vera r ıc-morari.

Tum Clytus, ne ipſe quidem ſatis ſobrius, ad eos qui infra ipſum cubabant converſus, Euripidis retulit carmen, ita ut ſonus magis, quam ſermo exaudiri poſſet.

Rex, cum ſuſpicaretur malignius habitum eſſe, ſermonem, percontari proximos cœpit, quid ex Clyto audiſſent.

Rex velut patienter audiret, queis Clytus obterebat laudes ejus, ingentem iram conceperat.

Mittor ad feras beſtias, præcipitia ingenia ſortitas.

Dolorem Rex preſſit, contentus juſſiſſe, ut convivio excederet.

Illum cunctantem adhuc ſurgere, qui proximi ei cubuerant, injectis manibus jurgantes monentesque conabantur abducere.

Nunc poſteaquam tanti meriti præteriit tempus, etiam memoriam inviſam eſſe proclamat.

Jam tantum iræ conceperat Rex, quantum vix ſobrius ferre potuiſſet. Enim vero mero ſenſibus victis, ex lecto repente proſiluit. Attoniti amici, ne poſitis quidem, ſed abjectis poculis, conſurgunt, in eventum rei, quam tanto impetu acturus eſſet, intenti.

Ptolemæus & Perdiccas genibus advoluti orant, ne in tam præcipiti ira perſeveret, ſpatiumque potius animo det: omnia poſtero die juſtius executurum. Sed clauſæ erant aures, obſtrepente ira.

CAP. II.

MAle humanis ingeniis natura conſuluit, quod plerunque non futura ſed transacta perpendimus

mus, quippe Rex, poſteaquam ira mente deceſſe-rat, etiam ebrietate diſcuſſa, magnitudinem facinoris ſera æſtimatione perſpexit. Videbat tunc, immodica libertate abuſum, ſed alioqui egregium bello virum, & niſi erubeſceret fateri, ſervatorem ſui occiſum.

Vigiles attoniti & ſtupentibus ſimiles, procul ſtabant, liberioremque pœnitentiam ſolitudo exciebat.

Haſtam ex corpore jacentis evulſam retorſit in ſemet: jamque admoverat pectori, cum advolant vigiles, & repugnanti e manibus extorquent, allevatumque in tabernaculum deferunt.

Laniare deinde os unguibus (cœpit.) & circumſtantes rogare, ne ſe tanto dedecori ſuperſtitem eſſe paterentur. In has preces tota nox exacta eſt.

Magis eo movebatur, quod omnium amicorum animos videbat attonitos: neminem cum ipſo ſociare ſermonem poſtea auſurum. Vivendum eſſe in ſolitudine, velut feræ beſtiæ, terrenti alias, alias timenti.

Rex triduum jacuit incluſus. Quem ut armigeri corporisque cuſtodes, ad moriendum obſtinatum eſſe cognoverunt, univerſi in tabernaculum irrumpunt, diuque precibus ipſorum reluctatum, ægre vicerunt, ut cibum caperet.

Igitur decem diebus, maxime ad confirmandum pudorem, apud Maracanda conſumtis, cum parte exercitus Hephæſtionem in regionem Bactrianam miſit, commeatus in hyemem paraturum.

Scythiæ confinis eſt regio, habitaturque pluribus

bus ac frequentibus vicis, quia ubertas terræ, non indigenas modo detinet, ſed etiam advenas invitat.

Ferocia ingenia non bellum modo, ſed etiam veniæ deſperatio efferaverat.

OctogintaMacedonum interfecerant,præterq; eos trecenti & quadraginta ſaucii facti ſunt.

Duobus millibus armatis popularibus, fauces regionis,qua in arctiſſimum cogitur,valido munimento ſepſerant.

Aditus ſpecus accipit lucem:interiora, niſi illato lumine obſcura ſunt. Perpetuus cuniculus iter præbet in campos,ignotum niſi indigenis.

Cum hoſtis vires,ſuasque penſaret,rurſus prioris conſilii,quod præceps magis quam neceſſarium eſſe credebat,pœnitere eum cœpit.

Arduum & impeditum ſaxis iter, utcunque tolerabant. Mox equorum non ungulis modo attritis, ſed corporibus etiam fatigatis, ſequi plerique non poterant,& rarius ſubinde agmen fiebat, pudorem (ut fere fit) immodico labore vincente.

Poſteaquam Barbari in fugam effuſi deſeruere ſylvas,animus,qui in ardore pugnæ corpus ſuſtentaverat, liquit: ſubitoque omnibus membris profuſo ſudore,arboris proximæ ſtipiti ſe applicuit.

Vtriusque funus omni apparatu atque honore celebratum eſt.

CAP. III.

SEd hanc quoque expeditionem, ut pleraque alia,fortuna, indulgendo ei nunquam fatigata, pro abſente tranſegit.

Cæterum abire e conſpectu jubet,addito metu mortis,ſi ſe oculis ejus obtuliſſet.

Sed

Sed penitus hærens amor, faſtidio præſentium accenſus eſt.

In Macedonum caſtra mulier pervenit, nuntiarique Alexandro jubet, eſſe quæ ex ipſa deberet agnoſcere.

Confuderat oris exſanguis notas pallor, nec quis eſſet, noſci ſatis poterat.

Variæ hinc cogitationes invicem animum diverſa agitantem commoverant.

Denuntiari juſſit, ut excederet caſtris, ne licentiæ barbaræ exemplar, in Græcorum mores, & mitia ingenia transferret.

CAP. IV.

HIs compoſitis, tertio menſe ex hibernis movit exercitum.

Primus dies quietum iter præbuit, proximus ei, nondum quidem procelloſus & triſtis, obſcurior tamen priſtino, non ſine minis creſcentis mali præteriit. Tertio, ab omni parte cœli emicare fulgura, & nunc internitente luce, nunc condita, non oculos modo meantis exercitus, ſed etiam animos terrere cœperunt.

Erat prope continuus cœli fragor, & paſſim cadentium fulminum ſpecies viſebatur: attonitisque auribus ſtupens agmen, nec progredi, nec conſidere audebat. Tum repente imber grandinem incutiens, torrentis modo effunditur.

Jam nec retinere arma lubrica rigentes manus poterant, nec ipſi deſtinare, in quam regionem obverterent, corpora, cum undique tempeſtatis violentia major, quam vitabatur, occurreret.

Ergo ordinibus ſolutis, per totum ſaltum errabundum agmen ferebatur, multique prius metu quam

quam labore defatigati, proſtraverant humi corpora, quanquam imbrem vis frigoris concreto gelu aſtrinxerat.

Non vehemens modo, ſed etiam pertinax vis mali inſiſtebat, lucemque, naturale ſolatium, præter tempeſtatem haud diſparem nocti, ſylvarum quoque umbræ ſuppreſſerant.

Efficacior in adverſis neceſſitas, quam ratio, frigoris remedium invenit.

Hic calor ſtupentia membra commovit, paulatimque ſpiritus, quem continuerat rigor meare libere cœpit.

Memoriæ proditum eſt, quoſdam applicatos arborum truncis, & non ſolum viventibus, ſed & inter ſe colloquentibus ſimiles eſſe conſpectos, durante adhuc habitu, in quo mors quemque deprehenderat.

Poſtero die, convocatis amicis, copiarumque ducibus, pronuntiari juſſit, ipſum omnia quæ amiſſa eſſent redditurum, & promiſſo fides extitit.

Roxane eximia corporis ſpecie, & decore habitus in Barbaris raro.

Omnium oculos convertit in ſe, maxime Regis, minus jam cupiditatibus ſuis imperantis inter obſequia fortunæ, contra quam non ſatis cauta mortalitas eſt.

Rex medio cupiditatis ardore juſſit afferri patrio more panem (hoc erat apud Macedonas ſanctiſſimum coëuntium pignus) quem diviſum gladio uterque libabat. Credo, eos qui gentis mores condiderant, parco & parabili victu oſtendere voluiſſe jungentibus opes, quantulo contenti eſſe deberent.

CAP.

CAP. V.

DIves regio habebatur, non auro modo, ſed gemmis quoque, margaritisque, ad luxum magis quam ad magnificentiam exculta.

Jovis filium non dici tantum ſe, ſed etiam credi volebat, tanquam perinde animis imperare poſſet, ac linguis.

Tantundem quoque poſteros credere (ajebat,) quantum præſens ætas ſpopondiſſet.

Ego autem ſeram immortalitatem precor Regi, ut vita diuturna ſit, & æterna majeſtas. Hominem conſequitur aliquando, nunquam comitatur divinitas.

Scilicet ego & tu, Cleo, Deos facimus? a nobis divinitatis ſuæ authoritatem accepturus eſt. Rex? Potentiam tuam experiri libet. Fac aliquem Regem, ſi Deum potes facere. Facilius eſt imperium dare, quam Cœlum. Dii propitii, ſine invidia quæ Cleo dixit audierint, eodemque curſu quo fluxere res, ire patiantur. Noſtris moribus velint nos eſſe contentos.

Nec quicquam eorum quæ invicem jactata erant, Rex ignorabat, cum poſt aulæa, quæ lectis obduxerat, ſtaret.

Paulo poſt, quaſi potiora quædam egiſſet, convivium repetit.

CAP. VII.

IN Caliſthenem olim contumacia ſuſpectum, pervicacioris iræ fuit, cujus explendæ matura obvenit occaſio.

Excubabant, ſervatis noctium vicibus, proximis foribus ejus ædis, in qua Rex acquieſcebat.

Hæc

Hæc cohors, velut ſeminarium ducum præfectorumque apud Macedonas fuit.

Hermolaus puer nobilis ex regia cohorte, cum aprum telo occupaſſet, quem Rex ferire deſtinaverat, juſſu ejus verberibus affectus eſt.

Juvenem, ſua ſponte jam motum, data fide acceptaque perpulit, ut occidendi Regem conſilium ſecum iniret.

Adeo pertinax ſpes eſt, quam humanæ mentes, quam ingentes concupiſcentiæ devoverant.

Excitatis cuſtodibus corporis, ad ſalutem Regis pertinere, quæ afferret, affirmabat.

Apertis foribus, & lumine illato, ſopitum mero ac ſomno excitant Regem. Ille paulatim mente collecta, quid afferrent, interrogat.

Toto die, & nocte proxima, mero ac vigiliis, gravis acquievit. Poſtero autem frequens conſilium adhibuit.

CAP. VII.

Conſurgit, & ad os manu objecta, ſcelere & malis inſanientem, ultra negat audiendum.

Pater ſupremum ſtrinxerat ferrum, percuſſurus haud dubie, ni inhibitus eſſet a Rege.

Tibi XXX. millia mulorum captivum aurum vehunt, cum milites nihil domum præter gratuitas cicatrices relaturi ſint.

Perſarum te veſtis & diſciplina delectat, patrios mores exoſus es. Perſarum ergo non Macedonum Regem occidere voluimus: & te transfugam, belli jure perſequimur. Tu Macedonas voluiſti genua tibi ponere, venerarique te ut Deum. Tu Philippum patrem averſaris, & ſi quis Deorum ante Jovem haberetur, faſtidires etiam Jovem.

CAP.

CAP VIII.

UT a tutoribus pupilli ,a maritis uxores,ſervis quoque pueros hujus ætatis verberare concedimus.

Clytus utinam non coëgiſſet me ſibi iraſci: cujus temerariam linguam , probra dicentem mihi, & vobis,diutius tuli, quam ille eadem me dicentem tuliſſet. Regum, ducumque clementia, non in ipſorum modo,ſed etiam in illorum,qui parent, ingeniis ſita eſt.Obſequio mitigantur imperia. Vbi vero reverentia exceſſit animis,& ſumma imis confundimus,vi opus eſt,ut vim repellamus.

Apud me quidem,moderationis meæ certiſſimum indicium eſt, quod ne victis quidem ſuperbe impero.

Non eſt diuturna poſſeſſio in quam gladio inducimur. Beneficiorum gratia ſempiterna eſt. Si habere Aſiam , non tranſire volumus , cum his communicanda eſt noſtra clementia.

In multis gentibus eſſe video, quæ non erubeſcamus imitari: nec aliter tantum imperium apte regi poteſt,quam ut quædam & tradamus illis, & ab iisdem diſcamus.

Fama bella conſtant, & ſæpe etiam quod falſo creditum eſt,veri vicem obtinuit.

Olim iſtum morem occidendi cum ſceleſtis inſontes propinquos,ſolvi.

CAP. IX.

INdia tota ferme ſpectat Orientem , minus in latitudinem,quam recta regione ſpatioſa. Quæ Auſtrum accipiunt,in altius terræ faſtigium excedunt. Plana ſunt cætera, multisq; inclutis amnibus Caucaſo monte ortis, placidum per campos

iter præbent. Indus gelidior eſt, quam cæ[illegible]

Erimanthus crebris flexibus ſubinde curvatus, ab accolis rigantibus carpitur.

Quæ propiora ſunt mari, Aquilones maxime deurunt. Ii cohibiti jugis montium, ad interiora non penetrant.

Adeo in illa plaga mundus ſtatas temporum vices mutat, ut cum alia fervore ſolis exæſtuant, Indiam nives obruant: rurſusque ubi cætera rigent, illic intolerandus æſtus exiſtat.

Ingenia hominum ſicut ubique, apud illos locorum quoque ſitus format. Corpora usque pedes carbaſo velant. Soleis pedes, capita linteis vinciunt.

Capillum pectunt ſæpius quam tondent. Mentum ſemper intonſum eſt, reliquam oris cutem ad lævitatem exæquant.

Cum Rex ſe in publico conſpici patitur, thuribula argentea miniſtri ferunt, totumque iter per quod ferri deſtinavit, odoribus complent.

Regia auratas columnas habet; totas eas vitis auro cælata percurrit, aviumq;, quarum viſu maxime gaudent, argenteæ effigies, opera diſtinguunt.

Quibus aut ſegnis ætas, aut incommoda valetudo eſt, exſpectatam mortem pro dedecore vitæ habent.

Siderum motus ſcite ſpectare dicuntur, & in futura prædicere.

Lunæ curſu notant tempora, non ut plerique, cum orbem ſidus implevit, ſed cum ſe curvare cœpit in cornua.

Multa & alia traduntur, quibus morari ordinem rerum haud ſane operæ pretium videbatur.

CAP.

CAP. X.

Illi, quia plurima flumina ſuperanda erant, ſic junxere naves, ut ſolutæ plauſtris vehi poſſent, rurſusque conjungi.

Triginta millia peditum tuebantur urbem, non ſitu ſolum, ſed etiam opere munitam.

Nam, qua ſpectat Orientem, cingitur amne torrenti, qui præruptis utrinque rupibus, aditum ad urbem impedit. Ab Occidente & a Meridie, velut de induſtria rupes præaltas admolita natura eſt, infra quas cavernæ & voragines, longa vetuſtate in altum cavatæ, jacent, quaque deſinunt, foſſa ingentis operis objecta eſt.

Spiculo evulſo admoveri equum juſſit: quo vectus, ne obligato quidem vulnere, haud ſegnius deſtinata exequebatur.

Non tamen ante ſe recepit in caſtra, quam cuncta proſpexit, & quæ fieri vellet, edixit.

Ipſa genibus Regis parvo filio admoto, non veniam modo, ſed etiam priſtinæ fortunæ impetravit decus: quippe appellata eſt Regina, & credidere quidam, plus formæ, quam miſerationi datum. Puero quoque certe, poſtea ex ea utcunq; genito, Alexandro fuit nomen.

CAP. XI.

PEtra non ut pleræque, modicis ac mollibus clivis in ſublime faſtigium creſcit, ſed in metæ maxime modum erecta eſt: cujus ima ſpatioſiora ſunt, altiora in arctius coëunt; ſumma, in acutum cacumen exſurgunt. Radices ejus Indus amnis ſubit, præaltus utrinque aſperis ripis. Ab altera parte voragines eluviesque præruptæ ſunt.

Multorum miſerabilis fuit caſus, quos ex præ-rupta rupe lapſos,amnis præterfluens hauſit.

Ingentia ſaxa in ſubeuntes provolventibus barbaris,ii perculſi,inſtabili &lubrico gradu,præcipites recidebant.

Ruere in hoſtem,omnium præter ultionem immemor,cœpit; multosque haſta,quosdam gladio interemit.

Ducibus itineris, etſi promiſſis minora præſtiterant,pretium cum fide redditum eſt.

CAP. XII.

GRavius agmen exercitus, Cœno ducendum modicis itineribus tradidit.

Ille,facto impunitatem dedit: honorem denegavit exemplo.

Is benigne Hephæſtionem exceperat, gratuitum frumentum copiis ejus admenſus.

Arma milites capere, & equites diſcedere in cornu juſſerat.

Invidi homines,nihil aliud quam ipſorum ſunt tormenta.

CAP. XIII.

IN ulteriore ripa Porus conſederat,tranſitu prohibiturus hoſtem.

Ipſum vehebat elephantus ſuper cæteras belluas eminens, armaque auro & argento diſtincta, corpus raræ magnitudinis honeſtabant. Par animus robori corporis, & quanta inter rudes poterat eſſe ſapientia.

Stabant ingentes vaſtorum corporum moles, & de induſtria irritatæ, horrendo ſtridore aures fatigabant.

Ibi lævia prælia conſerebantur,& uterque Rex parvæ

parvæ rei discrimine,ſummæ experiebatur eventum.

Nobiles juvenes,& perpetua partium felicitate ad ſpernendum omne periculum accenſi.

Qui effugerant hoſtem , aut impetu amnis ablati ſunt,aut vorticibus impliciti.

Erat inſula in flumine amplior cæteris , ſylveſtris eadem, & tegendis inſidiis apta.

Attalum, etiam æqualem ſibi,& haud diſparem habitu oris & corporis,utique cum procul viſeretur , veſte regia exornat , præbiturum ſpeciem, ipſum Regem illi ripæ præſidere , nec agitare de tranſitu.

Hujus conſilii effectum primo morata tempeſtas eſt , mox adjuvit : incommoda quoque ad bonus eventus vertente fortuna.

Procella imbrem vix ſub tectis tolerabilem effudit,obrutique milites nimbo , in terram refugerunt,navigiis ratibusque deſertis.

Cæterum , adeo ſpiſſæ intendere ſe nubes , ut conderent lucem , vixque colloquentium inter ipſos facies noſcitaretur.

CAP. XIV.

PОrro nuntiatur,armis viriſque ripam obtineri,& rerum adeſſe diſcrimen.

Imber violentius quam alias fuſus, campos lubricos,& inequitabiles fecerat: graveſque & propemodum immobiles currus,illuvie & voraginibus hærebant.

Per lubrica atque invia immiſſi currus , excutiebant eos,a quibus regebantur.

Ipſe Porus humanæ magnitudinis propemodum exceſſerat formam. Magnitudini adjicere

videbatur bellua, qua vehebatur, tantum in cæteras eminens,quantum aliis ipſe præſtabat.

Tandem,inquit,par animo meo periculũ video. Cum beſtiis ſimul,&cum egregiis viris res eſt.

Ergo ſpreto Regis imperio (quod fere fit,ubi turbatis,acrius metus,quam dux imperare cœpit) totidem erant Imperatores,quot agmina errabant. Alius jungere aciem ,alius dividere, ſtare quidam,&nonnulli circumvehi terga hoſtium jubebant. Nihil in medium conſulebatur.

Magnum belluæ injecere terrorem,inſolitusq; ſtridor, non equos modo, tam pavidum ad omnia animal,ſed viros quoque, ordinesque turbaverat.

Quidam avidius perſecuti belluas, in ſemet irritavere vulneribus.Obtriti ergo pedibus earum, cæteris,ut parcius inſtarent,fuere documentum.

Anceps ergo pugna,nunc ſequentium,nunc fugientium elephantos,in multum diei varium certamen extraxit.

Novem jam vulnera,hinc tergo,illinc pectore exceperat ; multoque ſanguine profuſo ,languidis manibus, magis elapſa quam excuſſa tela mittebat.

Equus ejus multis vulneribus confoſſus deficiensque procubuit, poſito magis Rege , quam effuſo. Itaque dum equum mutat,tardius inſecutus eſt.

Ergo undique & in pedites , & in ipſum Porum tela congeſta ſunt : queis tandem gravatus,labi ex bellua cœpit.

Magnitudinem animi ejus interritam , ac ne fortuna quidem infractam , non miſericordia modo,ſed etiam honore excipere dignatus eſt.

Nec

Nec ſane quicquam ingenium ejus ſolidius aut conſtantius habuit, quam admirationem veræ laudis & gloriæ.

Simplicius tamen famam æſtimabat in hoſte, quam in cive: quippe a ſuis credebat magnitudinem ſuam deſtrui poſſe; eandem clariorem fore, quo majores fuiſſent, quos ipſe viciſſet.

LIBER IX.

CAP. I.

HOc nomen belluis eis inditum a Græcis; ſermonis ejus ignari, aliud lingua ſua uſurpant.

Copiarum Duces coronis & mille aureis ſingulos donat. Cæteris quoq; proportione aut gradu, quem in militia obtinebant, aut navatæ operæ, honos habitus eſt.

Ei Alexander nuntiari juſſit, ſi gravaretur ad ſe venire, ipſum ad eum eſſe venturum.

Sylvæ erant prope in immenſum ſpatium diffuſæ, proceriſque in eximiam altitudinem editis arboribus umbroſæ. Plerique rami, inſtar ingentium ſtipitum flexi in humum, rurſus qua ſe curvaverant, erigebantur, adeo ut ſpecies eſſet non rami reſurgentis, ſed arboris ex ſua radice generatæ.

Hic quoque ſerpentium magna vis erat, ſquamis fulgorem auri reddentibus. Virus haud ullum magis noxium eſt, quippe morſum præſens mors ſequebatur.

Aliis tela, aliis haſtæ, aliis ſecures erant: tranſiliebantque in vehicula ſtrenuo ſaltu, cum ſuccurrere laborantibus ſuis vellent.

Paucis pernicitas ſaluti fuit, qui cognito urbis excidio, paludem tranavere, & in vicina oppida ingentem intulere terrorem.

Hinc in regnum Sophitis perventum eſt. Gens, ut barbari, ſapientia excellit, bonisque moribus regitur.

Rex Indus cum duobus adultis filiis occurrit, multum inter omnes barbaros eminens corporis ſpecie.

Leonem eximiæ magnitudinis juſſit emitti, & quatuor omnino admoveri canes, qui celeriter occupaverunt feram.

Equidem plura tranſcribo, quam credo. Nam nec affirmare ſuſtineo, de quibus dubito, nec ſubducere, quæ accepi.

CA. II.

RVrſus avaritia gloriæ, & inſatiabilis cupido famæ, nihil invium, nihil remotum videri ſinebat.

Se totius orbis imperium mente complexum, adhuc in operum ſuorum primordio ſtare.

Vicit cupido rationem, & ad concionem vocatis militibus, ad hunc maxime modum diſſeruit.

Nunquam ad liquidum fama perducitur; omnia illa tradente majora ſunt vero.

Flumen quo latius fuſum eſt, hoc placidius ſtagnat; quippe anguſtis ripis coërcita, & in anguſtiorem alveum eliſa, torrentes aquas invehunt: contra ſpatio alvei ſegnior curſus eſt.

Veſtras manus intueor, veſtram virtutem, rerum quas geſturus ſum, vadem, prædemq; habeo.

Quam diu vobiscum in acie ſtabo, nec meos, nec hoſtium exercitus numeravero. Vos modo animos

…os mihi plenos alacritatis & fiduciæ adhibete. …on in limine operum laborumque noſtrorum, ſed in exitu ſtamus.

Nolite (quod pigri agricolæ faciunt) maturos fructus per inertiam amittere e manibus.

Per vos, gloriamque veſtram, qua humanum faſtigium creditis, perque & mea in vos, & in me veſtra merita, quibus invicti contendimus, oro, quæſoque, ne humanarum rerum terminos adeuntem, alumnum commilitonemque veſtrum, ne dicam Regem, deſeratis. Cætera vobis imperavi, hoc unum debiturus ſum.

Date hoc precibus meis, & tandem obſtinatum ſilentium rumpite. Vbi eſt ille clamor, alacritatis veſtræ index? ubi eſt ille meorum Macedonum vultus? non agnoſco vos, milites, nec agnoſci videor a vobis. Surdas jamdudum aures pulſo. Averſos animos & infractos excitare conor.

Neſcio quid imprudens in vos deliqui, quod me ne intueri quidem vultis.

Mori præſtat, quam precario Imperatorem eſſe. Ite reduces domos: ite deſerto Rege ovantes. Ego hic a vobis deſperatæ victoriæ, aut honeſtæ morti locum inveniam.

CAP. III.

IGitur primo fremitus ſua ſponte, deinde gemitus quoque oritur, paulatimque liberius dolor erigi cœpit, manantibus lacrymis, adeo ut Rex ira in miſericordiam verſa, ne ipſe quidem, quanquam cuperet, temperare oculis potuerit.

Tandem univerſa concione effuſius flente, tum Cœnus, Dii prohibeant, inquit, a nobis im-

pias mentes, & profecto prohibent. Idem animus eſt tuis, qui fuit ſemper, ire quo juſſeris, pugnare, periclitari, ſanguine noſtro commendare poſteritati tuum nomen.

Proinde, ſi perſeveras, inermes quoque, & nudi, & exangues, utcunque tibi cordi eſt, ſequimur, vel antecedimus.

Sed, ſi audire vis non fictas tuorum militum voces, rerum neceſſitate ultima expreſſas, præbe, quæſo, propitias aures, imperium atque auſpicium tuum conſtantiſſime ſecutis, & quocunque pergis, ſecuturis.

Digna prorſus cogitatio animo tuo, ſed altior noſtro. Virtus enim tua ſemper in incremento erit, noſtra vis in fine jam eſt. Intuere corpora exanguia, tot perfoſſa vulneribus, tot cicatricibus putria. Jam tela hebetia ſunt, jam arma deficiunt.

Militum ut multitudinem augeant de induſtria Barbari, magnum tamen eſſe numerum, etiam ex mendacio intelligo.

Jamque & alii Duces, præcipueque ſeniores, queis ob ætatem & excuſatio honeſtior erat, & autoritas major, eadem precabantur.

Inops conſilii deſilivit e tribunali, claudique regiam juſſit, omnibus, præter aſſuetos, adire prohibitis.

CAP. IV.

PElles ferarum pro veſte, clavæ pro telo erant. Depopulatus regionem, oppidum caput ejus corona cepit. XL. peditum millia, alia gens in ripa fluminum oppoſuerat, quæ, amne ſuperato in fugam compulit, incluſosque mœnibus expu-

[I]pugnat. Puberes interfecti ſunt, cæteri venie-
runt.

Tria flumina tota India præter Gangem maxima, munimento arcis applicant undas. A Septentrione Indus alluit, a meridie Aceſines Hydaſpi confunditur.

Cæterum amnium coitus, maritimis ſimiles fluctus movet, multoque ac turbido limo, quod aquarum concurſu ſubinde turbatur, iter qua meant navigia, in tenuem alveum cogitur.

Miniſteria eorum hinc metu, hinc prærapida celeritate fluminum occupantur. In oculis duo majora omnium navigia ſubmerſa ſunt.

In rapidiſſimos vortices incidit, quibus intorta navis, obliqua, & gubernaculi impatiens, agebatur.

Ingenti certamine concitant remos, quantaque vis humana eſſe poterat, admota eſt, ut fluctus, qui ſe invehebant, everberarentur.

Findi crederes undas, & retro gurgites cedere. Quibus tandem navis erepta, non tamen ripæ applicabatur, ſed in proximum vadum illiditur.

Trahi extra ſidera, & ſolem, cogique adire quæ mortalium oculis natura ſubduxerat (querebantur.)

Quod præmium ipſos manere? caliginem ac tenebras, & perpetuam noctem profundo incubantem, repletum immanium belluarum gregibus fretum, immobiles undas, in quibus emoriens natura defecerit.

Omnis multitudo, & maxime militaris, mobili impetu fertur. Ita ſeditionis non remedia, quam principia majora ſunt.

Non

Non alias tam alacer clamor ab exercitu rec-tus eſt, jubentium, duceret Diis ſecundis, & æq[illegible]-ret gloria quos æmularetur.

Sub radicibus montis caſtra poſuit, lateque ignes, ut ſpeciem multitudinis augeret, oſtendit; clamore quoque, ac ſui moris ululatu, identidem acquieſcentes Macedonas fruſtra terrere conatus.

Perventum deinde eſt ad oppidum Oxydracarum, in quod plerique confugerant, haud majore fiducia mœnium, quam armorum.

CAP. V.

Jamque lævam, qua clypeum ad ictus circumferebat, laſſaverat.

Ille rem auſus incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriæ, inſignem.

Sed forte ita libraverat corpus, ut ſe pedibus exciperet. Itaque ſtans init pugnam, & ne circuiri poſſet, fortuna providerat. Vetuſta arbor, haud procul muro ramos multa fronde veſtitos, velut de induſtria Regem protegentes, objecerat. Hujus ſpatioſo ſtipiti corpus, ne circuiri poſſet, applicuit, clypeo tela, quæ ex adverſo ingerebantur, excipiens.

Jam continuo labore gravia genua ſuccide-rant.

Quo vulnere afflictus, magna vi ſanguinis emicante, remiſit arma moribundo ſimilis, adeoque reſolutus, ut ne ad vellendum quidem telum ſufficeret dextra.

Vltimi dedecoris indignitate commotus, linquen-

Gentem revocavit animum, & nudum hoſtis latus ſubjecto mucrone hauſit.

Poſteaquam ad connitendum nihil ſupererat virium, dextera impendentes ramos complexus, tentabat aſſurgere.

Multis adverſo corpore vulneribus acceptis, egregiaque edita pugna cecidit.

Internecione hoſtium, juſtæ iræ parentatum eſt.

Tanta componentium vetuſta rerum monumenta, vel ſecuritas, vel par huic vitium, credulitas fuit.

Corpore deinde nudato, animadvertunt hamos ineſſe telo, nec aliter id ſine pernicie corpori extrahi poſſe, quam ut ſecando vulnus augerent.

Ingens vis ſanguinis manare cœpit, linquique animo Rex, & caligine oculis offuſa, veluti moribundus extendi.

Tandem conſtitit ſanguis, paulatimque animum recepit, & circumſtantes cœpit agnoſcere.

CAP. VI.

QVantalibet vis omnium gentium conſpiret in nos, impleat armis viriſque totum orbem, claſſibus maria conſternat, inuſitatas belluas inducat, tu nos præſtabis invictos. Sed quis Deorum hoc Macedoniæ columen ac ſidus diuturnum fore polliceri poteſt? cum tam avide manifeſtis periculis offeras corpus, oblitus tot civium animas trahere te in caſum? Quis enim tibi ſuperſtes aut optat eſſe, aut poteſt?

Cito gloria obſoleſcit in ſordidis hoſtibus.

Eadem fere Ptolemæus, & ſimilia iis cæteri. Jamque confuſis vocibus flentes eum orabant, ut tandem

tandem exſatiatæ laudi modum faceret, ac ſal[illegible] ſuæ, id eſt, publicæ, parceret.

Singulos familiares amplexus, conſidere jubet, altiusq; ſermone repetito: Vobis quidem, inquit, o fidiſſimi piiſſimique civium, atque amicorum, grates ago, habeoque, non ſolum eo nomine, quod hodie ſalutem meam veſtræ præponitis, ſed quod a primordiis belli, nullum erga me benevolentiæ pignus atque indicium omiſiſtis.

Ego qui non annos meos, ſed victorias numero, ſi munera fortunæ bene computo, diu vixi.

Ego vero non deero, & ubicunque pugnabo, in theatro terrarum orbis eſſe me credam.

In his operibus extingui, mihi (ſi fors ita feret) pulchrum eſt. Ea ſtirpe ſum genitus, ut multam prius, quam longam vitam debeam optare.

Vos modo me ab inteſtina fraude, & domeſticorum inſidiis præſtate ſecurum. Belli, Martisque diſcrimen impavidus ſubibo. Philippus in acie tutior quam in theatro fuit. Hoſtium manus ſæpe vitavit, ſuorum effugere non valuit. Aliorum quoque Regum exitus ſi reputaveritis, plures a ſuis, quam ab hoſte interemtos numerabitis.

Hoc ſi licuerit, ipſe præſtabo. Si me præceperit fatum, vobis mandaſſe mementote.

CAP. VII.

GRæci milites, incertum ob quam cauſam, lymphatis ſimiles, ad arma diſcurrunt.

Omnes curru vehebantur, eximia magnitudine corporum, decoro habitu, lineæ veſtes, intextæ auro, purpuraque diſtinctæ.

Centum aurei lecti modicis intervallis poſiti erant.

[I]unt. Lectos circumdederant aulæa, purpura auroque fulgentia, quicquid aut apud Perſas vetere luxu, aut apud Macedonas nova immutatione corruptum erat, confuſis utriusque gentis vitiis, in illo convivio oſtendens.

Invidi malignique increpabant per ſeria & ludum, ſaginati corporis ſequi inutilem belluam, cum ipſi prælium inirent, oleo madentem præparare ventrem epulis.

Jam temulentus exprobrare ei cœpit, & poſtulare, ut ſi vir eſſet, poſtero die ſecum ferro decerneret.

Quia deterrere non poterat, deſtinata exequi paſſus eſt.

Ea ipſa res omnium animos exſpectatione ſuſpenderat: quippe cum armato congredi nudum, dementia, non temeritas videbatur.

Quem occupatum complexu, pedibus repente ſubductis, arietavit in terram; ereptoque gladio, pedem ſuper cervicem jacentis impoſuit, ſtipitem intentans, eliſurusque eo victum, ni prohibitus eſſet a Rege.

Sæpe minus eſt conſtantiæ in rubore, quam in culpa.

CAP. VIII.

LEones raræ magnitudinis, & tigres, utrumque animal ad manſuetudinem domitum,

Lacertarum ingentium pelles, & dorſa teſtudinum.

Qui in agris erant proximi flumini (frequentes autem vicos maxime in ripa habebant) ut videre totum amnem, qua proſpici poterat, navigiis conſtratum, & tot militum arma fulgentia, territi

riti nova facie, Deorum exercitum, & alium Liberum Patrem, celebre in illis gentibus nomen, adventare credebant.

Hanc Alexander tertio die, quam cœperat obſidere, expugnavit.

Validiſſimam gentis urbem cuniculo cepit.

Ptolemæus lævo humero leviter quidem ſaucius, ſed majore periculo quam vulnere affectus, Regis ſolicitudinem in ſe converterat.

In lectum ut ſe recepit, protinus altior inſecutus eſt ſomnus.

Ducibus ſumtis amnis peritis, defluxit ad Inſulam, medio ferme alveo enatam.

CAP. IX.

PAucos navigio emiſit in ripam, qui agreſtes vagos exciperent, e quibus certiora noſci poſſe ſperabat.

Tertio jam die mixtum flumini ſubibat mare, leni adhuc æſtu confundente diſpares undas.

Tertia ferme hora erat, cum ſtata vice Oceanus exæſtuans invehi cœpit, & retro flumen urgere. Quod primo coërcitum, deinde vehementius pulſum, majore impetu adverſum agebatur, quam torrentia præcipiti alveo incurrunt.

Sed in tumultu feſtinatio quoque tarda eſt.

Quidam enavigare properantes, ſed non exſpectatis qui ſimul eſſe debebant, clauda & inhabilia navigia languide moliebantur.

Clamor hinc exſpectare, hinc ire jubentium, diſſonæque voces, nusquam idem ac unum tendentium, non oculorum modo uſum, ſed etiam aurium abſtulerant.

Incu-

Incutiebantur puppibus proræ, premebantur ſequentibus, qui antecedentes turbaverant.

Reciprocare cœpit mare, magno tractu aquis in ſuum fretum recurrentibus; reddebatque terras paulo ante profundo ſalo merſas.

Belluæ quoque fluctibus deſtitutæ, terribiles vagabantur.

CAP. X.

Scabies corpora invaſit: & contagium morbi, etiam in alios vulgatum eſt.

Ipſa ſolitudo, natura quoque immitia efferavit ingenia. Prominent ungues nunquam reciſi; comæ hirſutæ & intonſæ ſunt. Tuguria conchis & cæteris purgamentis maris ſtruunt. Ferarum pellibus tecti, piſcibus ſole duratis, & majorum quoque belluarum, quas fluctus ejicit, carne veſcuntur.

Illi relicti, Deos teſtes, ſacra communia, Regisque implorabant opem; cumque fruſtra ſurdas aures fatigarent, in rabiem deſperatione verſi, parem ſuo exitum, ſimilesque ipſis amicos & contubernales precabantur.

Sed fortuna, quæ rebus famam pretiumq; conſtituit, hic quoq; militiæ probrum vertit in gloriam.

LIBER X.

CAP. I.

VIrgines, & principes fœminarum ſtupra perpeſſæ, corporum ludibria deflebant.

Recidit ira, in iræ miniſtros, nec ulla potentia ſcelere quæſita, poteſt eſſe diuturna.

Spadoni, qui Alexandrum obſequio corporis devinxerat ſibi, nullum honorem habuit.

Spado potentiam flagitio & dedecore quæſitam, in caput nobiliſſimi & inſontis exercuit.

Importuniſſimum ſcortum, ne in ſtupro quidem & dedecoris patientia fraudis oblitum, quoties amorem Regis in ſe accenderet, Orſinem, modo avaritiæ, interdum etiam defectionis, arguebat.

Hinc Bagoas, hinc ab eo ſubornati, falſis criminibus occupant aures.

Cœperat eſſe præceps ad repræſentanda ſupplicia; idem, ad deteriora credenda. Sic ſcilicet res ſecundæ valent commutare naturam, & raro quisquam erga bona ſua ſatis cautus eſt.

CAP. II.

SAtis gnarus, profeſſioni pudorem, non contumaciam obſtare.

Nec aut Præfectorum caſtigatione, aut verecundia Regis deterriti, tumultuoſo clamore & militari violentia, volentem loqui inhibebant.

Quid hæc repens conſternatio, & tam procax atque effuſa licentia denunciat?

Omnem hercule ſpem, quam ex vobis conceperam, damno, nec ut cum militibus meis, (jam enim eſſe deſtitiſtis) ſed ut cum ingratiſſimis oportet, agere decrevi.

Digni hercule qui in hoc ſtatu conſeneſcatis; quoniam facilius eſt vobis adverſam quam ſecundam regere fortunam.

Neminem teneo: liberate oculos meos, ingratiſſimi cives.

Deſilivit deinde frendens de tribunali, & in medium armatorum agmen ſe immiſit; notatos quoque qui ferociſſime oblocuti erant, ſingulos manu corripuit.

CAP.

CAP. III.

QVis crederet ſævam paulo ante concionem obtorpuiſſe ſubito metu?

Itaque ſive nominis, quod gentes quæ ſub Regibus ſunt, inter Deos colunt, ſive propria ipſius veneratio, ſive fiducia tanta vi exercentis imperium, conterruit eos. Singulare certe ediderunt patientiæ exemplum.

Lugubrem totis caſtris edidere clamorem, denuntiantes, protinus eſſe morituros, ſi Rex perſeveraret iraſci.

Luxu omnia fluere credideram, & nimia felicitate mergi in voluptates.

Hoc ego non nunc primũ profiteor, ſed olim ſcio.

Ejuſdem juris eſſe debent, qui ſub eodem Rege victuri ſunt.

CAP. IV.

POſtquam ipſorum ejulatum, atque pœnitentiam, nec non miſerandum atque afflictum habitum vidiſſet, diu quoque collacrymatus eſt.

Spectacula denuo & ſolennes indixit dies.

Super amici corpus exanime ejulans procubuit, vixque inde ab amicis abſtractus eſt. Diem atque noctem luctum continuavit.

Ibi nondum Herculis ſcypho epoto, repente, velut telo confixus ingemuit. Elatus e convivio ſemianimis, tanto dolore cruciatus eſt, ut ferrum in remedia poſceret.

CAP. V.

SVprema hæc vox fuit Regis, & paulo poſt extinguitur. Ac primo ploratu, lamentisque, & planctibus tota regia perſonabat. Mox velut in vaſta ſolitudine, omnia triſti ſilentio muta torpe-

bant; ad cogitationes, quid deinde futurum eſſe, dolore converſo.

Novis vulneribus, veteres rumpendæ cicatrices.

Has cogitationes volventibus, nox ſupervenit, terroremque auxit.

Ac plerunque vano metu territi, per obſcuras ſemitas, alius alii occurſantes, invicem ſuſpecti, & ſoliciti, ferebantur.

Proprias cauſas doloris, in communi mœſtitia retractabat.

Ad ultimum dolori ſuccumbit, obvolutoque capite aſſidentes genibus ſuis neptem nepotemque averſata, cibo pariter abſtinuit & luce. Quinto, poſtquam mori ſtatuerat, die extincta eſt.

Et hercule juſte æſtimantibus Regem, liquet, bona naturæ ejus fuiſſe, vitia, vel fortunæ, vel ætatis.

Iracundiam & cupidinem vini, ſicut juventa irritaverat, ita ſenectus mitigare potuiſſet.

Vitæ finem eundem illi quem gloriæ fortuna ſtatuit.

CAP. VI.

CÆterum Babylone (inde enim divertit oratio) corporis ejus cuſtodes, in Regiam, principes amicorum, ducesq; copiarum advocavere.

Præco, exceptis qui nominatim citarentur, adire prohibuit. Sed precariū ſpernebatur imperium.

Horum aſpectu rurſus obortæ omnibus lachrymæ, integravere luctum.

Cæterum, quanquam nulla clades huic qua affecti ſumus, par ab iratis Diis excogitari poteſt: tamen magnitudinem rerum, quas egit, intuentibus, credere licet, tantum virum Deos accomōdaſſe rebus humanis; quarum ſorte completa, cito repeterent eum ſuæ ſtirpi.

Illud

Illud ſcire debetis, militarem ſine Duce turbam, corpus eſſe ſine ſpiritu.

Itaque ſuo more haſtis ſcuta quatientes, obſtrepere perſeverabant. Jamque prope ſeditionem pervenerant, Nearcho pervicacius tuente ſententiam.

Ptolemæo quidam, potiores Perdiccæ aſſentiebantur.

Hærebant inter cupiditatem, pudoremque, & quo modeſtius quod appetebat, expectaret, pervicacius oblaturos eſſe credebat.

Si medius fidius Alexander hunc nobis Regem pro ſe reliquiſſet, id ſolum ex his, quæ imperaſſet, non faciendum eſſe cenſerem.

CAP. VII.

JAmque armatorum circa M leagrum frequens globus erat, in ſeditionem ac diſcordiam verſa concione.

Si Alexandro ſimilem quæritis, nunquam reperietis. Si proximum, hic ſolus eſt.

His auditis, concio primo ſilentium, velut juſſa, habuit.

Nullum profundum mare, nullum vaſtum fretum, & proceлloſum, tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utiq; ſi nova & brevi duratura libertate luxuriat.

Nec velle, nec nolle quicquam diu poterant, pœnitebatq; modo conſilii, modo pœnitentiæ ipſius.

CAP. VIII.

REx patiebatur magis quam aſſentiebatur.

In ipſum periculum reciderat, quod inimico paulo ante intenderat.

Triduum fere conſumpſit incerta conſilia volvendo.

Ex comparatione Regis novi, deſiderium excitabatur amiſſi.

Quod ad me attinet, reddere hoc imperium malo, quam exercere civium ſanguine.

Et, ſi nulla alia concordiæ ſpes eſt, oro quæſoq;, eligite potiorem.

Utrumq; agmen mutua ſalutatione facta coit, in perpetuum (ut arbitrabantur) concordia & pace firmata.

CAP. IX.

QVod imperium ſub uno ſtare potuiſſet, dum a pluribus ſuſtinetur, ruit.

Cæterum, ut ad ordinem, a quo me contemplatio publicæ felicitatis averterat, redeam.

Alta diſſimulatione conſilium premebat, ut opprimeret incautum.

Subſtitere præparatis ad dimicandum animis, ſi quis vim inferret.

Tutiſſimum ex præſentibus videbatur, expectare potius quam movere fortunam.

Hoc bellorum civilium Macedonibus & omen & principium fuit.

CAP. X.

FAmam ejus rei (quanquam ab autoribus tradita eſt) vanam fuiſſe comperimus.

Difficile erat eo contentos eſſe, quod obtulerat occaſio: quippe ſordent prima, cum majora quæq; ſperantur.

Tantus eſt vapor ſolis & cœli, quo cuncta velut igne torrentur. Fontes aquarum & rari ſunt, & incolentium fraude celantur.

EXCERPTA
E PLINII SECVNDI
EPISTOLIS.

CVm Curtium fideliter legiſſet Filius, ut paulatim epiſtoliis ſcribendis aſſueſceret, Plinii Epiſtolas ſubjungendas cenſui, quando Ludovico Vivo judice, ab iis exemplar ſcholaſticarum Epiſtolarum, quæ, cum rebus non perinde nitantur, ex ſermone ornatum & condimentum accipiunt, peti poteſt. Sunt in iis acutæ & crebræ ſententiæ, quæ ad Virtutem & Bonam Mentem magnum incitamentum habent, nec deſtituuntur ſonantibus verbis & antiquis. Ad hæc multum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amorisque ineſt. Imprimis vero illa quæ ad Chriſtianos attinet, mire capitur juvenilis animus, quique veteri Eccleſiaſtica hiſtoria initiatur: ſenſum enim & aculeum relinquit; ac erga Martyres venerationem, erga Deum pietatem promovet. Fuit hæc Sanctis Patribus quoque magno in pretio, unde veriſimile ſit, ipſos reliquarum etiam lectionem juventuti commendaſſe. Quia ex omnibus iis quæ legimus, optima quæque excerpere oportet, ut ediſcantur, neque circa hunc Autorem id fuerat negligendum.

LIBER I.

Epiſt. 1.

VT quæque Epiſtola in manus venerat. Supereſt, ut nec te conſilii, nec me pœniteat obſequii.

Ita fiet, ut eas Epiſtolas, quæ adhuc neglectæ jacent, requiram.

Epiſt. 2.

HVnc librum rogo, ex conſuetudine tua & legas, & emendes: eo magis, quod nihil ante peræque eodem ζήλῳ mihi ſcripſiſſe videor.

Vim tantorum virorum, pauci, quos æquus amavit, aſſequi poſſunt.

Si modo tu, fortaſſe, errori noſtro album calculum adjeceris.

Libelli quos emiſimus, dicuntur in manibus eſſe, quamvis jam gratiam novitatis exuerint.

Sed ſane blandiantur, dum per hoc mendacium nobis ſtudia noſtra commendent.

Epiſt. 3.

QVin tu, (tempus eſt enim) humiles & ſordidas curas aliis mandas? & ipſe te in alto iſto pinguique ſeceſſu ſtudiis adſeris? hoc ſit negotium tuum, hoc otium, hic labor, hæc quies: in his

 vigilia,

vigilia, in his etiam ſomnus reponatur. Effinge aliquid, & excude, quod ſit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum tuarum, poſt te alium atque alium dominum ſortientur: hoc nunquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel cœperit.

Epiſt. 4.

SOlicitius & intentius tui me, quam mei, excipiunt.

Me ſecure ac prope negligenter expectant.

Mitium Dominorum apud ſervos, ipſa conſuetudine metus exoleſcit.

Epiſt. 5.

HÆc me dolenter tuliſſe credebat.

Non poſſum dicere, aliud tunc mihi quam Deos adfuiſſe.

Addit preces ſuas, ut decebat optimum virum, pro diſſimillimo, parce.

Facturus quicquid ille decreverit, illum enim eſſe hujus conſilii ducem, me comitem, decet.

Stultiſſimum credo, ad imitandum non optima quæque proponere.

Gratia malorum tam infida eſt, quam ipſi.

Vir eſt gravis, prudens, multis experimentis eruditus, & qui futura poſſit ex præteritis providere: mihi & tentandi aliquid, & quieſcendi, illo auctore ratio conſtabit.

Æquum erat, te pro amore mutuo, non ſolum omnia mea facta dictaque, verum etiam conſilia cognoſcere.

Epiſt. 6.

RIdebis, & licet rideas.

Erant in proximo, non venabulum aut lancea, ſed ſtylus & pugillares: meditabar aliquid

enota-

enotabamque, ut ſi manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem.

Mirum eſt, ut animus agitatione motuque corporis excitetur. Jam, undique ſylvæ, & ſolitudo, ipſumque illud ſilentium quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt.

Experieris, non Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare.

Epiſt. 7.

TEnebo ergo hoc temperamentum, ut ex duobus, quorum alterum petis, eligam id potius, in quo non ſolùm ſtudio tuo, verum etiam judicio ſatisfaciam. Neque enim tantopere mihi conſiderandum eſt, quid vir optimus in præſentia velis, quam quid ſemper ſis probaturus.

Pæne præterii, quod minime prætereundum fuit.

Epiſt. 8.

PEropportune mihi redditæ ſunt literæ tuæ.

Addidiſti ergo calcaria ſponte currenti.

Anceps hic & lubricus locus eſt, etiam cum illi neceſſitas lenocinatur.

Si alienæ quoque laudes, parum æquis auribus accipi ſolent, quam difficile eſt, obtinere, ne moleſta videatur oratio, de ſe, aut de ſuis diſſerentis?

Ea demum recte facta, minus detorquemus & carpimus, quæ in obſcuritate & ſilentio reponuntur.

Ad illam, non impetu quodam, ſed conſilio trahebamur.

Vt aliquis libenter educationis tædium laborem-

remque ſuſcipiat, non præmiis modo, verum etiam exquiſitis adhortationibus impetrandum eſt.

Medici, ſalubres, ſed voluptate carentes cibos, blandioribus alloquiis proſequuntur.

Majore animo, honeſtatis fructus in conſcientia, quam in fama reponuntur.

Ii, qui benefacta ſua verbis adornant, non ideo prædicare quia fecerint, ſed ut prædicarent feciſſe creduntur.

Plebem limine Curiæ, parietibusque diſcreverim.

Habes cunctationis meæ cauſas: obſequar tamen conſilio tuo, cujus mihi autoritas pro ratione ſufficit.

Epiſt. 9.

Mirum eſt, quam ſingulis diebus, in urbe, ratio aut conſtet, aut conſtare videatur.

Corpori vaco, cujus fulturis animus ſuſtinetur.

Nihil audio quod audiſſe, nihil dico, quod dixiſſe pœniteat: nemo apud me quenquam ſiniſtris ſermonibus carpit: neminem ipſe reprehendo, niſi unum me, cum parum commode ſcribo. Nulla ſpe, nullo timore ſolicitor, nullis rumoribus inquietor.

O rectam ſinceramque vitam! O dulce otium honeſtumque, ac pene omni negotio pulcrius!

Proinde tu quoque, ſtrepitum iſtum, inanemque diſcurſum, & multum ineptos labores, ut primum fuerit occaſio, relinque, teque ſtudiis, vel otio trade. Satius eſt enim, ut Attilius noſter, eruditiſſime ſimul, & facetiſſime dixit, otioſum eſſe, quam nihil agere.

Epiſt. 10.

A Mari ab eo laboravi, etſi non erat laborandum, eſt enim obvius & expoſitus, plenusq; humanitate, quam præcipit.

Vt de pictore, ſculptore, niſi artifex judicare, ita niſi ſapiens, non poteſt perſpicere ſapientem.

Sermo eſt copioſus & varius: dulcis imprimis, & qui repugnantes quoque ducat & impellat. Ad hæc, proceritas corporis, decora facies, demiſſus capillus, ingens & cana barba: quæ, licet fortuita & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt.

Nullus horror in cultu, nulla triſtitia, multum ſeveritatis: reverearis occurſum, non reformides. Vitæ ſanctitas ſumma, comitas par; inſectatur vitia, non homines: nec caſtigat errantes, ſed emendat.

Diſtringor officio, ut maximo, ſic moleſtiſſimo, Scribo plurimas, ſed illiteratiſſimas literas.

Affirmat eſſe hanc Philoſophiæ, & quidem pulcherrimam partem; agere negotium publicum, cognoſcere, judicare, promere & exercere juſtitiam; quæque ipſi doceant, in uſu habere.

Hortor, cum in urbem proxime veneris (venias autem ob hoc maturius) illi te expoliendum limandumque permittas. Neque enim ego, ut multi, invideo aliis bonum, quo ipſe careo: ſed contra ſenſum quendam voluptatemq; percipio, ſi ea quæ mihi denegantur, amicis video ſupereſſe.

Epiſt. 11.

OLim nullas mihi epiſtolas mittis.

Vel ſolum illud unde incipere priores ſolebant,

lebant. Si vales bene eſt, ego valeo; hoc mihi ſufficit, eſt enim maximum.

Fac ſciam, quid agas, quod ſine ſolicitudine ſumma neſcire non poſſum.

Epiſt. 12.

EST enim luctuoſiſſimum genus mortis, quæ non ex natura nec fatalis videtur; nam utcunque in illis qui morbo finiuntur, magnum ex ipſa neceſſitate ſolatium eſt: in iis vero quos accerſita mors aufert, hic inſanabilis dolor eſt, quod creduntur potuiſſe diu vivere.

Summa ratio, quæ Sapientibus pro neceſſitate eſt, ad hoc conſilium compulit.

Tam longa, tam iniqua valetudine conflictabatur, ut hæc tanta pretia vivendi, mortis rationibus vincerentur.

Plerunque morbi quoq; per ſucceſſiones quasdam, ut alia, traduntur.

Jam enim dolor non pedibus ſolis, ut prius, inſidebat, ſed omnia membra pervagabatur.

Affuit tamen Deus voto: cujus ille compos, multa illa vitæ retinacula abrupit.

Doleo autem, licet me imbecillem putes, meo nomine; amiſi enim, amiſi vitæ meæ teſtem, rectorem, magiſtrum.

Adhibe ſolatia mihi: non hæc, ſenex erat, infirmus erat, (hæc enim novi) ſed nova aliqua, ſed magna, quæ audierim nunquam, legerim nunquam. Nam, quæ audivi, quæ legi, ſponte ſuccurrunt, ſed tanto dolore ſuperantur.

Epiſt. 13.

JUvat me, quod vigent ſtudia, proferunt ſe ingenia hominum, & oſtentant.

Tum

Tum demum, ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt, nec tamen permanent, ſed ante finem recedunt, alii diſſimulanter & furtim, alii ſimpliciter & libere.

Subitus recitanti inopinatusque venit.

His ex cauſis longius quam deſtinaveram, tempus in urbe conſumpſi.

Perit gratia, ſi repoſcatur.

Epiſt. 14.

NIhil eſt quod a te mandari mihi aut majus aut gratius, nihil quod honeſtius a me ſuſci pi poſſit.

Honeſtam quietem huic noſtræ, ambitioni dicam, an dignitati? conſtantiſſime prætulit.

Eſt illi facies liberalis, multo ſanguine, multo rubore ſuffuſa: eſt ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam Senatorius decor. Quæ ego nequaquam arbitror negligenda: debet enim hoc caſtitati puellarum quaſi præmium dari.

Cum publicos mores, atque etiam leges civitatis intueor, quæ vel imprimis cenſus hominum ſpectandos arbitrantur, ne id quidem prætereundum videtur.

Tu fortaſſe me putes indulſiſſe amori meo, ſupraque iſta quam res patitur, ſuſtuliſſe. At ego fide mea ſpondeo, futurum, ut omnia longe ampliora, quam a me prædicantur, invenias.

Diligo quidem adoleſcentem ardentiſſime, ſicut meretur: ſed hoc ipſum amantis eſt, non onerare eum laudibus.

Epiſt. 15.

HEus tu, promittis ad cœnam, nec venis, dicitur jus; ad aſſem impendium reddes, nec id modicum. Potes

Potes apparatius cœnare apud multos, nusquam hilarius, ſimplicius, incautius: in ſumma, experire.

Epiſt. 16.

AMabam Saturninum, hunc dico noſtrum, laudabamq; ejus ingenium, etiam antequam ſcirem, quam varium, quam flexibile, quam multiplex eſſet; nunc vero totum me tenet, habet, poſſidetque. Audivi cauſas agentem acriter & ardenter, nec minus polite & ornate, ſive meditata, ſive ſubita proferret. Adſunt acutæ crebræque ſententiæ, gravis & decora conſtructio, ſonantia verba & antiqua.

In Concionibus eadem quæ in orationibus vis eſt: preſſior tamen, & circumſcriptior, & adductior.

Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris inſerit.

Neque enim debet operibus ejus obeſſe, quod vivit. An ſi inter eos quos nunquam vidimus floruiſſet, non ſolum Libros ejus, verum etiam imagines conquireremus, ejusdem nunc honor præſentis, & gratia, quaſi ſatietate langueſcet?

At hoc pravum, malignumque eſt, non admirari hominem admiratione digniſſimum, quia videre, alloqui, audire, complecti; nec laudare tantum, verum etiam amare contingit.

Epiſt. 17.

EST adhuc curæ hominibus fides & officium, ſunt, qui defunctorum quoque amicos agant.

Pulchrum, & magna laude dignum, amicitia Principis in hoc uti, quantumque gratia valeas, aliorum honoribus experiri.

Scias

Scias ipſum pluribus virtutibus abundare, qui alienas ſic amat.

Neque enim magis decorum & inſigne eſt, ſtatuã in foro Populi Romani habere, quam ponere.

Epiſt. 18.

SCribis te perterritum ſomnio, vereri an quid diverſi in actione patiaris.

Refert tamen, eventura ſoleas an contraria ſomniare.

Quæ ſingula excutere mentem mihi, poſt tam triſte ſomnium poterant. Egi tamen λογισάμενος illud:

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνασθαι περὶ πάτρης.

Si tutius putas, illud cautiſſimi cujusque præceptum, quod dubitas ne feceris, id ipſum reſcribe. Ego aliquam ſtropham inveniam, agamq; cauſam tuam.

Epiſt. 19.

MUniceps tu meus, & condiſcipulus, & ab ineunte ætate contubernalis. Pater tuus & matri & avunculo meo, mihi etiam, quantum ætatis diverſitas paſſa eſt, familiaris.

Te memorem hujus muneris, amicitiæ noſtræ diuturnitas ſpondet.

Solicitius cuſtodiendus eſt honor, in quo etiam beneficium amici tuendum eſt.

Epiſt. 20.

PRævaricatio eſt tranſire dicenda: prævaricatio etiam, curſim & breviter attingere, quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda. Nam plerisque longiore tractu vis quædam & pondus accedit.

cedit. Vtque corpori ferrum, ſic oratio animo, non ictu magis quam mora imprimitur.

Et hercule, ut aliæ bonæ res, ita bonus liber melior eſt quisque quo major.

Eſt in diſputando incomprehéſibilis & lubricus.

Ego contra puto.

Scio nonnullis ita videri: ſed ego (forſitan fallor) perſuaſum habeo, poſſe fieri.

Aliud alios movet: ac plerunque parvæ res, maximas trahunt. Varia ſunt hominum judicia, variæ voluntates; inde qui eandem cauſam ſimul audierunt, ſæpe diverſum, interdum idem, ſed ex diverſis animi motibus ſentiunt.

Tu omnia, quæ ſunt in cauſa, putas exequenda: ego jugulum ſtatim video, hunc premo.

Poteſt fieri, ut genu eſſet, aut tibia, aut talus, ubi ille jugulum putaret.

Πάντα λίθον κινῶ. Vtque in cultra agri, non vineas tantum, verum etiam campos curo, & exerceo; utque in ipſis campis non far, aut ſiliginem ſolam, ſed hordeum, fabam, cæteraque legumina ſero; ſic in actione plura quaſi ſemina latius ſpargo, ut quæ provenerint colligam. Neque enim minus imperſpicua, incerta, fallaciaque ſunt judicum ingenia, quam tempeſtatum, terrarumque.

Delectare, perſuadere, copiam dicendi, ſpatiumque deſiderant; relinquere vero aculeum in audientium animis, is demum poteſt, qui non pungit, ſed infigit.

Non enim amputata oratio, & abſciſſa, ſed lata & magnifica, & excelſa, tonat, fulgurat, omnia denique perturbat & miſcet.

Non minus non ſervat modum; qui infra rem,

quam

quam qui ſupra; qui adſtrictius, quam qui effuſius dicit.

Si detur electio, illam orationem, ſimilem nivibus hibernis, id eſt crebram, aſſiduam & largam, poſtremo divinam, & cœleſtem volo.

Hæc eſt adhuc ſententia mea, quam mutabo, ſi diſſenſeris tu: ſed plane cur diſſentias, explices rogo. Quamvis enim cedere autoritati tuæ debeam, rectius tamen arbitror, in tanta re, ratione, quam auctoritate ſuperari.

Epiſt. 21.

VT animi tui judicio, ſic oculorum, plurimum tribuo.

Epiſt. 22.

DIu jam in urbe hæreo, & quidem attonitus. Perturbat me longa & pertinax valetudo Ariſtonis, quem ſingulariter & miror, & diligo. Nihil eſt enim illo gravius, ſanctius, doctius: ut mihi non unus homo, ſed literæ ipſæ, omneſque bonæ artes in uno homine ſummum periculum adire videantur.

Nihil eſt, quod diſcere velis, quod ille docere non poſſit. Mihi certe, quoties aliquid abditum quæro, ille theſaurus eſt.

Soleo ipſum cubiculum ejus, ipſumque lectum, ut imaginem quandã priſcæ frugalitatis aſpicere.

Ornat hæc magnitudo animi, quæ nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam refert, recteque facti, non ex populi ſermone mercedem, ſed ex facto petit.

Nemini iſtorum caſtitate, pietate, juſtitia, fortitudine, etiam primo loco ceſſerit. Mirareris, ſi intereſſes, qua patientia hanc ipſam valetudinem

toleret, ut dolori reſultat, ut ſitim differat, ut incredibilem febrium ardorem, immotus opertusque transmittat.

Medici quidem ſecunda nobis pollicentur. Supereſt, ut promiſſis Deus adnuat, tandemque me hac ſolicitudine exſolvat.

Habes quid timeam, quid optem, quid etiam impoſterum deſtinem: tu, quid egeris, quid agas, quid velis agere, invicem nobis, ſed lætioribus epiſtolis, ſcribe.

Epiſt. 23.

PLurimum refert, quid eſſe Tribunatum putes: inanem umbram, & ſine honore nomen, an poteſtatem ſacroſanctam; & quam in ordinem cogi, ut a nullo, ita ne a ſe quidem deceat.

Epiſt. 24.

MAla emtio ſemper ingrata eſt, eo maxime, quod exprobare ſtultitiam domino videtur.

Scholaſticis ſufficit abunde tantum ſoli, ut relevare caput, reficere oculos, reptare per limitem, unam ſemitam terere, omnesque viticulas ſuas noſſe, & numerare arbuſculas poſſint.

LIBER II.

Epiſt. 1.

LEgit ſcripta de ſe carmina, legit hiſtorias, & poſteritati ſuæ interfuit.

Annum tertium & octogeſimum exceſſit, in altiſſima tranquillitate, pari veneratione.

Per leve & lubricum pavimentum, fallente veſtigio cecidit, coxamque fregit, quæ parum apte collocata, reluctante ætate, male coiit.

Hic

Hic ſupremus felicitati ejus cumulus acceſſit, laudator eloquentiſſimus.

Neceſſe eſt immaturam mortem ejus in ſinu tuo defleam: ſi tamen fas eſt aut flere, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita, quam vita eſt. Vivit enim, vivetq; ſemper, atque etiam latius in memoria hominum & ſermone verſabitur, poſtquam ab oculis receſſit.

Volui tibi multa alia ſcribere, ſed totus animus in hac una contemplatione defixus eſt. Virginium cogito, Virginium video, Virginium vanis imaginibus, recentibus tamen audio, alloquor, teneo. Cui fortaſſe cives aliquos virtutibus pares, & habemus & habebimus: gloria neminem.

Epiſt. 2.

IRaſcor, nec liquet mihi an debeam, ſed iraſcor. Scis quam ſit amor iniquus interdum, impotens ſæpe, μικραίτιος ſemper.

Epiſt. 3.

PRæfationes terſæ, graciles, dulces, graves interdum & erectæ.

Proœmiatur apte, narrat aperte, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelſe; poſtremo docet, delectat, afficit.

Repetit altius, quæ dixit ex tempore, ne verbo quidem labitur, ad tantam ἕξιν ſtudio & exercitatione pervenit.

Quem tu niſi cognoſcere cupis, ſaxeus ferreusque es.

Nunquamne legiſti Gaditanum quendam, Titi Livii nomine gloriaq; commotum, ad viſendum

dum eum ab ultimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimque ut viderat abiiſſe.

Ἀφιλόκαλον, illiteratum, iners, ac pene etiam turpe eſt.

Multo magis, ut vulgo dicitur, viva vox afficit. Nam licet acriora ſint quæ legas, altius tamen in animo ſedent, quæ pronunciatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis affigit. Niſi vero falſum putamus illud Æſchinis, qui cum legiſſet Rhodiis orationem Demoſthenis, admirantibus cunctis adjeciſſe fertur, τί δὲ εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου ἀκηκόειτε;

Epiſt. 4.

QVod ceſſat ex reditu, frugalitate ſuppletur; ex qua, velut e fonte, liberalitas noſtra decurrit, quæ tamen ita temperanda eſt, ne nimia profuſione inareſcat.

Epiſt. 5.

NIhil adhuc inter manus habui, cui majorem ſolicitudinem præſtare deberem.

Et in ratione conviviorum, quamvis a plerisque cibis ſinguli temperemus, totam tamen cœnam laudare omnes ſolemus: nec ea quæ ſtomachus noſter recuſat, adimunt gratiam illis a quibus capitur. Atque hæc ego ſic accipi volo, non tanquam aſſequutum eſſe me credam, ſed tanquam aſſequi laboraverim.

Longius me provexit dulcedo quædam tecum loquendi. Sed jam finem faciam, ne modum quem etiam orationi adhibendum puto, in epiſtola excedam.

Epiſt. 6.

MEmento nihil magis eſſe vitandum, quam iſtam luxuriæ & ſordium novam ſocietatem,

tem, quæ cum ſint turpiſſima, diſcreta ac ſeparata; turpius junguntur.

Epiſt. 7.

VEſtricio triumphalis ſtatua decreta eſt, non ita ut multis, qui nunquam in acie ſteterunt, nunquam caſtra viderunt, nunquam denique tubarum ſonum, niſi in ſpectaculis audierunt: verum, ut illis, qui decus iſtud, ſudore, & ſanguine & factis aſſequebantur.

Oſtentato bello, ferociſſimam gentem (quod eſt pulcherrimum victoriæ genus) terrore perdomuit.

Cujus graviſſimo vulneri, magno aliquo fomento medendum fuit.

Tam clarum ſpecimen indolis dederat, ut vita ejus brevis & anguſta, debuerit hac veluti immortalitate proferri.

Quo quidem honore, quantum ego interpretor, non modo defuncti memoriæ, & dolori patris, verum etiam exemplo proſpectum eſt. Acuent ad bonas artes juventutem, adoleſcentibus quoque, (digni ſint modo) tanta præmia conſtituta. Acuent principes viros, ad liberos ſuſcipiendos, & gaudia ex ſuperſtitibus, & ex amiſſis tam glorioſa ſolatia.

Amavi conſummatiſſimum juvenem tam ardenter, quam nunc impatienter requiro.

Erit ergo pergratum mihi hanc effigiem ejus ſubinde intueri, ſubinde reſpicere, ſub hac conſiſtere, præter hanc commeare.

Etenim ſi defunctorum imagines domi poſitæ, dolorem noſtrum levant, quanto magis eæ, quibus in celeberrimo loco, non modo ſpecies & vul-

tus illorum, ſed honor etiam & gloria refertur?

Epiſt. 8.

VEteribus negotiis nova accreſcunt, nec tamen priora peraguntur: tot nexibus, tot quaſi catenis, majus indies occupationum agmen extenditur.

Epiſt. 9.

MEus pudor, mea exiſtimatio, mea dignitas, in diſcrimen adducitur.

Quo nihil ſimplicius, nihil candidius, nihil fidelius novi. Omnes me certatim, & tamen æqualiter amant.

Prenſo amicos, ſupplico, ambio domos, ſtationesque circumeo: quantumq; vel autoritate, vel gratia valeam, precibus experior. Te quoque obſecro, ut aliquam oneris mei partem ſuſcipere tanti putes. Reddam vicem ſi repoſces, reddam, & ſi non repoſces.

Epiſt. 10.

HOminem te patientem, vel potius durum ac pene crudelem, qui tam inſignes libros tamdiu teneas! quousque & tibi & nobis invidebis? tibi, maximam laudem, nobis voluptatem? Sine per ora hominum ferantur, iisdemq; quibus Romana lingua ſpatiis pervagentur.

Diſpice, ne ſit parum providum, ſperare ex aliis, quod tibi ipſe non præſtes.

Hoc fructu tanto, tam parato, deſine ſtudia tua infinita iſta cunctatione fraudare; quæ, cum modum excedit, verendum eſt, ne inertiæ & deſidiæ, vel etiam timitidatis nomen accipiat.

Epiſt. II.

ACcipe quod per hos dies actum eſt, perſonæ claritate famoſum, ſeveritate exempli ſalubre, rei magnitudine æternum.

Exceſſit Priſcus immanitate & ſævitia, crimina, quibus dari judices poſſunt.

Favor & miſericordia acres & vehementes primos impetus habent, paulatim conſilio & ratione quaſi reſtincta, conſidunt.

Cauſæ amplitudo, auctaque dilatione expectatio & fama, inſitumque mortalibus ſtudium, magna & inuſitata noſcendi, omnes undique exciverat.

Mihi tantum ſtudium, tantam etiam curam (nimium eſt enim dicere ſolicitudinem) præſtitit, ut ſæpius admoneret, voci laterique conſulerem, cum me vehementius putaret intendi, quam gracilitas mea perpeti poſſet.

Miſſus deinde Senatus, & revocatus in poſterum.

Reſpondit Tacitus eloquentiſſime, & quod eximium orationi ejus ineſt, σεμνῶς.

Hujus actionem veſpera incluſit, non tamen ſic ut abrumperet.

Vir egregius, & pro veritate firmiſſimus.

Eſt alioqui Regulo tam mobile ingenium, ut plurimum audeat, plurimum timeat.

Qui titulus a vita hominis comti ſemper & pumicati, non abhorrebat.

Placuit de eo referri proximo Senatu, tunc enim, caſu incertum an conſcientia, abfuerat.

Habes res urbanas, invicem ruſticas ſcribe.

In ſumma niſi æque longam epiſtolam reddis, non eſt quod poſtea, niſi breviſſimam expectes.

Epiſt. 12.

QVæ ſententia, tanquam mitior vicit, cum ſit alioqui durior triſtiorque?

Quid gravius quam tanta ignominia affectum in ſolitudine non latere, ſed in hac altiſſima ſpecula conſpiciendum ſe, monſtrandumque præbere?

Numerantur ſententiæ, non ponderantur: nec aliud in publico conſilio poteſt fieri, in quo nihil eſt tam inæquale, quam æqualitas ipſa. Nam cum ſit impar prudentia, par omnium jus eſt.

Tuæ nunc partes, ut primum illam, deinde hanc remunereris literis, quales iſtinc redire uberrimæ poſſunt.

Epiſt. 13.

HVnc ego cum ſimul ſtuderemus, arcte familiariterque dilexi. Ille meus in urbe, ille in ſeceſſu contubernalis: cum hoc ſeria, cum hoc jocos miſcui. Quid enim aut illo fidelius amico, aut ſodale jucundius?

Hæc beneficia mea tueri nullo modo melius, quam ut augeam, poſſum.

Epiſt. 14.

VErum opinaris: diſtringor centumviralibus cauſis, quæ me exercent magis, quam delectant: ſunt enim pleræque parvæ & exiles.

Ante memoriam meam (ita majores natu ſolent dicere) magna veneratione pulcherrimum opus colebatur. Nunc, refractis pudoris & reverentiæ clauſtris, omnia patent omnibus, nec inducuntur, ſed irrumpunt.

Scito

Scito eum peſſime dicere, qui laudabitur maxime.

Audiit ex proximo immodicum inſolitumque clamorem, admiratus reticuit; ubi ſilentium factum eſt, repetit quod abruperat: iterum clamor, iterum reticuit, & poſt ſilentium, cœpit idem tertio, noviſſime quis diceret, quæſivit.

Hoc initium eſt gradatim deſinendi.

Epiſt. 15.

NIhil æque gratum eſt adeptis, quam concupiſcentibus.

Habent hunc finem aſſiduæ querelæ, quod queri pudet.

Epiſt. 17.

PEractis quæ peragenda fuerint, ſalvo jam & compoſito die, poſſis ibi manere.

Vtrinque excipit iter aliqua ex parte arenoſum, jumentis paulo gravius & longius, equo breve & molle.

Varia hinc atque inde facies, nam modo occurrentibus ſylvis vi coarctatur, modo latiſſimis pratis diffunditur & pateſcit.

Triclinium in litus excurrit, ac ſi quando Africo mare impulſum eſt, fractis jam & noviſſimis fluctibus leviter alluitur.

Parieti ejus in bibliothecæ ſpeciem armarium inſertum eſt, quod non legendos Libros, ſed lectitandos capit.

Inde balinei cella frigidaria, ſpatioſa & effuſa, cujus in contrariis parietibus duo baptiſteria velut ejecta ſinuantur, abunde capacia, ſi innare in proximo cogites.

Cœna-

Cœnatio, quæ latiſſimum mare, longiſſimum litus, amœniſſimas villas proſpicit. Eſt & alia turris, in hac cubiculum, in quo ſol naſcitur, conditurque.

Hortum morus & ficus frequens veſtit, quarum arborum illa vel maxime ferax eſt terra, malignior cæteris.

Hinc cryptoporticus prope publici operis extenditur.

Ante cryptoporticum xyſtus violis odoratus, teporem Solis infuſi, repercuſſu cryptoporticus auget.

Diverſiſſimos ventos, alium alio latere frangit, & ſinit.

Vmbra, ut dies crevit decrevitque, modo brevior, modo longior hac vel illac cadit.

Ipſa cryptoporticus tum maxime caret ſole, cum ardentiſſimus culmini ejus inſiſtit. Ad hoc patentibus feneſtris favonios accipit transmittitque, nec unquam aëre pigro & manente ingraveſcit.

Junctum eſt cubiculum noctis & ſomni; non maris murmur, non tempeſtatum motus, non fulgurum lumen, ac ne diem quidem ſentit, niſi feneſtris apertis.

Applicitum eſt cubiculo hypocauſtum perexiguum, quod anguſta feneſtra ſuppoſitum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet.

Quocunque loco moveris humum, obvius & paratus humor occurrit, isque ſincerus, ac ne leviter quidem tanta maris vicinitate corruptus.

Litus ornant varietate gratiſſima, nunc continua, nunc intermiſſa tecta villarum, quæ præſtant

ſtant multarum urbium faciem, ſive ipſo mari, ſive litore utare.

Juſtisne de cauſis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere ſeceſſum? quem tu nimis urbanus es, niſi concupiſcis: atque utinam concupiſcas, ut tot tantisque dotibus villulæ noſtræ, maxima commendatio ex tuo contubernio accedat.

Epiſt. 18.

DEbeo tibi, debeo memoriæ fratris tui, hanc fidem, hoc ſtudium, præſertim ſuper tanta re.

Quam curam etiamſi mihi non mandaſſes, vindicaſſem.

Epiſt. 19.

MInus mirum eſt, ſi auditorum intentio relangueſcit, nullis extrinſecus aut blandimentis capta, aut aculeis excitata.

Sed plane adhuc an ſit recitandum, examina tecum, omnesq; quos ego movi in utraque parte calculos pone, idque elige, in quo vicerit ratio. A te enim ratio exigetur. nos excuſabit obſequium.

Epiſt. 20.

COmponit vultum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos, computat, nihil niſi ut diu miſeram expectationem ſuſpendat.

Sacrificium facit, affirmat exta cum ſiderum ſignificatione congruere.

Quouſque miſerum cruciatis? quid invidetis bonam mortem ei, cui dare vitam non poteſtis?

Ἀλλὰ τί διατείνομαι in ea civitate, in qua jampridem non minora præmia, imo majora, nequitia & improbitas, quam pudor & virtus habent?

Hoc improbiſſimum eſt genus falſi.

LIBER

LIBER III.

Epiſt. I.

NEſcio an ullum jucundius tempus exegerim, quam quo nuper apud Spurinnam fui.

Neminem magis in ſenectute, (ſi modo ſeneſcere datum eſt) æmulari velim.

Me ut certus ſiderum curſus, ita vita hominum diſpoſita delectat, ſenum præſertim. Nam juvenes adhuc, confuſa quædam, & quaſi conturbata non indecent: ſenibus placida omnia & ordinata conveniunt.

Hanc regulam Spurinna conſtantiſſime ſervat, quin etiam parva hæc (magna, ſi non quotidie fiant) ordine quodam & velut orbe circumagit.

Ambulat millia paſſuum tria: nec minus animum quam corpus exercet.

Si adſunt amici, honeſtiſſimi ſermones explicantur: ſi non, Liber legitur.

Deinde conſidet, & liber rurſus, aut ſermo libro potior: mox vehiculum aſcendit, aſſumit uxorem ſingularis exempli, vel aliquem amicorum.

Peractis ſeptem millibus paſſuum, iterum ambulat mille, iterum reſidet, vel ſe cubiculo ac ſtylo reddit.

Vbi hora balinei nuntiata eſt, in ſole, ſi caret vento, ambulat nudus, deinde movetur pila vehementer & diu; nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum ſenectute.

Inde illi poſt ſeptimum & ſeptuageſimum annum, aurium oculorumque vigor integer: inde agile & vividum corpus, ſolaq; ex ſenectute prudentia.

Hanc

Hanc ego vitam, voto & cogitatione præſumo, ingreſſurus avidiſſime, ut primum ratio ætatis, receptui canere permiſerit.

Igitur eundem mihi curſum, eundem terminum ſtatuo, idque jam nunc apud te ſubſigno: ut, ſi me longius evehi videris, in jus voces ad hanc epiſtolam meam, & quieſcere jubeas, cum inertiæ crimen effugero.

Epiſt. 2.

QVod ipſe amicis tuis obtuliſſem, ſi mihi eadem materia ſuppeteret, id jure nunc videor a te meis petiturus.

Hujus ego conſilio in negotiis, judicio in ſtudiis utor. Nam plurimum fide, plurimum veritate, plurimum intelligentia præſtat. Amat me, (nihil poſſum ardentius dicere) ut tu.

Epiſt. 3.

PAtrem tuum graviſſimum & ſanctiſſimum virum, ſuſpexerim magis, an amaverim, dubito.

Jam ſtudia ejus extra limen proferenda ſunt, circumſpiciendus rhetor.

Adeſt adoleſcenti noſtro, cum cæteris naturæ fortunæque dotibus, eximia corporis pulchritudo, cui in hoc lubrico ætatis, non præceptor modo, ſed cuſtos etiam, rectorque quærendus eſt.

Vir eſt emendatus & gravis.

Dicendi facultas aperta & expoſita ſtatim cernitur. Vita hominum altos receſſus magnasq; latebras habet.

Nihil ex hoc viro filius tuus audiet, niſi profuturum; nihil diſcet, quod neſciſſe rectius fuerit.

Sæpe ab illo admonebitur, quibus imaginibus oneretur, quæ omina & quanta ſuſtineat.

Epiſt.

Epiſt. 4.

QVamvis & amici, quos præſentes habebam, & ſermones hominum, factum meum comprobaſſe videantur, magni tamen æſtimo ſcire, quid ſentias tu. Nam cujus integra re conſilium exquirere optaſſem, hujus etiam peracta, judicium noſſe, mire concupiſco.

Deſino (inquam) Patres Conſcripti, putare me juſtas excuſationis cauſas attuliſſe. Placuit & modeſtia ſermonis & ratio.

Eſt enim ita comparatum, ut antiquiora beneficia ſubvertas; niſi illa poſterioribus cumules. Nam, quamlibet ſæpe obligaris, ſi quid unum neges, hoc ſolum meminerunt, quod negatum eſt.

Audiſti conſilii mei motus, ſupereſt alterutra ex parte judicium tuum: in quo mihi æque jucunda erit ſimplicitas diſſentientis, quam comprobantis autoritas.

Epiſt. 5.

HOc memoriæ amici quaſi debitum munus exſolvit.

Opus diffuſum, eruditum, nec minus varium quam ipſa natura.

Erat acre ingenium, incredibile ſtudium, ſumma vigilantia. Erat ſomni parciſſimi, nonnunquam etiam inter ſtudia inſtantis & deſerentis.

Poſt cibum ſæpe (quem interdiu levem & facilem Veterum more ſumebat) æſtate, ſi quid otii, jacebat in ſole, liber legebatur: adnotabat, excerpebatque; nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere etiam ſolebat: Nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua parte prodeſſet.

Memi-

Memini quendam ex amicis, cum lector quædam perperam pronunciaſſet, revocaſſe, & repeti coëgiſſe, huic avunculum meum dixiſſe: Intellexeras nempe? Cum ille annuiſſet: cur ergo revocabas? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus: tanta erat parſimonia temporis.

Repeto me correptum ab eo, cur ambularem. Poteras (inquit,) has horas non perdere: nam perire omne tempus arbitrabatur, quod ſtudiis non impertiretur.

Commentarios mihi reliquit opiſtographos quidem, & minutiſſime ſcriptos.

Quis ex iſtis, qui tota vita literis aſſident, collatus illi, non quaſi ſomno & inertiæ deditus erubeſcat?

Epiſt. 6.

FOrtaſſe in omni re, in hac certe, perquam exiguum ſapio.

Effingit ſenem ſtantem, oſſa, muſculi, nervi, venæ, rugæ etiam, ut ſpirantis apparent: rari & cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum; pendent lacerti, papillæ jacent, receſſit venter.

Talia ſunt omnia, ut poſſint artificum oculos tenere, delectare imperitorum.

Hoc me tanquam tirunculum ſolicitavit ad emendum.

Tu ergo, ut ſoles omnia, quæ a me tibi injunguntur, ſuſcipe hanc curam.

Epiſt. 7.

IN Vitellii amicitia ſapienter ſe & comites geſſerat.

Scribebat carmina majore cura, quam ingenio.

Erat φιλόκαλος, usque ad emacitatis reprehenſionem.

In hac tranquillitate annum quintum & ſeptuageſimum exceſſit, delicato magis corpore, quam infirmo.

Hoc me recordantem, fragilitatis humanæ miſeratio ſubit: quid enim tam circumciſum, tam breve, quam hominis vita longiſſima?

Tanto magis hoc quicquid eſt temporis futilis & caduci, ſi non datur factis (nam horum materia in aliena manu) certe ſtudiis proferamus, & quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur.

Scio te ſtimulis non egere: me tamen tui charitas evocat, ut currentem quoque inſtigem, ſicut tu ſoles me: ἀγαθὴ δὲ ἔρις, cum invicem ſe mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt.

Epiſt. 8.

NEque enim eſſe congruens arbitror, quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulos invidere, qui ſunt omnibus honoribus pulchriores.

Epiſt. 9.

HOmo fœdus, & aperte malus.

Ille accuſationem, vel fortuita, vel voluntaria morte, prævertit. Nam fuit mors ejus infamis, ambigua tamen.

Habet quidem gloria, in ſtudiis præſertim, quiddam ἀκοινώνητον: nobis tamen nullum certamen, nulla contentio: cum uterq; pari jugo, non pro ſe, ſed pro cauſa niteretur. Tum

Tum maxime favor & ambitio dominatur, cum ſub aliqua ſpecie ſeveritatis deliteſcere poteſt.

Solet dicere Claudius, vir exercitatus & vigilans, & quamlibet ſubitis paratus, nunquam ſibi tantum caliginis, tantum perturbationis offuſum, quam cum ea præcepta & extorta ſuæ defenſioni cerneret, in quibus omnem fiduciam reponebat.

Si longius eſſet extracta cognitio, ſatietate & tædio quodam, juſtitia cognoſcentium, ſeveritasque langueſceret.

Sicut implicita ſuſpicionibus, ita non ſatis convinci probationibus viſa eſt.

Eodem Senatus Conſulto induſtria, fides, conſtantia noſtra, pleniſſimo teſtimonio comprobata eſt, dignum ſolumque par pretium, tanti laboris.

Fides in præſentia eos quibus reſiſtit, offendit; deinde ab illis ipſis ſuſpicitur, laudaturque.

Succurrit quod præterieram, & quidem ſero: ſed quanquam præpoſtere, reddetur. Facit hoc Homerus, multique illius exemplo: eſt alioqui perdecorum, a me tamen non ideo fiet.

Dari ſibi diem ad diluenda crimina poſtulavit; neutrum impetravit, coactus eſt ſtatim reſpondere: reſpondit. Malum pravumque ingenium hominis facit, ut dubitem, confidenter an conſtanter, certe paratiſſime.

Protexi viros optimos, eosdemq; gratiſſimos: mihi certe debere ſe prædicant, quod illum turbinem evaſerint.

Epiſt. 10.

NEque enim affectibus meis, uno libello, chariſſi-

riſſimam mihi & ſanctiſſimam memoriam proſequi, ſatis eſt.

Vt ſculptorem, ut pictorem, qui filii veſtri imaginem faceret, admoneretis, quid exprimere, quid emendare deberet: ita me quoq; formate, regite, qui non fragilem & caducam, ſed immortalem (ut vos putatis) effigiem, conor efficere: quæ hoc diuturnior erit, quo verior, melior, abſolutior fuerit.

Epiſt. 11.

TOt circa me jactis fulminibus quaſi ambuſtus, mihi quoque impendere idem exitium, certis quibusdam notis augurabar.

Muſonium quantum licitum eſt per ætatem, cum admiratione dilexi.

Arcta familiaritate complexus ſum.

Quæ mihi recordanti, eſt quidem jucundum, quod me cum apud alios, tum apud te, tantis laudibus cumulat; vereor tamen ne modum excedat, quem benignitas ejus non ſolet tenere; nam in hoc uno vir alioqui prudentiſſimus, honeſto quidem, ſed tamen errore verſatur, quod pluris amicos ſuos quam ſunt, arbitratur.

Epiſt. 12.

VEniam ad cœnam, ſed jam nunc paciſcor, ſit expedita, ſit parca.

Noſtræ tamen cœnæ, ut apparatus & impendii, ſic temporis modus conſtet.

Epiſt. 13.

IN cæteris lectorem novitas ipſa intentum habet; in hoc, nota, dicta, vulgata ſunt omnia.

Invenire præclare, enunciare magnifice, interdum

dum etiam barbari ſolent; diſponere apté, figurare varie,niſi eruditis negatum eſt.

Vt in pictura, lumen,non alia res magis, quam umbra commendat; ita orationem tam ſubmittere,quam attollere decet.

Illud annota, quæ putaveris corrigenda: ita enim magis credam cætera tibi placere, ſi quædam diſplicuiſſe cognovero.

Epiſt. 14.

REpente eum ſervi circumſiſtunt, alius fauces invadit,alius os verberat,alius pectus & ventrem, atque etiam (fœdum dictu)verenda contundit.

Ità & vocibus excitatus, & recreatus loci frigore,ſublatis oculis, agitatoque corpore, vivere ſe confitetur.

Non enim judicio,domini,ſed ſcelere perimuntur.

Notabilis,atque etiam ut exitus docuit, ominoſa res accidit.

Epiſt. 15.

ROgas etiam ut aliquid ſubciſivi temporis ſtudiis meis ſubtraham, impertiam tuis.

Confido tamen me non ſic auribus duci, ut omnes aculei judicii mei, illarum delinimentis reſtringantur. Hebetentur fortaſſe & paululum retundantur, revelli quidem extorquerique non poſſunt.

Epiſt. 16.

ÆGrotabat maritus ejus,ægrotabat & filius, uterque mortifere ut videbatur: filius deceſſit eximia pulchritudine, pari verecundia.

Cum diu cohibitæ lacrymæ vincerent, prorumperentque, egrediebatur; tunc ſe dolori dabat

bat: ſatiata, ſiccis oculis, compoſitio vultu redibat, tanquam orbitatem foris reliquiſſet. Præclarum quidem illud, ferrum ſtringere, perfodere pectus, extrahere pugioné, porrigere marito, addere vocem immortalem & pæne divinam: Pæte non dolet.

Nihil agitis, poteſtis enim efficere, ut male moriar, ne moriar, non poteſtis.

Adverſo parieti caput ingenti impetu impegit.

Dixeram vobis, inventuram me quamlibet duram ad mortem viam, ſi vos facilem negaſſetis.

Illud quidem ingens fama, hæc nulla circumfert. Inde colligitur, alia eſſe clariora, alia majora.

Epiſt. 17.

REctene omnia, quod jampridem epiſtolæ tuæ ceſſant? an omnia recte?

Exime hunc mihi ſcrupulum, cui par eſſe non poſſum: exime autem, vel data opera tabellario miſſo: ego viaticum, ego etiam præmium dabo; nunciet modo, quod opto.

Epiſt. 18.

PRæcipere qualis eſſe debeat Princeps, pulchrum quidem, ſed oneroſum ac prope ſuperbum eſt; laudare vero optimum Principem, ac per hoc poſteris velut e ſpecula, lumen quod ſequantur oſtendere, idem utilitatis habet, arrogantiæ nihil.

Quæ preſſius & adſtrictius quam illa, quæ hilarius & quaſi exultantius ſcripſi.

Epiſt. 19.

ASſumo te in conſilium rei familiaris, ut ſoleo. Prædia agris meis vicina, atq; etiam inſerta, venalia ſunt. Vere-

Vereor ne ſit incautum, rem tam magnam, iisdem tempeſtatibus, iisdem caſibus ſubdere, tutius videtur incerta fortunæ, poſſeſſionum varietatibus experiri.

Agri ſunt fertiles, pingues, aquoſi.

Hac penuria colonorum, & communi temporis iniquitate, ut reditus agrorum, ſic etiam pretium retro abiit.

Epiſt. 20.

QVoto cuique eadem honeſtatis cura ſecreto quæ palam? Multi famam, conſcientiam pauci verentur.

Epiſt. 21.

AVdio Martialem deceſſiſſe, & moleſte fero. Erat homo ingenioſus, acutus, acer, & qui plurimum in ſcribendo & ſalis haberet & fellis.

Fuit moris antiqui, eos, qui vel ſingulorum laudes, vel urbium ſcripſerant, aut honoribus, aut pecunia ornare. Noſtris vero temporibus, ut alia ſpecioſa & egregia, ita hoc imprimis exolevit, nam poſtquam deſiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.

Dedit mihi quantum maxime potuit, daturus amplius, ſi potuiſſet: tametſi quid homini poteſt dari majus, quam gloria, & laus, & æternitas? At, non erunt æterna, quæ ſcripſit: non erunt fortaſſe: illa tamen ſcripſit, tanquam eſſent futura.

LIBER IV.

Epiſt. 1.

ERit una ſed brevis mora, deflectemus in Tuſcos; non ut agros remque familiarem oculis ſubjici-

ſubjiciamus, (id enim poſtponi poteſt,) ſed ut fungamur neceſſario officio.

Differre longius irreligioſum eſt.

Epiſt. 2.

NEc dolor erat ille, ſed oſtentatio doloris.

Tenet ſe trans Tiberim in hortis, in quibus latiſſimum ſolum, porticibus immenſis, ripam, ſtatuis ſuis occupavit.

Vnde hoc augurer quæris? non quia affirmat ipſe (quo mendacius nihil eſt,) ſed quia certum eſt, Regulum eſſe facturum, quicquid fieri non oportet.

Epiſt. 3.

QVod ſemel atque iterum Conſul fuiſti, ſimilis antiquis; quod Proconſul Aſiæ, qualis ante te, qualis poſt te, vix unus aut alter, (non ſinit enim me verecundia tua dicere, qualis nemo) quod ſanctitate, quod autoritate, ætate quoque princeps civitatis, eſt quidem venerabile & pulchrum; ego tamen te vel magis in remiſſioribus miror.

Severitatem iſtam pari jucunditate condire, ſummæque gravitati, tantum comitatis adjungere, non minus difficile quam magnum eſt.

Loquenti tibi, illa Homerici Senis mella profluere, & quæ ſcribis, complere apes floribus & innectere videntur.

Hominem Romanum tam Græce loqui! non medius fidius ipſas Athenas tam Atticas dixerim. Quid multa? invideo Græcis, quod illorum lingua ſcribere maluiſti: neque enim conjectura eget, quid ſermone patrio exprimere poſſis, cum hoc inſi-

inſititio & inducto, tam præclara opera perfeceris.

Epiſt. 4.

Calviſium validiſſime diligo; virum induſtrium, rectum, diſertum, quod apud me vel potiſſimum eſt.

Multa beneficia in multos contuliſti: auſim contendere, nullum te melius, æque bene vix unum aut alterum collocaſſe.

Epiſt. 5.

LIbrum ipſum, non tamen ultra cauſæ amplitudinem, extendimus.

Epiſt. 6.

SÆpe tibi dico, ineſſe vim Regulo: mirum eſt quam efficiat, in quod incubuit.

Eligebatur vocaliſſimus aliquis, qui legeret tum populo.

Recta ingenia debilitat verecundia, perverſa, confirmat audacia.

Imbecillum latus, os confuſum, hæſitans lingua, tardiſſima inventio, memoria nulla.

Herennius mirifice Catonis illud de Oratore, in hunc e contrario vertit: Orator eſt vir malus, dicendi imperitus.

Epiſt. 8.

IS honos non adimitur viventi; nam alia, quanquam dignitate propemodum paria, ut tribuuntur, ſic auferuntur: in hoc fortunæ hactenus licet, ut dari poſſit.

Epiſt. 9.

HOmo laborioſus & adverſis ſuis clarus.

Rem manifeſtam inficiari, augentis erat crimen, non diluentis.

Ve

Vt enim faces ignem aſſidua concuſſione cuſtodiunt, dimiſſum ægerrime reparant; ſic dicentis calor, & audientis intentio, continuatione ſervatur; intercapedine & quaſi remiſſione langueſcit.

Veniam dedit facto, vetito quidem, non tamen inuſitato.

Magna hominum frequentia, magno clamore, magno gaudio exceptus eſt.

In procero corpore, mœſta & ſqualida ſenectus.

Epiſt. 10.

COnfido te acceſſurum ſententiæ meæ, cum religioſiſſime ſoleas cuſtodire defunctorum voluntatem, quam bonis heredibus intellexiſſe, pro jure eſt; neque enim minus apud nos honeſtas, quam apud alios neceſſitas valet.

Epiſt. 11.

CVi ſententiæ tantum bilis, tantum amaritudinis ineſt.

Illuſtrari ſeculum ſuum ejusmodi exemplo arbitratur.

Cum ei carnifex manum daret, averſata eſt, & reſiluit, fœdumque contactum noviſſima ſanctitate rejecit.

Summam rerum nunciat fama, non ordinem.

Epiſt. 12.

OMnes qui gloria famaque ducuntur, mirum in modum aſſenſio, & laus, a minoribus etiam profecta, delectat.

Si cognoverit factum ſuum iſto usque penetraſſe, neceſſe eſt laudis ſuæ ſpatio, & curſu, & peregrinatione lætetur.

Epiſt. 13.

SAlvum te in urbem veniſſe gaudeo, veniſti autem, ſi quando alias, nunc maxime mihi deſideratus.

Quod ſum præſens petiturus, hac quaſi præcurſoria epiſtola rogo: ſed prius accipe cauſas rogandi, deinde ipſum quod peto.

Vehementer intererat veſtra, qui patres eſtis, liberos veſtros hic potiſſimum diſcere. Vbi enim aut jucundius morarentur, quam in patria? aut pudicius continerentur, quam ſub oculis parentum? aut minore ſumtu, quam domi?

Hæc putavit altius, & quaſi a fonte repetenda.

Ex copia ſtudioſorum, quæ ad te ex admiratione ingenii tui convenit, circumſpicias præceptores.

Epiſt. 14.

DEſcribimus aliquid, modo altius, modo presſius, atque ipſa varietate tentamus efficere, ut alia aliis, quædam fortaſſe omnibus placeant.

Longiore præfatione, vel excuſare, vel commendare ineptias, ineptiſſimum eſt.

A ſimplicitate tua peto, ut quod de libello meo dicturus es aliis, mihi dicas.

Epiſt. 15.

SI quid omnino, hoc certe judicio facio, quod Rufum ſingulariter amo.

Ad connectendas amicitias, vel tenaciſſimum vinculum eſt, morum ſimilitudo.

Eum diliges ut ego, ſi ut ego propius inſpexeris.

Optamus enim tibi ominamurque in proximum annum conſulatum, ita nos virtutes tuæ, ita judicia Principis augurari volunt.

Vellem

Vellem tam ferax ſeculum bonis artibus haberemus, ut aliquos Baſſo præferre deberes; tum ego te primus hortarer moneremque, circumferres oculos, ac diu penſitares, quem potiſſimum eligeres.

Indulge precibus meis, obſequere conſilio.

Epiſt. 16.

Gaude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine: adhuc honor ſtudiis durat.

Adeundi mihi locus, niſi per ipſos judices, non fuit, tanta ſtipatione cætera tenebantur.

Studeamus ergo, nec deſidiæ noſtræ prætendamus alienam; ſunt qui audiant, ſunt qui legant, nos modo dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus.

Epiſt. 17.

Eſt mihi cum iſto non quidem familiaritas, ſed tamen amicitia.

Naturale eſt cuique, ut ea, quæ quis adeptus eſt, ipſa quam ampliſſima exiſtimari velit.

Ille meus in petendis honoribus ſuffragator & teſtis: ille in inchoandis deductor & comes: ille in gerendis conſiliator & rector.

Pauliſper ſe intra ſilentium tenuit, quod illi plurimum autoritatis addebat, deinde, gravitate quam noras, inquit.

Hac voce tribuit mihi, quantum petere voto immodicum erat.

Intelligo mihi laborandum, ne quâ parte videar hanc de me fiduciam, providentiſſimi viri deſtituiſſe.

Epiſt.

Epiſt. 18.

IN deterius quidem accidit hoc, primum imbecillitate ingenii mei, deinde inopia, vel potius ut Lucretius ait, egeſtate patrii ſermonis.

Epiſt. 19.

HIs ex cauſis, in ſpem certiſſimam adducor, perpetuam nobis majoremque indies futuram eſſe concordiam. Non enim ætatem meam aut corpus, quæ paulatim occidunt ac ſeneſcunt, ſed gloriam diligit; nec aliud decet tuis manibus educatam, tuis præceptis inſtitutam; quæ nihil in contubernio tuo viderit, niſi ſanctum honeſtumque.

Epiſt. 21.

PAtrem illarum, defunctum quoque, perſeverantiſſime diligo.

Noſti in amore mollitiem animi mei, noſti metus; quo minus te mirari oportebit, quod plurimum timeam, de quo plurimum ſpero.

Epiſt. 22.

DIxi omnia. cum hominem nominavi.

Vt in corporibus, ſic in imperio, graviſſimus eſt morbus, qui a capite diffunditur.

Epiſt. 23.

HAbitare amœniſſime, & nunc terra, nunc mari corpus agitare.

Et prima vitæ tempora, & media, patriæ, extrema nobis impertire debemus, ut ipſæ leges monent, quæ majorem añis ſexaginta, otio reddunt.

Epiſt. 24.

TAntas converſiones, aut fragilitas mortalitatis, aut fortunæ mutabilitas facit.

Si computes annos, exiguum tempus, ſi vices rerum, ævum putes.

Nihil deſperare, nulli rei fidere; cum videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi.

Epiſt. 25.

IN tanta re, tam ſer.o tempore, tam ſcurriliter laudat.

Quo te vertas? quæ remedia conquiras? ubique vitia remèdiis fortiora.

Epiſt. 27.

VIdes quam acuta omnia, quam apta, quam expreſſa?

Ama juvenem, & temporibus noſtris gratulare, pro ingenio tali, quod ille moribus adornat.

Epiſt. 29.

VEni: nihil eſt quod in dextram aurem fiducia mei dormias; non impune ceſſatur.

Epiſt. 30.

FOns oritur in monte, per ſaxa decurrit, ter in die ſtatis auctibus ac diminutionibus creſcit, decreſcitque. Spiritus aliquis occultior, os fontis & fauces modo laxat, modo includit, prout illatus occurrit, aut deceſſit expulſus.

LIBER V.

Epiſt. 1.

LEgatum mihi obvenit modicum, ſed ampliſſimo gratius.

Reſpondebam, non convenire moribus meis, aliud palam, aliud agere ſecreto.

Apparebat judicii dies, cohæredes mei componere

nere & tranſigere cupiebant, non diffidentia cauſæ, ſed metu temporum.

Hæc tibi ſcripſi, quia de omnibus, quæ me vel delectant, vel angunt, non aliter tecum, quam mecum loqui ſoleo.

Epiſt. 2.

RECIPIES epiſtolas ſteriles, & ſimpliciter ingratas, ac ne illam quidem ſolertiam Diomedis, in permutando munere imitantes. Sed quæ facilitas tua, hoc magis dabis veniam, quod ſe non mereri fatentur.

Epiſt. 3.

VT omnia innoxiæ remiſſionis genera breviter amplectar, Homo ſum.

Quid quisque ſentiat, perſpexit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio, quæ ſatis apertis notis, judicium ab humanitate diſcernunt.

Epiſt. 5.

MIhi videtur acerba ſemper & imatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam, qui voluptatibus dediti, quaſi in diem vivunt, vivendi cauſas quotidie finiunt; qui vero poſteros cogitant, & memoriam ſui operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt, ut quæ ſemper inchoatum aliquid abrumpat.

Epiſt. 6.

EST ſane gravis & peſtilens ora Tuſcorum, quæ per litus extenditur.

Cœlum eſt hyeme frigidum & gelidum: myrtos, oleas, quæque alia aſſiduo tepore lætantur, aſpernatur ac reſpuit; laurum tamen patitur, atq; etiam viridiſſimam profert. Æſta-

Æſtatis mira clementia, ſemper aër ſpiritu aliquo movetur, frequentius tamen auras quam ventos habet. Hinc ſenes multos videas, avos proavosque jam juvenum.

Regionis forma pulcherrima: imaginare amphitheatrum aliquod immenſum, & quale ſola rerum natura poſſit effingere; lata & diffuſa planities montibus cingitur, montes ſuma ſui parte procera nemora, & antiqua habent.

Neque enim facile usquam ſaxum, etiam ſi quæratur, occurrit.

Sub his per latus omne vineæ porriguntur, unamque faciem longe lateque contexunt.

Prata florida & gemmea, trifolium aliasque herbas teneras ſemper & molles, & quaſi novas alunt: cuncta enim perennibus rivis nutriuntur; ſed ubi aquæ plurimum, palus nulla, quia devexa terra, quicquid liquoris accepit, nec abſorbuit, effundit in Tiberim.

Magnam capies voluptatem, ſi hunc regionis ſitum, monte proſpexeris. Neque enim terras tibi, ſed formam aliquam ad eximiam pulchritudinem pictam, videberis cernere: ea varietate, ea deſcriptione, quocunque inciderint oculi, reficiuntur.

Villa in colle imo ſita, proſpicit quaſi ex ſummo. Ita leviter & ſenſim clivo fallente conſurgit, ut cum aſcendere te non putes, ſentias aſcendiſſe.

Æſtivum ſolem ab hora ſexta, hibernum aliquanto maturius, quaſi invitat in porticum latam, & pro modo longam.

Marmoreo labro aqua exundat, circumjectasque platanos, & ſubjecta platanis, leni aſpergine fovet.

Eſt

Eſt in hac Zeta dormitorium cubiculum, quod diem, clamorem, ſonumque excludit.

Cryptoporticus æſtate incluſo frigore riget, contentaque aëre ſuo, nec deſiderat auras, nec admittit.

Hedera truncum & ramos pererrat, vicinasque platanos tranſitu ſuo copulat; has buxus interjacet.

Lætiſſima vitis per omne tectum in culmen nititur & aſcendit.

Epiſt. 7.

SErmonem vultus, geſtus, vox ipſa moderatur; epiſtola omnibus commendationibus deſtituta, malignitati interpretantium exponitur.

Epiſt. 8.

ORationi & carmini parva gratia, niſi eloquentia ſit ſumma: hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat. Sunt enim homines natura curioſi, & quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui ſermunculis etiam fabellisque ducantur.

Invenio apud Sapientes, honeſtiſſimum eſſe, majorum veſtigia ſequi, ſi modo recto itinere præceſſerint.

Si rationem poſteritatis habeas; quicquid non eſt perfectum, pro non inchoato eſt.

Epiſt. 9.

VArie me affecerunt literæ tuæ, nam partim læta, partim triſtia continebant.

Deceſſit in navi, procul a fratre amantiſſimo, procul a matre, a ſororibus.

Nihil iſta ad mortuum pertinent. Sed pertinuerunt, cum moreretur; pertinent ad hos, qui ſuperſunt.

In flore primo, tantæ indolis juvenis extinctus eſt, ſumma conſequuturus, ſi virtutes ejus maturuiſſent.

Sed quid ego indulgeo dolori? cui ſi frænos remittas, nulla materia non maxima eſt.

Epiſt. 10.

CVm verſus tuos æmulor, tum maxime quam ſint boni, experior. Vt enim pictores, pulchram abſolutamque faciem raro, niſi in pejus effingunt; ita ego, ab hoc archetypo labor, & decido.

Epiſt. 11.

LIbera tandem hendecaſyllaborum meorum fidem, qui ſcripta tua communibus amicis ſpoponderunt. Appellantur quotidie & flagitantur, ac jam periculum eſt, ne cogantur ad exhibendum formulam accipere.

Perfectum opus abſolutumque eſt, nec jam ſplendeſcit lima, ſed atteritur.

Epiſt. 12.

GAudeo tua gloria, cujus ad me pars aliqua pro neceſſitudine noſtra redundat.

Quod ſupereſt, Deos precor, ut animum iſtum tibi, animo iſti, tempus quam longiſſimum tribuant.

Epiſt. 13.

TV velim quid de univerſo, quid de partibus ſentias, ſcribas mihi. Ero enim vel cautior in continendo, vel conſtantior in edendo, ſi huc vel illuc autoritas tua acceſſerit.

Epiſt.

Epiſt. 15.

COrnuto quid melius? quid ſanctius? quid in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expreſſius? quod mihi cognitum eſt non fama, qua alioqui optima & meritiſſima fruitur, ſed longis magnisque experimentis.

Epiſt. 16.

TRiſtiſſimus hæc tibi ſcribo. Fundani noſtri filia minor eſt defuncta: qua puella nihil unquam feſtivius, amabilius, nec modo longiore vita, ſed prope imortalitate dignius vidi. Nondum annos 14. expleverat, & jam illi anilis prudentia, matronalis gravitas; & tamen ſuavitas puellaris, cum virginali verecundia.

Nutrices, pædagogos, præceptores, pro ſuo quemque officio diligebat.

Parce cuſtoditeque ludebat.

Ipſam ſe deſtitutam corporis ſui viribus, vigore animi ſuſtinebat.

Amiſit filiam, quæ non minus mores ejus, quam os vultumque referebat, totumque patrem mira ſimilitudine exſcripſerat.

Vt enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit: Sic recens animi dolor, conſolationes rejicit ac refugit, mox deſiderat, & clementer admotis acquieſcit.

Epiſt. 17.

MVltum ac diu exoſculatus adoleſcentem, qui eſt acerrimus ſtimulus monendi, laudibus incitavi: pergeret, qua cœpiſſet, lumenque quod ſibi majores ſui prætuliſſent, poſteris præferret.

Epiſt. 18.

EGo in Tuſcis & venor, & ſtudeo, quæ interdum alternis, interdum ſimul facio.

Epiſt. 19.

ESt a natura comparatum, ut nihil æque amorem incitet & accendat, quam carendi metus.

Eſt tam parcus & continens, ut non ſolum delicias, verum etiam neceſſitates valetudinis, frugalitate reſtringat.

Epiſt. 20.

TAm longas, tamque rigidas periodos, uno ſpiritu, quaſi torrente contorquent.

Julius Candidus non invenuſte ſolet dicere, aliud eſſe eloquentiam, aliud loquentiam. Nam eloquentia vix uni aut alteri, imo ſi M. Antonino credimus, nemini, hæc vero quam Candidus loquentiam appellat, multis, atque etiam impudentiſſimo cuique, maxime contingit.

Dixit pro Vareno Homullus callide, acriter, culte: contra Nigrinus preſſe, graviter, ornate.

Apud te providendum eſt mihi, ne gratiam novitatis & florem, quæ oratiunculam meam vel maxime commendat, epiſtolæ loquacitate præcerpam.

Epiſt. 21.

PRoxima comperendinatione reſpondere debeo.

Honeſta conſilia vel turpia, prout male aut proſpere cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur. Inde plerunque eadem facta, modo diligentiæ, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen accipiunt.

LIBER

LIBER VI.

Epiſt. I.

DEſiderium abſentium nihil perinde ac vicinitas acuit: quoq; propius acceſſeris ad ſpem fruendi, hoc impatientius cupias.

Epiſt. 2.

TAnta negligentia, tanta deſidia, tanta deniq; irreverentia ſtudiorum eſt.

Hebetes illi & ſupra modum tardi.

Epiſt. 4.

ESt ſuſpenſum & anxium, de eo quem ardentiſſime diligas, interdum nihil ſcire.

Me cum abſentiæ, tum infirmitatis tuæ ratio incerta & varia ſolicitudine exterret. Vereor omnia, imaginor omnia: quæque natura metuentium eſt, ea maxime mihi, quæ maxime abominor fingo. Quo impenſius rogo, ut timori meo quotidie ſingulis, vel etiam binis epiſtolis conſulas. Ero enim ſecurior dum legam; ſtatimq; timebo, cum legero.

Epiſt. 5.

FVerunt quibus hæc ejus oratio, ut ſera & intempeſtiva, & præpoſtera diſpliceret: quæ, omiſſo contradicendi tempore, caſtigaret peractum, cui potuiſſet occurrere.

Epiſt. 6.

PEndeo ergo, & exerceor ſpe, atque afficior metu.

Vir alioqui clarus & gravis, & qui prodeſſe filio memoria ſui debeat.

Epiſt. 8.

IPſi amare invicem, qui eſt flagrantiſſimus amor, adoleſcentuli cœpimus. Manſit hic poſtea, nec refrixit judicio, ſed invaluit.

Epiſt. 9.

TV tamen cenſeo alios roges: ego precum tuarum miniſter, adjutor, particeps ero.

Epiſt. 10.

HVnc incolere ſeceſſum, atque etiam ſenectutis ſuæ nidulum vocare conſueverat.

Subit indignatio cum miſeratione, poſt decimum mortis annum, reliquias neglectumque cinerem, ſine titulo, ſine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervagetur.

Tam rara in amicitiis fides, tam parata oblivio mortuorum, ut ipſi nobis debeamus etiam conditoria extruere, omniaque heredum officia præſumere. Nam cui non eſt verendum, quod videmus accidiſſe Virginio?

Epiſt. 11.

O Diem (repetam enim) lætum, notandumque mihi candidiſſimo calculo.

Quod gaudium ut perpetuo capiam, Deos oro, ac eosdem teſtes peto, ut omnes, qui me imitari tanti putabunt, meliores eſſe quam me velint.

Epiſt. 13.

VNquam ne vidiſti quenquam tam laborioſum, tam exercitum, quam Varenum meum?

Egit Claudius irreverenter magis, quam conſtanter.

Singulos integra re diſſentire fas eſt: peracta, quod pluribus placuit, cunctis tuendum.

Erant

Erant in hac paucitate nonnulli, quorum temporaria gravitas, vel potius gravitatis imitatio, ridebatur. Tu tamen æſtima, quantum nos in ipſa pugna certaminis maneat, cujus quaſi prælufio atque præcurſio, has contentiones excitavit.

Epiſt. 14.

SOlicitas me in Formianum: veniam ea conditione, ne quid contra commodum tuum facias: qua pactione invicem mihi caveo.

Epiſt. 15.

MIrificæ rei non interfuiſti.

Cogita qui riſus hominum, qui joci. Eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis. Intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atque etiam jus civile publice reſpondet.

Epiſt. 16.

EQuidem beatos puto, quibus Deorum munere datum eſt aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda; beatiſſimos vero quibus utrumque.

Libenter ſuſcipio, depoſco etiam, quod injungis.

Pumices, nigrique, & ambuſti, & fracti igne lapides.

Hilaris, aut, quod æque magnum, ſimilis hilari.

Quievit veriſſimo quidem ſomno. Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis, gravior & ſonantior erat, ab iis qui limini obverſabantur, audiebatur.

Jam dies alibi, illic nox, omnibus noctibus nigrior, denſiorque.

Habitus corporis quieſcenti, quam defuncto ſimilior.

Epiſt. 20.

PRæceſſerat per multos dies,tremor terræ,minus formidoloſus,quia Campaniæ ſolitus , illa vero nocte ita invaluit,ut non moveri omnia , ſed everti crederentur.

Jam hora diei prima , & adhuc dubius & quaſi languidus dies.

Excedere oppido viſum. Sequitur vulgus attonitum,quodque in pavore ſimile prudentiæ , alienum conſilium ſuo præfert, ingentique agmine abeuntes premit & impellit.

Mare in ſe reſorberi,& tremore terræ quaſi repelli videbamus. Certe proceſſerat litus, multaq; animalia maris,in ſiccis arenis detinebat.

Ab altero latere nubes atra & horrenda , ignei ſpiritus tortis vibratisque diſcurſibus rupta , in longas flammarum figuras dehiſcebat.

Manum ejus amplexus,addere gradum cogo.

Denſa caligo terris imminebat, quæ nos , torrentis modo infuſa terræ,ſequebatur.

Nox , non qualis illunis aut nubila, ſed qualis in locis clauſis lumine extincto.

Multi ad Deos manus tollere,plures , nusquam jam Deos ullos,æternamque illam & noviſſimam noctem mundo interpretabantur.

Plerique lymphati terrificis vaticinationibus, & ſua,& aliena mala ludificabantur.

Epiſt. 21.

SVm ex iis,qui mirer antiquos: non tamen,ut quidam , temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neq; enim quaſi laſſa & effœta natura, ut nihil jam laudabile pariat.

Neſcio

Neſcio an noris hominem, quanquam noſſe debes; eſt enim probitate morum, ingenii elegantia, operum varietate monſtrabilis.

In ſumma, extorquebo librum, legendumque imo ediſcendum mittam tibi. Neq; enim dubito futurum, ut non deponas, ſi ſemel ſumpſeris.

Epiſt. 22.

EGit uterque pro ſe, egit autem carptim & κατὰ κεφάλαια; quo genere veritas ſtatim oſtenditur.

Scias, ſi quis forte te, quod abominor, fallat, paratam ultionem: qua tamen ne ſit opus, etiam atque etiam attende. Neq; enim tam jucundum eſt vindicari, quam decipi miſerum.

Epiſt. 23.

NEque enim cuiquam tam clarum ſtatim ingenium eſt, ut poſſit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam commendatorque contingat.

Epiſt. 24.

QVam multum intereſt, quid a quoque fiat! eadem enim facta, claritate vel obſcuritate facientium, aut tolluntur altiſſime, aut humillime deprimuntur.

Maritus ex diutino morbo circa velanda corporis, ulceribus putreſcebat.

Epiſt. 26.

IPſe eſt ſtudioſus, literatus, etiam diſertus; puer ſimplicitate, comitate juvenis, ſenex gravitate. Neque enim amore decipior. Amo quidem effuſe (ita officiis, ita reverentia meruit) judicio tamen, & quidem tanto acrius, quanto magis amo.

Epiſt. 27.

FAciendi aliquid vel non faciendi vera ratio, cum hominum ipſorum,tum rerum etiam ac temporum conditione mutatur.

Epiſt. 28.

DIces, oportere me tuis rebus ut meis uti. Etiam: ſed perinde illis ac meis parco.

Epiſt. 30.

NEc me præterit, Vſum & eſſe & haberi optimum dicendi magiſtrum. Video etiam multos parvo ingenio, literis nullis, ut bene agerent, agendo conſequutos. Sed & illud, quod vel Pollionis, vel tanquam Pollionis accepi, veriſſimum experior: Commode agendo, factum eſt, ut ſæpe agerem; ſæpe agendo, ut minus commode. Quia ſcilicet aſſiduitate nimia, facilitas magis, quam facultas, nec fiducia, ſed temeritas paratur.

Nonnunquam neceſſitati, quæ pars rationis eſt, parui.

In poſterum opto, ut ea potiſſimum jubeat, quæ me deceat vel ſponte feciſſe.

Ruſticorum prædiorum adminiſtratio poſcit durum aliquem & agreſtem, cui nec labor ille gravis, nec triſtis ſolitudo videatur.

Epiſt. 31.

ADhibebamur quotidie cœnæ; erat modica, ſi Principem cogites; interdum ἀκροάματα audiebamus: interdum jucundiſſimis ſermonibus nox ducebatur.

Epiſt. 33.

TOllite cuncta, inquit, inceptosque auferte labores. Seu ſcribis aliquid, ſeu legis, tolli, auferri

ferri jube, & accipe orationem meam, ut illi arma divina. Num ſuperbius potui?

Dedimus vela indignationi, dedimus iræ, dedimus dolori: & in ampliſſima cauſa, quaſi magno mari, pluribus ventis ſumus vecti.

Epiſt. 34.

TV meruiſti, ut acceptum tibi fieret, quod quo minus exhiberes, non per te ſtetit.

LIBER VII.

Epiſt. 1.

TErret me hæc tua tam pertinax valetudo.

Epiſt. 3.

VOluptates iſtæ ſatietate langueſcunt.

Si cœnam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosque miſcerem, ut obtuſus illis & oblitus ſtomachus, his excitaretur.

Epiſt. 4.

CVm meridie (erat enim æſtas) dormiturus me recepiſſem, nec obreperet ſomnus, cœpi reputare, maximos oratores hoc ſtudii genus, & in oblectationibus habuiſſe, & in laude poſuiſſe.

Epiſt. 5.

INcredibile eſt, quanto deſiderio tui tenear: in cauſa amor primum: deinde, quod non conſuevimus abeſſe. Inde eſt, quod magnam partem noctium, in imagine tua vigil exigo.

Epiſt. 6.

PErſtat tamen idem ille Magius, quin etiam Nigrinum optimum virum, pertinaciſſime exercet.

Scie-

Scietis, conſtare nobis ſilentii noſtri rationem.

Ipſe raro & breviter interloquutus, multum me intra ſilentium tenui. Accepi enim non minus interdum oratorium eſſe tacere, quam dicere.

Epiſt. 7.

ILle quoque præcipuam ſe voluptatem ex amicitia tua capere profitetur, certatque tecum honeſtiſſimo certamine mutuæ charitatis, quam ipſum tempus augebit.

Te negotiis deſtineri, ob hoc moleſte fero, quod deſervire ſtudiis non potes.

Epiſt. 9.

NOn ideo ſemper pugnacem hunc, & quaſi bellatorium ſtylum ſuaſerim. Vt enim terræ variis mutatisque ſeminibus, ita ingenia noſtra, nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur.

Preſſus ſermo purusque ex epiſtolis petitur.

Mirum eſt, ut his opuſculis animus intendatur, remittaturque.

Ajunt multum legendum eſſe, non multa.

Epiſt. 13.

ES tu ſuper omnes beatus, ſi talia per deſidiam & otium perficis.

Epiſt. 14.

INvicem ego & rogo & exigo, ut non ſolum quid te, verum etiam quid me deceat, aſpicias, patiarisque me in hoc uno tibi eodem animo repugnare, quo in omnibus obſequi ſoleo.

Epiſt. 16.

TYronem familiariſſime diligo, & privatis mihi, & publicis neceſſitudinibus implicitum.

Epiſt. 17.

HIſtoria non oſtentationi,ſed fidei veritatiq; componitur,

Nullum emendandi genus omitto: ac primum quæ ſcripſi, mecum ipſe pertracto; deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado annotanda: notasque eorum,ſi dubito, cum uno rurſus aut altero penſito; noviſſime pluribus recito: ac ſi quid mihi credis, tunc acerrime emendo. Nam tanto diligentius quanto ſolicitius intendo.

Singulis judicii parum,omnibus plurimum.

Pomponius Secundus,Scriptor tragœdiarum, ſi quid familiarior amicus tollendum, ipſe retinendum arbitraretur,dicere ſolebat:Ad populum provoco.

Timor eſt emendator acerrimus.

Cogito, quam ſit magnum,dare aliquid in manus hominum; nec perſuadere mihi poſſum, non & cum multis, & ſæpe tractandum,quod placere & ſemper,& omnibus cupias.

Epiſt. 18.

OPortet privatis utilitatibus publicas, mortalibus,æternas anteferre; multoque diligentius muneri ſuo conſulere,quam facultatibus.

Epiſt. 19.

INſident febres, tuſſis increſcit, ſumma macies, ſumma defectio, animus tantum & ſpiritus vigent.

Nullam vocem cedentem periculo emiſit.

Vxor quam jucunda,quam comis, quam deniq; (quod paucis datum eſt)non minus amabilis,quam veneranda. Erit ſane quam poſtea noſtris uxoribus

bus oſtentare poſſimus : erit a qua viri quoque fortitudinis exempla ſumamus : quam ſic cernentes audientesque miramur, ut illas quæ leguntur.

Epiſt. 20.

LIbrum tuum legi, & quam diligentiſſime potui, annotavi, quæ commutanda, quæ eximenda arbitrarer. Nam & ego verum dicere aſſuevi, & tu libenter audire. Neque enim ulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur.

Erit rarum & inſigne, duos homines, ætate propemodum æquales, nonnullius in literis nominis, (cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me ſimul dico) alterum alterius ſtudia foviſſe.

Erant multa clariſſima ingenia, ſed tu mihi, (ita ſimilitudo naturæ ferebat) maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris.

Quæ omnia huc ſpectant, ut invicem ardentius diligamus, cum tot vinculis nos ſtudia, mores, fama, ſuprema denique hominum judicia conſtringant.

Epiſt. 21.

CVbicula obductis velis opaca, hec tamen obſcura facio. Cryptoporticus quoque adopertis inferioribus feneſtris, tantum umbræ quantum luminis habet.

Epiſt. 22.

ACcepiſſe te beneficium credes, cum proprius inſpexeris, hominem omnibus honoribus, omnibus titulis (nihil volo elatius de modeſtiſſimo viro dicere) parem.

Epiſt.

Epiſt. 23.

ROgo, ne tibi contra rationem ætatis tantum laboris injungas.

Epiſt. 24.

PAulo minus octogeſimo ætatis anno deceſſit, usque ad noviſſimam valetudinem viridis, atque etiam ultra matronalem modum compacto corpore & robuſto.

Epiſt. 25.

O Quantum eruditorum aut modeſtia ipſorum, aut quies operit & ſubtrahit famæ!

Recepit ſe in agros ſuos, paratisque honoribus tranquilliſſimum otium prætulit.

Sunt enim ut in caſtris, ſic etiam in literis noſtris, plures cultu pagano, quos cinctos & armatos, & quidem ardentiſſimo ingenio, diligentius ſcrutatus invenies.

Epiſt. 26.

NVper me cujusdam amici languor admonuit, optimos eſſe nos, dum infirmi ſumus. Quem enim infirmum aut avaritia, aut libido ſolicitat? Non amoribus ſervit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcunque, ut relicturus, ſatis habet. Tunc Deos, tunc hominem eſſe ſe, meminit: invidet nemini, neminem miratur, neminem deſpicit: ac ne ſermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur.

Tales eſſe ſani perſeveremus, quales nos futuros profitemur infirmi.

Epiſt. 27.

OFfertur ei mulieris figura, humana grandior pulchriorque.

Ipſe

Ipſe implicitus morbo,futura præteritis, adverſa ſecundis auguratus, ſpem ſalutis, nullo ſuorum deſperante projecit.

Mox apparebat idolon,ſenex macie & ſqualore confectus,promiſſa barba,horrenti capillo.

Ipſe ad ſcribendum,animum,oculos,manum intendit,ne vacua mens audita ſimulacra, & inanes ſibi metus fingeret.

Ille non tollere oculos, non remittere ſtylum, ſed obfirmare animum,auribusque prætendere: tum crebreſcere fragor, adventare etiam,ac jam ut in limine, jam ut intra limen audiri: reſpicit, videt,agnoſcitque narratam ſibi effigiem.

Proinde rogo,eruditionem tuam intendas; digna res eſt,quam diu multumque conſideres.

Epiſt. 30.

QVam orationem cum componerem, Demoſthenis libellum habui in manibus: non ut æmularer, (improbum enim ac pene furioſum) ſed tamen imitarer & ſequerer, quantum aut diverſitas ingeniorum,maximi & minimi,aut cauſæ diſſimilitudo pateretur.

Epiſt. 31.

POllio amari a te cupit, dignus hoc ipſo quòd cupit. Deinde quod ipſe te diligit; vir alioqui rectus,integer, quietus, ac pene ultra modum (ſi quis tamen ultra modum) verecundus.

Eadem firmitate animi laboribus ſufficit, qua nunc otium patitur.

Hunc hominem appetentiſſimum tui (mihi crede) complectere, apprehende,imo & invita, ac ſic ama,tanquam gratiam referas; neq; enim obli-

obligandus, ſed remunerandus eſt in amoris officio, qui prior cœpit.

Epiſt. 32.

Eſt enim, ut Xenophon ait, ἥδιστον ἄκουσμα ἔπαινος: utique ſi te mereri putes.

Epiſt. 33.

AVguror (nec me fallit augurium) hiſtorias tuas iḿortales futuras, quo magis illis (ingenue fatebor) inſeri cupio. Nam ſi eſſe nobis curæ ſolet, ut facies noſtra ab optimo quoq; artifice exprimatur; nonne debemus optare, ut operibus noſtris ſimilis tui ſcriptor prædicatorque contingat?

Quæ vox, & ſtatim excepta, & poſtea multo ſermone celebrata eſt.

Miſſis ad me graviſſimis literis, non mihi ſolum, verum etiam ſeculo eſt gratulatus, cui exemplum (ſic enim ſcripſit) ſimile antiquis contigiſſet.

Honeſte factis veritas ſufficit.

LIBER VIII.

Epiſt. 1.

Iter commode explicui, excepto, quod quidam ex meis adverſam valetudinem ferveſcentibus æſtibus contraxerunt. Encolpius quidem lector, ille ſeria noſtra, ille deliciæ, exaſperatis faucibus pulv re, ſanguinem rejicit, quam triſte hoc ipſi, quam acerbum mihi.

Epiſt. 2.

FOs non una (ut dicitur) pertica, ſed diſtincte gradatimque tractavi.

Epiſt. 4.

QVæ tam recens, tam copioſa, tam lata, quæ denique tam poëtica, (& quanquam in veriſſimis rebus) tam fabuloſa materia?

Hæc æquare dicendo, arduum, immenſum, etiam tuo ingenio, quanquam altiſſime aſſurgat, & ampliſſimis operibus increſcat.

Proinde jure Vatum invocatis Diis, & inter Deos, ipſo, cujus res, opera, conſilia dictaturus es, immitte rudentes, pande vela, ac ſi quando alias, toto ingenio vehere.

Recentia & rudia, & adhuc ſimilia naſcentibus.

Patere me hoc ſuper cætera habere amoris tui pignus, ut ea quoque norim, quæ noſſe neminem velles.

Epiſt. 5.

GRave vulnus Macrinus noſter accepit. Amiſit uxorem ſingularis exempli, etiamſi olim fuiſſet. Vixit cum hac triginta novem annis, ſine jurgio, ſine offenſa.

Habet quidem Macrinus grande ſolatium, quod tantum bonum tamdiu tenuit. Sed hoc magis exacerbatur, quod amiſit. Nam fruenti voluptatibus, creſcit carendi dolor.

Epiſt. 6.

FInem exiſtimas? manendum, & majora accipe. Scio, quam ſit tibi verus & ingenuus animus: ideoque facilius eſt, ut me parum doluiſſe, quam nimis credas.

Epiſt. 8.

MOdicus collis aſſurgit, antiqua cupreſſo nemoroſus & opacus. Hunc ſubter fons exit, & ex-

& exprimitur pluribus venis,ſed imparibus, eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit,purus & vitreus, ut numerare jactas ſtipes,& relucentes calculos poſſis. Inde non loci devexitate,ſed ipſa ſui copia,& quaſi pondere impellitur.

Vt illà qua properat fluvius, ipſe tanquam per ſolum planum remis non adjuvatur: ita ægerrime remis contisque ſuperatur adverſus.

Ripæ fraxino multa, multa populo veſtiuntur, quas perſpicuus amnis,velut merſas, viridi imagine annumerat. Rigor aquæ certaverit nivibus, nec color cedit.

Epiſt. 9.

OLim non librum in manus, non ſtylum ſumpſi: olim neſcio,quid ſit otium.

Epiſt. 10.

NEptis tua abortum fecit,dum ſe prægnantem eſſe puellariter neſcit,ac per hoc quædam cuſtodienda prægnantibus omittit,facit omittenda. Quem errorem magnis detrimentis expiavit, in ſummum periculum adducta.

Epiſt. 12.

VIr eſt optimus,& inter præcipua ſeculi ornamenta numerandus. Colit ſtudia, ſtudioſos amat,fovet,provehit,multorumque qui aliqua componunt, portus,ſinus,præmium,omnium exemplum.

Tanto turpius gratiam non referre,quanto honeſtior cauſa referendæ.

Epiſt. 14.

QVotus enim quisque tam patiens,ut velit diſcere,quod in uſu non ſit habiturus?

Difficile eſt tenere quæ acceperis, niſi exerceas.

Erat antiquitus inſtitutum, ut a majoribus natu, non auribus modo, verum etiam oculis diſceremus, quæ facienda mox ipſi, ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Inde adoleſcentuli ſtatim caſtrenſibus ſtipendiis imbuebantur, ut imperare parendo, duces agere, dum ſequuntur, aſſueſcerent. Inde honores petituri aſſiſtebant Curiæ foribus, & conſilii publici ſpectatores, antequam conſortes erant. Suus cuique parens pro magiſtro, aut cui parens non erat, maximus quisque & vetuſtiſſimus pro parente.

Qui hæc ſentitis in hanc partem: qui alia omnia, in illam partem ite, qua ſentitis.

Vt in ſpectaculis quibusdam, ſors aliquem ſeponit ac ſervat, qui cum victore contendat: ſic in Senatu ſunt aliqua prima, ſunt ſecunda certamina. & ex duabus ſententiis eam, quæ ſuperior exierit, tertia exſpectat.

Epiſt. 16.

CONfecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, & quidem juvenum.

Hominis eſt affici dolore, ſentire; reſiſtere tamen, & ſolatia admittere, non ſolatiis non egere. Verum de his plura fortaſſe quam debui, ſed pauciora quam volui. Eſt enim quædam etiam dolendi voluptas: præſertim ſi in amici ſinu defleas, apud quem lachrymis tuis vel laus ſit parata, vel venia.

Epiſt. 17.

NVm iſthic quoque immite & turbidum cœlum? hic aſſiduæ tempeſtates, & crebra dilu-

via. Tiberis alveum exceſſit, demiſſioribus ripis alte ſuperfunditur.

Viderunt hi, quos excelſioribus terris illa tempeſtas non deprehendit; alibi divitum apparatus, & gravem ſupellectilem; alibi inſtrumenta ruris; ibi boves, aratra, rectores; hic ſoluta & libera armenta; atque inter hæc arborum truncos, aut villarum trabes atque culmina, varie lateque fluitantia.

Parvulum differt, patiaris adverſa, an expectes: niſi quod tantum eſt dolendi modus, non eſt timendi; doleas enim quantum ſcias accidiſſe; timeas, quantum poſſit accidere.

Epiſt. 18.

FAlſum eſt nimirum, quod creditur vulgo, teſtamenta hominum ſpeculum eſſe morum.

Decipere pro moribus temporum, prudentia eſt.

Omnibus membris extortus & fractus, tantas opes ſolis oculis obibat: ac ne in lectulo quidem, niſi ab aliis movebatur, quin etiam (fœdum miſerandumque dictu) dentes lavandos fricandosq; præbebat.

Invicem tu, ſi quid iſtic epiſtola dignum, ne gravare ſcribere. Nam cum aures hominum novitate lætantur, tum ad rationem vitæ, exemplis erudimur.

Epiſt. 20.

AD quæ cognoſcenda iter ingredi, transmittere mare ſolemus, ea ſub oculis poſita negligimus: ſeu quia ita natura comparatum, ut proximorum incurioſi, longinqua ſectemur; ſeu quod

omnium rerum cupido langueſcit, cum facilis occaſio eſt: ſeu quod differimus tanquam ſæpe viſuri, quod datur videre, quoties velis cernere. Quacunque de cauſa, permulta in urbe noſtra, juxtaq; urbem, non oculis modo, ſed ne auribus quidem novimus, quæ ſi tuliſſet Achaja, Ægyptus, Aſia, aliave quælibet miraculorum ferax commendatrixque terra, audita, perlecta, luſtrataque haberemus.

Lacus eſt in ſimilitudinem jacentis rotæ circumſcriptus, & undique æqualis; nullus ſinus, obliquitas nulla; omnia dimenſa, paria, & quaſi artificis manu cavata & exciſa. Color cæruleo albidior, viridior, & preſſior.

Idem lacus in flumen egeritur, quod ubi ſe paulisper oculis dedit, ſpecu mergitur, alteque conditum meat: ac ſi quid antequam ſubduceretur, accepit, ſervat & profert.

Me nihil æque ac naturæ opera delectant.

Epiſt. 21.

VT in vita, ſic in ſtudiis, pulcherrimum & humaniſſimum exiſtimo, ſeveritatem comitatemque miſcere: ne illa in triſtitiam, hæc in petulantiam procedat.

Non dubito cupere te pro cætera mei charitate, quam maturiſſime legere, hunc adhuc muſteum librum.

Epiſt. 22.

EGo optimum & emendatiſſimum exiſtimo, qui cæteris ita ignoſcit, tanquam ipſe quotidie peccet: ita peccatis abſtinet, tanquam nemini ignoſcat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in

omni

omni vitæ genere teneamus, ut nobis implacabiles ſimus, exorabiles iſtis etiam, qui dare veniam, niſi ſibi neſciunt: mandemusque memoriæ, quod vir mitiſſimus, & ob hoc quoque maximus, Thraſeas, crebro dicere ſolebat: Qui vitia odit, homines odit.

Epiſt. 23.

OMnia mihi ſtudia, omnes curas, omnia avocamenta exemit, excuſſit, eripuit dolor, quem ex morte Aviti graviſſimum cepi.

Ita me diligebat, ita verebatur, ut me formatore morum, me quaſi magiſtro uteretur. Rarum hoc adoleſcentibus noſtris. Nam quotusquisque vel ætati alterius, vel autoritati, ut minor cedit? Statim ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia: neminem verentur, imitantur neminem, atque ipſi ſibi exempla ſunt. Sed non Avitus, cujus hæc præcipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur: hæc præcipua eruditio, quod diſcere volebat.

Tot ſpes, tot gaudia, dies unus in diverſa convertit.

Epiſt. 24.

REverere conditores Deos, Numina Deorum; reverere gloriam veterem, & hanc ipſam ſenectutem, quæ in homine venerabilis, in urbibus ſacra eſt. Sit apud te honor antiquitatis, ſit ingentibus factis, ſit fabulis quoque.

Durum, ferum, barbarumque eſt.

Vides a medicis, quanquam in adverſa valetudine nihil ſervi ac liberi differant, mollius tamen liberos, clementiusque tractari.

Male vim ſuam poteſtas aliorum contumeliis expe-

experitur : male terrore veneratio acquiritur. Longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor.

Eſt, ut ſæpe audiſti, ſæpe legiſti, multo deformius amittere, quam non aſſequi laudem.

Hæc velim credas (quod initio dixi) ſcripſiſſe me admonentem, non præcipientem: quanquam præcipientem quoque: quippe non vereor in amore ne modum exceſſerim.

LIBER IX.

Epiſt. 2.

QVia ipſe multum diſtringebar plerunque frigidis negotiis, quæ ſimul & avocant animum, & comminuunt.

Volumus ſcholaſticas tibi, atque, ut ita dicam, umbraticas literas mittere.

Epiſt. 6.

QVo genere ſpectaculi ne leviſſime quidem teneor.

Tanta gratia, tanta autoritas in una viliſſima tunica.

Hos ego cum recordor in re inani, frigida, tam inſatiabiliter deſidere, capio aliquam voluptatem, quod hac voluptate non capiar: ac per hos dies libentiſſime otium meum in literis colloco, quos alii otioſiſſimis occupationibus perdunt.

Epiſt. 8.

SI laudatus a te, laudare te cœpero, vereor ne non tam proferre judicium meum, quam referre gratiam videar.

Epiſt.

Epiſt. 9.

VNice probo quod Pompeji morte tam dolenter afficeris, ut amiſſi charitatem, deſiderio extendas; non ut plerique, qui tantum viventes amant, ſeu potius amare ſe ſimulant, ac ne ſimulant quidem, niſi quos florentes vident. Nam miſerorum non ſecus ac defunctorum obliviſcuntur. Sed tibi perennis fides, tantaque in amore conſtantia, ut finiri niſi tua morte non poſſit.

Epiſt. 11.

CIrcumſer oculos, & occurrent.

Incipio ſatis abſolutum exiſtimare, de quo tanta diverſitate regionum diſcreta hominum judicia conſentiunt.

Epiſt. 12.

COgita & illum puerum eſſe, & te fuiſſe: atque ita hoc quod es pater, utere, ut memineris, & te hominem eſſe, & hominis patrem.

Epiſt. 13.

NOn ita me jura privata, ut publicum fas, & indignitas facti, & exempli ratio incitabat.

Me recens adhuc luctus limine continet.

Expertus ſum uſu, de eo quod deſtinaveris, non eſſe conſulendos, quibus conſultis obſequi debeas.

Me quidam ex conſularibus amicis ſecreto accuratoque ſermone, quaſi nimis fortiter incauteque progeſſum, corripit, revocat, monet ut deſiſtam.

Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi; nec recuſo, ſi ita caſus attulerit, luere pœnas ob honeſtiſſimum factum, dum flagitioſiſſimum ulciſcor.

Non fere quiſquam in Senatu fuit, qui non me complecteretur, exoſcularetur, certatimq; laude cumularet, quod intermiſſum tamdiu morem in publicum conſulendi, ſuſceptis propriis ſimultatibus reduxiſſem.

Abſuit enim, ſeu tale aliquid ſuſpicatus, ſive, ut excuſabatur, infirmus.

Audivi referentes, hanc imaginem menti, ejus, hanc oculis oberraſſe, tanquam videret me ſibi cum ferro imminere. Verane hæc, affirmare non auſim: intereſt tamen exempli, ut vera videantur.

Epiſt. 17.

QVam multos putas eſſe, quos æque ea, quibus ego & tu capimur & ducimur, partim ut inepta, partim moleſtiſſima offendant?

Demus igitur alienis oblectationibus veniam, ut noſtris impetremus.

Epiſt. 19.

OMnes ego, qui magnum aliquod memorandumque fecerunt, non modo venia, verum etiam laude digniſſimos judico, ſi immortalitatem quam meruere, ſectantur, victuriq; nominis famã, ſupremis etiam titulis prorogare nituntur.

Impenſa monumenti ſupervacua eſt, memoria noſtri durabit, ſi vitam meruimus.

Meo quidem judicio neuter culpandus, quorum uterque ad gloriam pari cupiditate, diverſo itinere contendit.

Epiſt. 20.

VIndemias graciles quidem, uberiores tamen quam expectaveram, colligo.

Epiſt.

Epiſt. 21.

ADvolutus pedibus meis tanquam tuis, hæſit; flevit multum, multumque rogavit: multum etiam tacuit: in ſum̃a fecit mihi fidem pœnitentiæ. Vere credo emendatum, quia deliquiſſe ſe ſentit.

Tunc præcipua manſuetudinis laus, cum iræ cauſa juſtiſſima eſt.

Licebit rurſus iraſci, ſi meruerit; quod exoratus excuſatius facies.

Ipſum acrius ſeveriusque corripui, diſtricte minatus nunquam me poſtea rogaturum.

Epiſt. 22.

SI elegos in manum ſumpſeris, leges opus terſum, molle, jucundum.

Gratulare mihi, gratulare etiam literis ipſis, quæ ex periculo ejus tantum diſcrimen adierunt, quantum ex ſalute gloriæ conſequentur.

Epiſt. 23.

AN ſi Demoſthenes jure lætatus eſt, quod illum anus Attica demonſtravit, οὗτός ἐστι Δημοσθένης, ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? Ego vero & gaudeo, & gaudere me dico. Neque enim vereor ne jactantior videar, cum de me aliorum judicium, non meum profero.

Epiſt. 26.

NIhil peccat, niſi quod nihil peccat. Debet enim orator erigi, attolli, interdum etiam efferveſcere, efferri, ac ſæpe accedere ad præceps.

Plerunque altis & excelſis adjacent abrupta; tutius per plana, ſed humilius & depreſſius iter; frequentior currentibus quam reptantibus lapſus,

ſed

ſed his non labentibus nulla laus, illis nonnulla laus, etiamſi labantur. Nam, ut quasdam artes, ita eloquentiam nihil magis quam ancipitia comendant.

Nequaquam par gubernatoris eſt virtus, cum placido, & cum turbato mari vehitur. Tunc admirante nullo, illaudatus, inglorius ſubit portum. At, cum ſtridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tum ille clarus, & Diis maris proximus.

Laxandi ſunt eloquentiæ fræni, nec anguſtiſſimo gyro, ingeniorum impetus refringendi.

Epiſt. 27.

TAntus audiendi quæ fecerint pudor, quibus nullus faciendi, quæ audire erubeſcunt.

Epiſt. 28.

POſt longum tempus epiſtolas tuas tres pariter recepi, omnes elegantiſſimas, amantiſſimas, & quales a te venire, præſertim deſideratas, oportebat.

Communis hæc mihi tecum, quanquam in diverſiſſima parte terrarum querela eſt.

Jam tibi compedes nectimus, quas perfringere nullo modo poſſis.

Prima quaque occaſione mitte; appoſitis quidem uſuris, quas ego (num parcius poſſim?) centeſimas computabo.

Epiſt. 30.

VOlo eum, qui ſit vere liberalis, tribuere patriæ, propinquis, affinibus, amicis, ſed amicis dico pauperibus: non ut iſti, qui iis potiſſimum donant, qui donare maxime poſſunt. Hos ego viſcatis,

ſcatis, hamatisque muneribus, non ſua promere puto, ſed aliena corripere.

Primum eſt autem ſuo eſſe contentum. Deinde quos præcipue ſcias indigere, ſuſtentantem foventemque orbe quodam ſocietatis ambire.

Ea invaſit homines habendi cupido, ut poſſideri magis quam poſſidere videantur.

Epiſt. 32.

NIhil eſt aut pigrius delicatis, aut curioſius otioſis.

Epiſt. 33.

DElphinus exilit, mergitur, variosque orbes implicitat, expeditque.

Hæc tu qua miſeratione, qua copia deflebis, ornabis, attolles? quancuam non eſt opus affingas aliquid aut deſtruas, ſufficit, ne ea quæ ſunt vera, minuantur.

Epiſt. 35.

LIbrum quem miſiſti, recepi, & gratias ago; ſum tamen hoc tempore occupatiſſimus, ideo nondum eum legi, cum alioqui validiſſime cupiam. Sed eam reverentiam cum literis ipſis, tum ſcriptis tuis debeo, ut ſumere ea, niſi vacuo animo, irreligioſum putem.

Epiſt. 36.

QVæris quemadmodum in Tuſcis diem æſtate diſponam. Evigilo cum libuit, plerunque circa horam primam, ſæpe ante, tardius raro.

Mire ſilentio & tenebris alitur animus, ab iis quæ avocant, abductus & liber.

Ita variis ſermonibus veſpera extenditur, & quanquam longiſſimus dies, cito conditur.

Inter-

Interveniunt amici ex proximis oppidis, partemque diei ad ſe trahunt, interdumque laſſato mihi, opportuna interpellatione ſubveniunt.

Agreſtes querelæ literas noſtras, & iſthæc urbana opera commendant.

Epiſt. 37.

NVllum juſtius genus reditus, quam quod terra, cœlum, annus refert. At hoc magnam fidem, acres oculos, numeroſas manus poſcit.

Vides quam non delicata me cauſa obire primum Conſulatus tui diem non ſinat: quem tamen hic quoque, ut præſens, votis, gaudio, gratulatione celebrabo.

Epiſt. 39.

MAgnus e regione tota coit populus, multæ res aguntur, multa vota ſuſcipiuntur, multa redduntur, ſed nullum in proximo ſuffugium aut imbris, aut ſolis.

Antiquum illud Deæ ſignum e ligno, quibusdam ſui partibus, vetuſtate truncatum eſt.

Solum templi, hinc flumine & abruptiſſimis ripis, hinc via cingitur.

LIBER X.

Epiſt. 1.

TVa quidem pietas, Imperator ſanctiſſime, optaverat, ut quam tardiſſime ſuccederes patri: ſed Dii immortales feſtinaverunt virtutes tuas ad gubernacula Reipubl., quam ſuſceperas, admovere. Precor ergo, ut tibi, & per te generi humano, proſpera omnia, id eſt, digna tuo ſeculo contingant. Fortem te & hilarem, Imperator optime, & privatim & publice opto.

Epiſt. 2.

VIdeor ſummam voti mei conſequutus, cum inter initia feliciſſimi principatus tui, probaveris me ad peculiarem indulgentiam tuam pertinere.

Epiſt. 3.

INdulgentia tua, Imperator optime, quam pleniſſimam experior, hortatur me, ut audeam tibi etiam pro amicis obligari; inter quos ſibi vel præcipuum locum vindicat Voconius.

Auget hæc & natalium, & paternarum facultatum ſplendor, quibus ſingulis multum commendationis acceſſurum etiam ex meis precibus, indulgentiæ tuæ credo.

Epiſt. 4.

PRoximo anno, Domine, graviſſima valetudine usque ad periculum vitæ vexatus, jatralipten aſſumpſi.

Epiſt. 7.

SCio Domine, memoriæ tuæ, quæ eſt benefaciendi tenaciſſima, preces noſtras inhærere.

Epiſt. 8.

CVm ſciam, Domine, ad teſtimonium laudemq; morum meorum pertinere, tam boni Principis judicio exornari, rogo dignitati, ad quam me provexit indulgentia tua, Auguratum adjicere digneris, ut jure Sacerdotii precari Deos pro te publice poſſim, quos nunc precor pietate privata.

Epiſt. 9.

VIctoriæ tuæ, & tuo nomine & Reipublicæ gratulor, Deosque immortales precor, ut omnes

omnes cogitationes tuas tam lætus ſequatur eventus, ut virtutibus tantis, gloria imperii, & novetur, & augeatur.

Epiſt. 12.

DIfficile eſt, Domine, exprimere verbis, quantam perceperim lætitiam.

Cui referre gratiam parem nec audeo quidem, quamvis maxime debeam, itaque ad vota confugio, Deosque precor, ut iis quæ in me aſſidue confers, non indignus exiſtimer.

Epiſt. 14.

SCripſit mihi, eſſe quædam, quæ deberes quam maturiſſime ſcire. Qua ex cauſa feſtinationem tabellarii, quem ad te cum epiſtolis miſit, diplomate adjuvi.

Epiſt. 16.

SIgnata eſt annulo meo, cujus eſt apoſphragisma quadriga.

Epiſt. 17.

Maximum Libertum, per omne tempus quo fuimus una, probum, & induſtrium, & diligentem, ac ſicut rei tuæ amantiſſimum, ita diſciplinæ tenaciſſimum expertus, libenter apud te teſtimonio proſequor, ea fide, quam tibi debeo.

Epiſt. 18.

BAſſum, integrum, probum, induſtrium, atque inter iſta, reverentiſſimum mei expertus, voto pariter & ſuffragio proſequor, ea fide, quam tibi debeo.

Epiſt. 20.

CVi obſequio meo, opto, ut exiſtimes conſtare ratio-

rationem, cum omnia facta dictaque mea, probare ſanctiſſimis moribus tuis cupiam.

Epiſt. 25.

STatuam poni mihi a te, quanquam ejusmodi honorum parciſſimus, tamen patior, ne impediſſe curſum erga me pietatis tuæ videar.

Epiſt. 27.

PRudenter conſtituis, interim navibus, interim vehiculis uti, prout loca ſuaſerint.

Epiſt. 28.

CVm tranſiiſſem in orarias naviculas, contrariis ventis retentus, aliquanto tardius quam ſperaveram, Bithyniam intravi.

Provinciam in eo obſequio, in ea erga te fide, quam de genere humano mereris, inveni.

Epiſt. 29.

RAtiones imprimis tibi Rerump. excutiendæ ſunt. Nam, & eſſe eas vexatas, ſatis conſtat.

Epiſt. 30.

ROgo, Domine, conſilio me regas hæſitantem.

Epiſt. 31.

SI permiſceantur ſervis publicis milites, mutua inter ſe fiducia negligentiores erunt.

Epiſt. 34.

BAlineum habent & ſordidum & vetus, id itaque indulgentia tua reſtituere deſiderant.

Epiſt. 38.

QVid debeam ſequi, rogo, Domine, ſcribas, præſertim cum pertineat ad exemplum.

Epiſt. 42.

VAſtiſſimum incendium multas privatorum domos, & duo publica opera, quanquam via interjacente abſumpſit.

Eſt autem latius ſparſum, primum violentia venti, deinde inertia hominum, quos ſatis conſtat otioſos & immobiles tanti mali ſpectatores perſtitiſſe.

Epiſt. 44.

SOlemnia vota, pro incolumitate tua, qua publica ſalus continetur, & ſuſcipimus, Domine, pariter, & ſolvimus; precati Deos, ut velint ea ſemper ſolvi, ſemperque ſignari.

Epiſt. 48.

THeatrum ingentibus rimis deſcendit & hiat, ſive in cauſa ſolum humidum & molle, ſive lapis ipſe gracilis & putris.

Epiſt. 60.

DIem, Domine, quo ſervaſti imperium, dum ſuſcipis, quanta mereris lætitia celebravimus: precati Deos, ut te generi humano, cujus tutela & ſecuritas ſaluti tuæ inniſa eſt, incolumem florentemque præſtarent.

***

Archippum Philoſophum, bonum virum, commendatum habeas velim, mi Maxime, & plenam ei humanitatem tuam præſtes in iis, quæ verecunde a te deſideraverit.

Epiſt. 70.

ELice id, quod præcipue res ipſa ſuaſerit.

Epiſt. 81.

ONera maxima ſuſtinet, tantoque graviores injurias,quanto eſt infirmior,patitur.

Epiſt. 86.

PRopoſitum meum optime noſti,non ex metu, nec terrore hominum, aut criminibus majeſtatis,reverentiam nomini meo acquiri.

Epiſt. 89.

OPto, Domine, & hunc natalem, & plurimos alios quam feliciſſimos agas: æternaque laude florentem virtutis tuæ gloriam, & incolumis, & fortis,aliis ſuper alia operibus augeas.

Epiſt. 97.

SOlemne eſt mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre: quis enim poteſt melius vel cunctationem meam regere,vel ignorantiam inſtruere?

Pervicacia certe & inflexibilis obſtinatio, debet puniri.

Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ,vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtata die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem.

Multi omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque ſexus etiam,vocantur in periculum, & vocabuntur.

Epiſt. 98.

ID & peſſimi exempli,nec noſtri ſeculi eſt.

Epiſt. 99.

CVjus a latere, per ſpatium omne porrigitur nomine quidem flumen, re vero cloaca fœdiſſima:

diſſima: quæ, ſicut turpis & immundiſſima aſpectu, ita peſtilens eſt odore teterrimo. Quibus ex cauſis, non minus ſalubritatis, quam decoris intereſt, eam contegi.

Epiſt. 105.

DEbeo indulgentia tua tanto modeſtius uti, quanto pleniorem experior.

Epiſt. 109.

EGo inveni a pleriſque proconſulibus conceſſam iis protopraxiam, eamque pro lege valuiſſe.

Epiſt. 113.

QVod in perpetuum manſurum eſt, a te conſtitui debet, cujus factis dictiſque debetur æternitas.

EXCERPTA CICERONIANA.

VT eo melius Epiſtolarum ſcribendarum labor ſuccederet, in ſubſidium optimus hujus artis omnisque eloquentiæ Magiſter, diſertiſſimus Romuli nepotum, Cicero vocandus erat. Quem, poſtquam ſemel in manus ſumpſit Filius, nunquam deinde tota vita deponere juſſi, nec unum diem prætermittere, quin aliquid in ejus libris, non legat, ſed lectitet. Monſtrabam ſimul locum in Dialogismo Chriſtophori Adami Ruperti, Viri apud nos quondam Præclari, Mercurio ejus Epiſtolari præfixo, quo ipſe memorat, Amicũ facundiſſimum, de ſua ſibi conſuetudine narraſſe, ſe juniorem, ante quietem & nocturnas preces, Ciceronianæ lectioni cottidie vacare ſolitum, dein cubitum ire. Nunquam ſomno conſumtam eam lectionem, cum & dormienti Tullianæ ſuavitatis ſpecies occurreret, & memoria ſincerius redderet, quod poſtremum ac recentiſſimum acceperat. Ad hunc modum imbibitum, & viſceribus bene immixtum fuiſſe Ciceronianum dicendi genus. *Apparet iſtum, quisquis ille fuit, morem geſſiſſe Juſto Lipſio, Viro cui inter Germanos Muſa tantopere dedit ore rotundo loqui, ut ad veteres comparari is queat, cujus in Inſtitutione Fpiſioiica hoc ſerium & utile extabat monitum :* Finii de parte prima[: niſi quod leviter addo, perutile futurum, eundem illum Ciceronem legi quotidie & relegi; veſpertinis præſertim horis, & ſi opportunitas feret, ſub ipſum ſomni tempus. Mens tunc neſcio, quomodo melius arripit, retinet, & concoquit per quietem. Tenta, reperies in levi monito, non leve momen

mentum. *Ne vero miraretur Filius, tam improba in-*
duſtria, tam pertinaci ſedulitate opus eſſe, dixi, veriſſi-
mum me reputare, quod vel Erasmi, vel tanquam E-
rasmi, accepimus: Facilius eſſe, in tribus Facultati-
bus Doctorem fieri, quam unam vere Ciceronia-
nam ſcribere Epiſtolam. *Cæterum, elegantiores,*
quibus tum pro tempore opus erat, Epiſtolarum Ciceroni-
anarum, interdum & ab aliis ſcriptarum, formulas, jam
non confuſe amplius, quod ex reliquis Autoribus fe-
ceram, ſed digeſtas per claſſes & argumenta, (& alii
præceſſerant,) diſcendas commiſi, una cum Rhetorices præ-
ceptis, ſine quorum intelligentia, ſtultum foret ani-
mum ad ſcribendum aliquid appellere.

EXCERPTA CICERONIANA.

Formulæ exordiendi literas.

SI vales, bene eſt, ego valeo.

Si vales, bene eſt, ego belliſſime valeo.

Si vales, bene eſt, ego perbelle valeo, & indies bellius.

Si vales, bene eſt, ego valeo, ut ſoleo, paulo etiam deterius, quam ſoleo.

Meum erga te animum multis nominibus tibi cognitum eſſe non dubito: ſcis opinor, quam patrem tuum multis ſæpe rebus ornaverim; non te latet, quam toti familiæ tuæ ſemper prodeſſe ſtuduerim, &c.

Horreo, ita me Deus amet, dicere, quam male mihi ceſſerit mea profectio. O, quam non ibi calamitatem vidi! O, quam non inopiam expertus ſum!

Dici non poteſt, quanta tum me, tum omnes tuos voluptate affecerit, pulcerrimus rumor, nuper hic de rebus fortiter abs te geſtis exortus.

Et alii multi ſunt, quos meis neceſſitatibus non defuturos ſperabam; tu tamen imprimis omnium fortunarum mearum, prora & puppis, ut ajunt, ades.

Ex omnibus officiis, quæ in me plurima contuliſti, nullum ſcito mihi pluris eſſe, quam quod operam dederis &c.

Etſi-

Etſi mihi nunquam dubium fuit, quin tibi eſſem cariſſimus, tamen quotidie magis id perſpicio.

Improbum fortaſſe aliis videbitur, mi Plance, eum, a quo tantum beneficiorum acceperim, quantum ne ſperare quidem unquam ſum auſus, rurſum novis precibus ſolicitare: at ego ingenui minimeque ingrati animi exiſtimo, cui multum debeas, ei plurimum velle debere.

Miram ſane rem, & tibi, ut opinor, auditu jucundiſſimam, non potui non ad te perſcribere, cum ſciam te rerum novarum percupidum eſſe: en rem ut novam, ita miram.

Mira auditu nuper ad te ſcripſi; ſed audi θαυμαςότερα.

Ecquod unquam commodius de te bene merendi tempus oblatum eſt? ſemper occaſionem te mihi arctiore amicitiæ fœdere adſtringendi quæſivi, en jam reperi.

Si unquam alias, hoc certe tempore Numen precandum eſt, ut tandem Orbis funeſtis illis disſidiis defungatur.

Etſi ea perturbatio eſt omnium rerum, ut ſuæ quemque fortunæ maxime pœniteat, nemoque ſit, quin ubivis, quam ibi, ubi eſt, eſſe malit: tamen mihi dubium non eſt, quin hoc tempore, bono viro Romæ eſſe, miſerrimum ſit. Nam, etſi quocunq; in loco eſt quisque, idem eſt ei ſenſus, & eadem acerbitas ex interitu Reipubl. & rerum ſuarum, tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec avertere a miſeriis cogitationem ſinunt.

Ingenii mei pudorem, mi Plance, non ignoras, ſed

ſed quo non adigit mortales vere durum telum neceſſitas?

Scio non temere ſcriptum eſſe ab Ennio.

Accepi literas tuas, quibus erat ſcriptum.

Accepi a te aliquot literas uno tempore, quas tu diverſis temporibus dederas, in quibus &c.

Binas a te accepi literas, eodem exemplo, quod ipſum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ: intellexi enim te laborare, ut ad me mihi exſpectatisſimæ literæ perferantur.

Accepi literas a te binas, ad quas his unicis reſpondebo.

Magno dolore affecerunt me tuæ literæ, quibus ad me ſcribis.

Accepi literas tuas plenas humanitatis & æquitatis.

Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi &c.

Seculum exiſſe ſcribis, quod ne litera quidem a nobis adfertur. Quanquam inſignis ὑπερβολὴ, nam ſeculum iſtud vix trimeſtre; tamen ut me ſine culpa incuſari doleo, ita tuo noſtri deſiderio majorem in modum delector.

Vt primum otium & tempus ſcribendi nactus ſum, duxi eſſe reſcribendum eis literis, quas ego abs te ſuperioribus diebus accepi binas.

Gratæ mihi tuæ literæ fuerunt, ex quibus intellexi, quod etiam ſine literis arbitrabar, te ſumma cupiditate affectum eſſe videndi mei.

Epiſtola tua ſuaviter & amanter imprimis, eademq; elegantiſſime conſcripta, memoriam mihi noſtræ conſuetudinis, tuæque virtutis & humanitatis vehementer auxit.

Gra-

Grata eſt mihi vehementer memoria noſtri tua, quam ſignificaſti literis, eam ut conſerves, non quod dubitem de tua conſtantia, ſed quia mos eſt ita rogandi, rogo.

Gratiſſima mihi tua fuit Epiſtola, quæ teſtabatur, veterem illum in me animum: meus vero cur mutatus eſſet, nulla eſt cauſa.

Accepi literas tuas, & ſuaves profecto, & eruditas: quibus non aliter ſum oblectatus, atque olim tua conſuetudine, cum eſſem apud te.

Gratæ mihi tuæ literæ fuerunt: imo vero & exoptatæ, quæ mei apud te memoriam reſidere, mihi indicarunt.

Quo magis præter ſpem acciderunt, hoc gratiores fuerunt tuæ literæ mihi, non ſemel votis ardentiſſimis exoptatæ.

Gratum erat tuum munuſculum, gratior epiſtola tam amica; gratiſſimus animus.

Accepi literas tuas, imo meros amores: quid enim aliud ſonant? quid aliud ſpirant?

Quo minus exſpectatæ venerunt tuæ literæ, hoc mihi plus voluptatis attulerunt.

Jam dies octavus agitur, aut plus eo, cum optatiſſimas abs te accepi literas.

Accepi Epiſtolas tuas, aliam alia jucundiorem.

Literæ tuæ perbreves, ſed amoris humanitatisque pleniſſimæ, hoc mihi etiam fuerunt jucundiores, quod manu tua ſcriptæ.

Etſi nihil habeo hoc tempore ſcriptione dignum, ad te præſertim, cui publicis curis negotiisque occupato, non eſt temere ſcribendū quicquid in buccam venerit: ſingularis tamen amor in me tuus effecit, ut quidvis potius loquerer, quam omnino tacerem. Pri-

Pridie, quam has ſcriberem, jam alium quendam literis ad te datis oneraveram, verum certius exiſtimavi, ſi quid forte fortuna accidiſſet, alteras per hunc addere, non iisdem quidem verbis, ſed eodem pene argumento.

Quærenti mihi jam diu, quid tibi potiſſimum ſcriberem, non modo certa res nulla, ſed ne genus quidem literarum uſitatum veniebat in mentem.

Etſi quid ſcriberem, non habeo; tamen amico ad te eunti non potui nihil literarum dare.

Copioſiſſimam ad te Epiſtolam ſcribere geſtiebat animus, ni & otium deeſſet, & propediem vos ipſe videre decreviſſem.

Formulæ exordiendi ex abrupto.

DEum immortalem! quid ego audio?
Hui, quis te tam virum credidiſſet!
Eho, quid ais obſecro?
O caſum mirificum ſane hodie!
Vin' ridere? En tibi argumentum.

Formulæ hortandi ad mittendum literas.

TV velim, & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quam diligentiſſime certiorem.

Velim quam ſæpiſſime mecum per literas colloquare, etiamſi rem, de qua ſcribas, non habebis.

Velim diligentius omnia, quæ putaris me ſcire opus eſſe, perſcribas.

Quoties habebis, cui des ad me literas, nolim prætermittas.

Scri-

Scribe ad me, quid agas, & a nobis quid fieri aut curari velis.

Facito nos ſtatim, quid conſtitueris, & quid agas, ſi tibi videbitur, certiores.

Tu velim ad nos ſæpe ſcribas, ſi rem nullam habebis, vel quod in calamum venerit, ſcribito.

Abſentiam noſtram crebris literis ſarciamus.

Crebris nos literis appellato, quibus omni de re me erudias.

Velim quam ſæpiſſime mecum per literas colloquare.

Tu etiam atque etiam cures, ut valeas, literasq; ad me mittas, quotiescunque habebis cui des.

Majorem in modum te rogo obſecroque, poſthac tantillum tuis ſtudiis, negotiisque tuis ſuffurere, quo me nonnunquam literis compelles.

Tu velim ad me frequenter ſcribas, etiamſi nihil magnopere ſit, quod ſcribas. Quanquam hæc ejusmodi ſunt tempora, ut Epiſtolæ argumentum deeſſe non poſſit.

Doleo intermiſſam eſſe tamdiu inter nos conſuetudinem dandi literas, quæ mihi erant multo jucundiſſimæ. Rogo te, quod quidem utriusque noſtrum fiat commodo, ut ad eam revertamur.

Nimium jam diu eſt, ex quo nihil ad te literarum dedi, cum neque libentius faciam quidquam, quam loqui tecum per literas, ubi coram non datur: & tu in intimis ſenſibus ſis infixus: ſed indicabo tibi, quæ me ratio deterruerit.

Scire cupio quid agas, & quam longum iſtum tuum diſceſſum a nobis futurum putes.

Certior per te fieri cupio, num jam advenerit Dux veſter, aut quam mox expectetur adfuturus.

Tu velim ad me quam ſæpiſſime, & de tuis rebus, & de meis,& de omni Reip. ſtatu, de quo ſum ſolicitus,ſcribas.

Non potui, quin ſciscitarer ex te per literas, quid ageres rerum,& quid valeres? quod tamen æquius fuerat me cognoſcere ex tuis literis, tuæque in illis erga me benevolentiæ habere teſtimonium. Nec tamen puto me tibi ex animo effluxiſſe.

Quid eſt,mi Semproni, quod cum jam plus minus denas ad te dederim literas, tu unis vix reſponderis? Adeone refrixit tua erga me vetus amicitia, ut ne quidem me ſalutatione digneris?

Centenas jam ad te literas dedi: tu,ne unas quidem reddidiſti: quid conjectem? quid divinem? vivere te an ſepultum eſſe?

Formulæ exprobrandi raritatem Literarum.

JAm pridem nullas abs te accipio literas: ego vero binas ad te dedi eodem exemplo, de quibus nihil addubito, quin alteræ ſaltem ſint redditæ, quæ erant bene longæ, & multis de rebus, quas ipſe,ni fallor,cupiebas cognoſcere.

Omnia enucleate ad te ſcripſi, ſed me illa cura ſolicitat angitque vehementer, quod dierum jam amplius decem intervallo,nihil a Cæſare, nihil ex iſtis locis, non modo literarum, ſed ne rumoris quidem affluxit.

Breves tuæ literæ, breves dico, imo nullæ, tribusne verſiculis his temporibus Brutus ad me?

Etſi magnam mihi puto fieri injuriam, quod tot epiſtolis provocatus,nihil reſpondiſti: humanius

nius tamen eſſe duxi, officio, quam ſilentio rependere injuriam.

Iraſcor, & graviter iraſcor, quod a te jam literæ nullæ. Exorare me potes uno modo, ſi nunc ſaltem plurimas & longiſſimas miſeris: hæc mihi ſola excuſatio vera, cæteræ falſæ videbuntur.

Demiror, te jamdiu nihil ſcribere, neque enim opinor te ſic occupatum, ut non vacarit, neque tam fortunæ ſucceſſu elatum, ut veteres congerrones faſtidias.

Exſpectanti mihi abs te quotidie literarum aliquid, ſeculum pene præteriit, & multæ ad te ſcribendi occaſiones, e manibus elapſæ.

Tu licet mutus ſis, ego tamen non deſinam frequentibus tibi Epiſtolis obſtrepere, & te amabo, ſi me contempſeris etiam.

Video te occupatiſſimum eſſe, qui ad quaternas meas literas non reſponderis.

Jampridem nihil abs te accipio, quod non contigit ſine magna mea ſolicitudine: non, quod exciderim tibi: nihil enim minus eſt mihi abs te metuendum: ſed ne incommodiore valetudine impediaris. Tu ſi me amas, exime mihi hanc curam, ſeu anxietatem verius, ſi non crebris literis, certe crebra ſalutatione, per eos, qui proficiſcentes huc, te convenerint.

Formulæ quibus reſpondetur exprobrationi de raritate literarum.

ACcuſaſti me per literas gravioribus verbis, quam tua conſuetudo ferebat.

Nos aliquando objurgare deſine.

Ad

Ad omnia accipe, & cognoſce quæſo æquitatem expoſtulationis tuæ.

Neque alia fuit ulla cauſa intermiſſionis literarum, niſi quod ubi eſſes, plane neſciebam.

Nollem te exiſtimare aut negligentia fieri mea, aut oblivione noſtræ veteris amicitiæ, ut raras ad te dem literas: non enim ea cauſa fuit, ſed quod &c.

Non committam poſthac, ut me accuſare de Epiſtolarum intermiſſione poſſis, tu modo videto in tanto otio, ut mihi par ſis.

Vereor, ne literarum a me officium requiras, quas tibi & jam pridem & ſæpe miſiſſem, niſi quotidie lætiora, quæ ad te ſcriberem, expectarem.

Segniorem me facit ad ſcribendum non oblivio tui, ſed quod me deterreant Epiſtolarum veſtigia, omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Formulæ excuſandi literarum tarditatem.

Mirabetis, & quidem non injuria, reſponſum a me literis tuis multo ſerius, quam tu fortaſſe deſiderabas, & ipſæ literæ tuæ merito poſtulabant. Id cur ita evenerit, paucis accipe. Iturus erat iſtuc Vulturius noſter &c.

Non licuit mihi id, quod vehementer optavi, aut celerius aut uberius ad te ſcribere. quod adverſa valetudine menſem amplius afflictatus, in hunc usque diem convaleſcere adhuc omnino non potui.

Diſtuli tuis reſpondere literis, quod exiſtimavi fore, ut præſens præſentem amplecteretur.

Non

Non eſt quod ſuccenſeas nobis, ſi aliquanto tardiores fuerimus in ſcribendo, multa fuere impedimenta.

Noli mirari, ſi tuis ſane jucundis mihi & ſuavibus literis, ſerius reſpondi, quam æquum fuit.

Allatæ ſunt mihi tuæ literæ aliquanto ſerius, quam dierum ratio poſtulabat: quibus in literis facile amorem tuum erga me & memoriam veteris noſtræ conſuetudinis recognovi: ſed quo minus ad eas celeriter reſponderim, publica negotia, quæ nos hic anxios & ſolicitos habent, aliquandiu retardarunt.

Quod tam temporis longo intervallo nihil ad te dederim literarum, excuſationem accipe, non peccati, ſed ſilentii. Pudet quidem me tam diu nihil ſcripſiſſe; ſed profecto, ſi ſcias, quantis hic diſtinear occupationibus, facile habeas ſilentio meo veniam.

Puto tibi moleſtum jam eſſe ſilentium meum, at mihi ſilentii cauſa longe moleſtior: nam toto fere biennio, neque corpori valetudo, nec animo quies contigit: ita, qui abſentes amicos literis ſalutem colere conſuevi, jucundiſſimam mihi conſuetudinem intermittere, & in officii curſu languere ſum coactus.

Etſi pudet me poſt diuturnam ceſſationem nunc ad te ſcribere: tamen non dubito, quin pro tua in amore conſtantia, meæ, ſi qua fuit, negligentiæ, benignus interpres ſis futurus, præſertim cum nihil eſſet privati, quod ſcriberem, publica vero omnia copioſe ab aliis ad te perſcribi non ignorarem.

Longum intervallum eſt, cum literas ad te dedi nul-

di nullas, quod accidit non remiſſione obſervantiæ in te meæ, nec oblivione virtutis, humanitatis & benevolentiæ erga me tuæ: ſed quia multis & moleſtis occupationibus impeditus, alia quoque officia permulta deſerere coactus ſum.

Diu eſt, quod nihil ad te dedi literarum, non oblivione amicitiæ noſtræ, ſed, quod cum nihil haberem, quod ſcriberem, tua lectione dignum, nullas volui potius, quam inanes eſſe meas literas.

Nunc vero cum ſe mihi occaſio & prope neceſſitas quædam obtulerit ſcribendi ad te, libenter hac opportunitate uſus ſum.

Non oblivione amicitiæ noſtræ, neque intermiſſione conſuetudinis meæ, ſuperioribus temporibus ad te nullas miſi literas.

Quod epiſtolæ tuæ non reſponderim, mi Celſe, non voluntas in cauſa fuit, quæ eſt erga te, ut potuiſti cognoſcere, profecto ſumma, ſed valetudo adverſa mea, quæ per ingentes dolores, tum corporis tum animi vires valde afflixit. Neque nunc ſcriberem, niſi vererer, ne quid tu de immutata mea erga te voluntate ſecus ſuſpicarere, quam res habet, & ego vellem: cupio enim, ut intelligas, me in ratione iſta amicitiæ paria tecum facere, & tantopere amantem non mediocriter redamare.

Etſi ratio officii mei poſtulabat, ut poſt tuum a nobis diſceſſum, crebras ad te literas darem, quibus & de rebus publicis, & de privato rerum ſtatu, fieres certior, neſcio tamen, quo pacto factum eſſe dicam, ut cum dies nullus eſſet, quo non id facere cogitarem, omnes tamen, re, ut ita dicam, infecta elaberentur.

Ego ad te propterea minus ſcribo ſæpe, quod certum

certum non habeo, ubi ſis, aut ubi futurus ſis: huic tamen, neſcio cui, quod videbatur is te viſurus eſſe, putavi dandas eſſe literas.

Formulæ excuſandi literarum brevitatem.

PLuribus verbis ad te ſcriberem, ſi aut tua humanitas longiorem orationem expectaret, aut res verba deſideraret, ac non pro ſe ipſa loqueretur.

Vereor ne putidum ſit ſcribere ad te, quam ſim occupatus: ſed tamen ita diſtinebar, ut vix huic epiſtolæ tempus habuerim, atque id ereptum e ſummis occupationibus.

Tam multum eſt, quod ſcribam, ut nec initium inveniam, nec exitum:

Copioſiſſimam ad te ſcribere epiſtolam geſtiebat animus, ni & otium deeſſet, & propediem vos ipſe viſere decreviſſem.

Ad literas tuas mihi longe gratiſſimas, tribus verbis reſpondebo, velut occupatiſſimus.

Brevitas tuarum literarum, me quoque breviorem in ſcribendo facit; & vere ut dicam, non ſatis occurrit, quid ſcribam.

Scribam ad te pluribus alias, cum plus otii nactus ero. Oro, obſecro, ignoſce; non poſſum plura ſcribere.

Hæc ſcripſi feſtinans, ſubito, raptim, raptiſſime, ex tempore, plus quam ex tempore.

Cum plus otii nactus ero, uberiores a me literas expectato.

Habes epiſtolam plenam feſtinationis & pulveris.

Sum brevior, quod, ut ſpero, coram quæ volumus, brevi conſerre licebit.

Quid præterea ſcribam non habeo, & eram in ſcribendo conturbatus.

Pluribus ad te ſcriberem, ni mihi dolor facultatem mentis ademiſſet.

Pluribus verbis tecum agerem, niſi pro me res ipſa loqueretur.

Ignoſces brevitati mearum literarum: nam celeriter una futuros nos arbitror.

Plura me ad te de hac re ſcribere pudet, ne videar amicitiæ noſtræ diffidere.

Formulæ excuſandi literarum longitudinem.

HAbes Epiſtolam, verboſiorem fortaſſis, quam velles: quod tibi ita videri putabo, niſi mihi longiorem remiſeris.

Longius me provexit dulcedo quædam tecum loquendi, ſed jam finem faciam, ne modum, quem etiam orationi adhibendum puto, excedam.

Hæc ſcripſi ad te pluribus verbis quam ſoleo, non otii abundantia, ſed amoris erga te, quo me quadam epiſtola invitaras.

Velim mihi ignoſcas, quod tanta harum prolixitate te pene obtundam: otiabar jam enim, & tuas volebam elicere.

Hæc amore magis impulſus ſcribenda ad te putavi, quam quod arbitrarer te monitis & præceptis meis egere.

Hæc ad te ſcripſi fortaſſe pluribus verbis, quam neceſſe fuit, benevolentia magis adductus, quam quod res ipſa poſtularet.

Sed

Sed jam modum, aut finem potius ſcribendi faciam: modum enim Epiſtolæ jam diu multumque exceſſi: valebis igitur.

Sed provehor longius, quam volebam, & charta me deſerit, ut vides, ſuaviſſime tecum colloquentem. Fac igitur valeas.

Sed jam ultra metas Epiſtolam porrigo, dum tui amore, mei ipſius oblitus, rapior. Vale igitur, & nos, ut ſoles, dilige.

Sed de his quoque ſatis. Extremum eſt, ut te orem, ut me tui amantiſſimum diligas abſentem, & cum opus erit, tuo patrocinio protegas ac tueare. Vale.

Formulæ alios commendandi.

HVnc tibi commendo ea commendationē, quæ poteſt eſſe diligentiſſima.

Hunc tibi co͞mendo non minore ſtudio, quam ſi rem meam commendarem.

Eum tibi ita commendo, ut homines grati ac memores, bene de ſe meritos co͞mendare ſolent.

Vehementer te rogo, ut eum auctoritate tua, qua plurimum vales, conſervatum velis, & cures, ut intelligat, hanc meam commendationem maximo ſibi apud te adjumento & ornamento fuiſſe.

Ita peto, ut majori ſtudio magisve ex animo petere non poſſim, ut ei omnibus in rebus, quantum tua fides patietur, ſuccurras.

Commendo tibi eum non vulgariter: ſed ita prorſus, ut quos diligentiſſime valdeque ex animo ſoleo.

Gratiſſimum mihi feceris, ſi eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere poſſit.

Totum denique hominem tibi ita trado, de ma-

nu (ut ajunt) in manum tuam iſtam, & victoria & fide præſtantem.

Cujus tibi negotia ita commendo, ut majore ſtudio magisque ex animo commendare non poſſim. Pergratum mihi feceris, ſi dederis operam, ut is intelligat, meas apud te literas maximum pondus habuiſſe.

Tam mihi gratum id erit, quam quod gratiſſimũ.

Tuæ fidei, juſtitiæ, bonitatique illum comendo. Pro noſtra ſumma neceſſitudine, parique inter nos & mutua benevolentia hoc abs te peto.

Vehementer te rogo, cures, ut ex hac commendatione mihi Cuſpius, quam maximas, quamprimum, quam ſæpiſſime gratias agat.

Hoc mihi cum gratiſſimum feceris, tum viros optimos, homines honeſtiſſimos, eosdemque gratiſſimos, & tua neceſſitudine digniſſimos, ſummo beneficio in perpetuum tibi, tuisque devinxeris.

Ex ipſius præterea gratiſſimis & humaniſſimis moribus confirmo tibi, eum te, quem ſoles fructum a bonorum virorum officiis expectare, eſſe capturum.

Pergratum mihi feceris, ſi eum, quod ſine moleſtia tua fiat, qua in re opus ei fuerit, juveris. Id & mihi vehementer gratum erit, & poſtea tibi jucundum.

Hominem enim ſumma probitate, ſumma humanitate, ſummaque obſervantia cognoſces.

Hunc in tuam fidem ita recipias, ut ipſe intelligat, nullam rem ſibi majori uſui aut ornamento, quam meam commendationem eſſe potuiſſe.

Quem nos, & quia tuus, & quia dignus te filius, & quia nos diligit, ſemperque dilexit, imprimis amamus, charumque habemus. De

De ipſo Sempronio tantum tibi polliceor, te majoris animi, gravitatis, conſtantiæ, benevolentiæ erga te, ſi complecti hominem volueris, habiturum eſſe neminem.

Si quid in te reſidet amoris erga me, id omne in Pharetrati negotio oſtendas. Hoc mihi gratius facere nihil poteris.

Peto abs te pro noſtra neceſſitudine conjunctiſſima, pluribusque officiis paribus ac mutuis, ut voluntate, autoritate, ſtudio tuo perficias, quo Marcus Annejus intelligat, te & ſibi amicum eſſe, quod non dubitat, & multo amiciorem his literis eſſe factum.

A te hoc omni contentione peto, ſic ut majore cura, majore animi labore petere non poſſim, ut ad ea quæ tua ſponte, ſine cujusquam comendatione faceres, in hominem tantum & talem calamitoſum aliquem afferant cumulum meæ literæ, quo ſtudioſius eum quibuscunque rebus potes, juves.

Si me amas, cura, elabora, perfice, ut Plancus & mihi, & tibi, quam maximas agat gratias. Hoc te ita rogo, ut majore ſtudio non poſſim.

Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod ſine moleſtia tua facere poſſis, ei comodes, habeas in numero tuorum, perficiasque, ut intelligat, has literas meas ſibi magno uſui fuiſſe: erit id mihi majorem in modum gratum.

Comendo tibi majorem in modum adoleſcentes, omnibus optimis artibus ornatos, meos pernеceſſarios, tua amicitia digniſſimos.

Si ulla apud te mea comendatio valuit, quod ſcio multas plurimum valuiſſe, hæc ut valeat, ro-

go. Quod ſi eos honorifice liberaliterque tracta-ris, & tibi graviſſimos optimosque adoleſcentes adjunxeris,& mihi gratiſſimum feceris.

Quare velim quicquid in te eſt ſtudii, laboris, conſilii, ingenii, quicquid auctoritate, fide,conſtantia poteris, id univerſum ad illius negotia, quæ iſthic plurima & magnis implicata controverſiis habet,illi pollicearis & deferas. Amicitiæ noſtræ fiducia peto a te,ut nullum ſtudii, officiiq; munus in hoc viro augendo prætermittas: quod eo ſtudioſius facies,quo mihi es carior.

Hic cum intelligeret, in aliqua me gratia atque auctoritate apud te eſſe,voluit meis quoque literis tibi fieri commendatior. Quare, ut eum tuis opibus,ſtudiis atque auctoritate, qua apud omnes plurimum vales,augeas atque ornes, majorem in modum a te peto, atque gratia contendo: hoc tuum officium ita gratum mihi erit,ut majus a te beneficium mihi dari poſſe non ſperem.

Hunc tibi ſic comendo,ut quicquid in te amoris erga me tui reſidet ac benevolentiæ,id totum in illum, cujus gloriæ ac fortunis mirabiliter faveo, conferas: quod te facturum & mea, & illius cauſa confido.

Qui hanc ſuam cauſam ad te defert,magna amicitia mihi eſt conjunctus,& valde carus: eum tibi comendo ſic,ut tua fides & meus pudor poſtulat: tantum ut faciles aditus ad te habeat, quæ poſtulabit æqua, ut jubente te impetret, ſentiatque meam ſibi amicitiam imprimis prodeſſe.

Huic perſuaſum eſt,& te apud principem,& me apud te plurimum valere: & de te quidem haud fallitur, de me ne fallatur, non tam promeritus ſum,quam cupio.

For-

Formulæ commendandi ſeipſum.

QVare ut alia, ſic me vel maxime tuæ amicitiæ benevolentiæque, conſilio, & poteſtati permitto.

Nunc tibi omnem rem atque cauſam, meque totum commendo atque trado.

Quare me tibi commendo, atque oro, ut quod facis, me & meos benigne tueri velis.

Me totum, & mea meosque commendatos habebis.

Sum commiſſus veſtræ fidei, permiſſus veſtræ poteſtati.

Me tibi dedo, addico, adſtringo: omnium nervorum ac laborum meorum potiſſimum fructus uberes diuturnosque capies.

Tuæ auctoritati ſum totus deditus.

Ego in tua me poteſtate, tutela, ac fide pono atque permitto.

Omnia mea jura, commoda, auxilia, fortunas, famam deniq; in tuo arbitrio, in tua auctoritate, in tua ſententia colloco.

Tibi negotia mea, opes, fortunasque omnes commendo, tibi committo exiſtimationem ac ſpem reliquæ vitæ.

Summa a te gratia contendo, ut omnibus in rebus cauſæ meæ defenſionem ſuſcipere velis.

Id tibi perſuadeas velim, omne meum perfugium in his afflictæ fortunæ reliquiis, in tuo poſitum eſſe præſidio.

Singularis tua humanitas mihi hanc fiduciam miniſtrat, ut, tametſi nihil promeritus, audeam tamen tuum officium libere requirere.

Quod meis te literis appellare ſim auſus, non tam impudentiæ meæ, quam tuæ, quam ab omnibus prædicari audio, benevolentiæ adſcribere debes.

Cum ex tui ſtudioſſimis eum te eſſe intellexiſſem, qui non ſolum oblatas amicitias diligenter coleres, verum tua ſponte ſoleas etiam alios provocare, tuam amicitiam vehementer ardere cœpi.

Cum neque haberem quod tua magnopere intereſſet a me ſcribi, & te ſcirem ſummis occupationibus aſſidue diſtrictum, tamen faciendum mihi putavi, ut aliquid omnino ad te literarum darem. Ad meum enim officium valde pertinet, te de nobis optime meritum intelligere, & quo te ſtudio colam, & qua tuorum in me meritorum memoriam religione conſervem: quod, ut ſpero, conſequar literarum bono: nam ut remunerari unquam poſſim, ſperare vix audeo.

Nihil eſt, mihi crede, virtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius.

Semper te propter ſummum ingenium, ſuaviſſimos mores, ſingularem probitatem & conſtantiam amavi, ad quem amorem hoc tempore tantum acceſſit, ut mirarer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum, etiam videbatur.

Tuam erga me ſingularem benevolentiam, vel in labore meo, vel in honore perſpexi; totamque domum veſtram, vel ſalutis, vel dignitatis meæ ſtudioſiſſimam, cupidiſſimamque cognovi.

Studium tuum, curaque tua de ſalute mea, nulla me nova voluptate affecit: non ſolum enim uſitatum, ſed etiam quotidianum eſt, aliquid audire de

de te, quod pro noſtra dignitate fideliter atque honorifice dixeris, aut feceris.

Formulæ ad commendationem reſpondendi.

NVmerium libenter accepi in amicitiam, & hominem gravem, & prudentem, & dignum tua commendatione cognovi.

Cratoni re, & verbis oſtendi, quid tua commendatio ponderis haberet. Itaque in intimis eſt meis, cum antea notus non fuiſſet.

Et tu diligenter commendas hominem, & ille mihi viſus eſt dignus, cui tantopere faveas. Sed temporum iniquitas cauſa fuit, quo minus licuerit illi tantum præſtare, quantum volebamus.

Qui mihi tuas attulit literas, ei ego meam omnem operam, ſi qua in re vellet uti, atq; omnino quicquid valeo, tua cauſa detuli. Viſus eſt meam amicitiam plurimi facere, & a me præter eam, nihil expetere, quod illi facillimum, fuit impetrare. Nam, cum omnibus natura pateo, tum vero qui a te diliguntur, amore meo nunquam excludentur.

Ego omne ſtudium atque ingenium conferam, ad gloriam laudemque tuam celebrandam.

Omnes vigilias, curas, cogitationes in tua ſalute figam, defigam.

Conſilio, quantum potero, labore, plus pene quam potero, excubabo vigilaboque pro te.

Me tibi in omnibus rebus affixum habebis, neque a me ulla res, quæ ad te pertineat, negligetur.

Tu velim tibi ita perſuadeas, nullam rem eſſe mini-

minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non carior ſit, quam meæ res omnes.

Quantum literis, quantum ſtudiis, veteribus noſtris delectationibus, conſequi poterimus, id omne ad arbitrium tuum, qui ſemper hæc amaſti, libentiſſime conferimus.

Ego omnia ſtudia, omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem in te fixi & locavi.

Ego, ut me tibi amiciſſimum eſſe, & æqui & iniqui intelligant, curabo.

De mea in te voluntate ſic velim judices, me quibuscunque rebus opus eſſe intelligam, opera, conſilio, ſtudio, rei, famæ, ſaluti tuæ præſto futurum.

Ego, quæ ad te & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſe diligenterque curabo: quæ cum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non aſſequar.

Polliceor tibi ſtudium quidem meum, & operam, ſine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis: gratiam autem & auctoritatem cum exceptione hac, quantum valeam, quantumque poſſim.

Nullum officium erga te hominis amantiſſimi, diligentiſſimi, fideliſſimi prætermittam.

Ego, ut debeo, ad tuas me rationes adjungam, ad tuam voluntatem conformabo.

Ego quid poſſim neſcio: illud tamen tibi polliceor, me, quæcunque ſaluti, dignitatique tuæ conducere arbitrabor, tanto ſtudio eſſe facturum, quanto ſemper tu & ſtudio & officio in meis rebus eris.

Velim

Velim tibi perſuadeas, me nullo loco, tempore, aut caſu, tuæ gloriæ defuturum.

Tuum negotium agam, ſicut debeo, diligenter.

Omni mea cura atque opera providebo.

Omni ope atque opera enitar.

Summo ſtudio diligentiaque curabo.

Defero tibi officium meum, promtamq; omnem voluntatem meam.

Si quid eſt, in quo tibi poſſim gratificari, nihil ſum recuſaturus.

Quæ te velle arbitrabor, facturus ſum omnia cum ſtudioſe, tum libenter.

De me ſic velim judices, me tibi ſemper præſto futurum, me tibi nulla re unquam defuturum.

De me ſic velim judices, quantum ego poſſum, me tibi, ſaluti tuæ, liberisque tuis ſummo cum ſtudio ſemper præſto futurum.

Singula perſequi non eſt neceſſe. Univerſum ſtudium meum, & benevolentiam ad te deferam.

Mea in te omnia ſumma neceſſitudinis officia conſtabunt.

Me tibi non amicum modo, verum etiam amiciſſimum exiſtimes velim. Profecto omnibus meis officiis efficiam, ut ita eſſe, vere poſſis judicare.

De me tibi ſic promitto atque confirmo, me pro tua dignitate, rogando deprecatoris, ſuſcepturum officia atque partes. Omnia volo a me & poſtules, & expectes: vincam meis officiis cogitationes tuas.

Ego, quæ pertinere ad te intelligam, ſtudioſiſſime omnium diligentiſſimeque curabo; tuorumque

que triſtiſſimo meo tempore, meritorum erga me memoriam conſervabo.

Has literas velim exiſtimes fœderis habituras eſſe vim, non Epiſtolæ; meque ea, quæ tibi promitto ac recipio, ſanctiſſime eſſe obſervaturum, diligentiſſimeque facturum.

Hoc exiſtima, neminem te tui amantiorem habere.

Tu ei velim ſcribas, ut nullam rem, neque tam magnam, neque tam parvam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parum me digna videatur.

Quare velim ita ſtatutum habeas, me tui memoriam cum ſumma benevólentia tenere, tuasque omnes res non minori mihi curæ, quam meas eſſe.

Studium, officium, operam, & laborem meum, & pollicitus ſum, & detuli totum.

A me tibi liberisque tuis omnia paratiſſima eſſe confidas velim: id enim & vetuſtas noſtri amoris, & mea conſuetudo in meos, & tua multa erga me officia poſtulant.

Ego, quid poſſim, neſcio, vel potius me parum poſſe, ſentio. Illud tamen tibi polliceor, me quæcunque ſaluti dignatique tuæ conducere arbitrabor, tanto ſtudio eſſe facturum, quanto ſemper tu ſtudio & officio in rebus meis fuiſti.

Quare de omnibus rebus, fac ut quamprimum ſciam, aut conſolando, aut conſilio, aut re juvero.

Quod, quando uterque noſtrum conſecutus eſt, reliquum eſt, ut officiis certemus inter nos, quibus æquo animo vel vincam te, vel vincar abs te.

Tuæ dignitati ita favemus, ut omne noſtrum conſilium, ſtudium, officium, laborem, diligentiam, ad amplitudinem tuam conferámus.

Ita

Ita facillime & Reipublicæ, quæ mihi cariſſima eſt, & amicitiæ noſtræ, quam ſanctiſſime nobis colendam puto, me intelligo ſatisfacturum.

Nullum in te officium, ne minimum quidem, ſine maxima culpa videor poſſe præterire.

Me tuorum conſiliorum adjutorem, dignitatis fautorem, omnibus in rebus amiciſſimum fideliſſimumque cognoſces.

Illud tibi perſuadeas velim, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quæ eſt per ſe ampliſſima, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum & defenſurum. Quod quanquam intelligo, me cum multis eſſe facturum; tamen appetam hujus rei principatum.

Quod tuum judicium, niſi mea ſumma benevolentia erga te, omnibusque meritis comprobaro, ipſe me hominem non putabo.

Nullum officium, nullum certamen, in quo illis prodeſſe potero, intermittam.

Te ita exiſtimare volo, quibuscunque officiis Atticum obſtrinxeris, iisdem me tibi obligatum fore.

Noſtram fidem omnes, & amorem tui abſentis, præſentes tui cognoſcent.

Vt quam rectiſſime agantur, omni mea cura, opera, diligentia, & gratia providebo.

A me autem omnia ſumma in te ſtudia, officiaque expecta. Non fallam opinionem tuam.

Quæ ad me de rebus tuis domeſticis ſcribis, quæque mihi commendas, ea tantæ mihi curæ ſunt, ut me nolim admoneri, rogari vero ſine magno dolore vix poſſim.

Meus animus erit in te liberosque tuos ſemper, quem tu eſſe vis, & qui eſſe debet. For-

Formulæ petendi.

PEto & quæſo. Peto & oro. Peto contendoque. Rogo, obſecro. Oro obteſtorque. Obteſtor & obſecro.

Hoc a te peto & ſum̃e contendo.

Illud unum a te vehementer contendo.

Hoc abs te peto, & pluribus verbis rogo.

Æque a te peto, ac ſi mea negotia eſſent.

Singulari ſtudio abs te contendo: ſic ut nihil unquam magis.

Valde hoc ex animo contendo.

A te etiam atque etiam majorem in modum peto.

Peto a te amicitiæ noſtræ nomine, quam confido apud te plurimum poſſe.

A te etiam atque etiam pro ſum̃a noſtra conjunctione, proque tua in me perpetua & magna benevolentia, majorem in modum peto atque contendo.

Illud te præcipue rogo & obteſtor, pro amore noſtro: Pro noſtra inveterata amicitia: Pro noſtra ſum̃a conjunctione: Pro noſtra ſum̃a neceſſitudine: Pro pari inter nos & mutua benevolentia: Pro tua incredibili in me benevolentia: Pro tuo perpetuo in me ſtudio, meoque in te ſingulari.

Per omnem amorem, quo me complecteris rogo.

Ne me rogantem ſuppliciter, a te rejicias.

Noli pati meas eſſe irritas & inanes preces.

Sit apud te, rogo & obteſtor, precibus meis locus.

Hoc a te ita poſtulo, peto, contendo, ut fortunas in eo meas poſitas putem. Te

Te rogo, quanquam te rogari non patiaris.

Impedior verecundia, ne te pluribus verbis rogem.

Velim exiſtimes, quod a te peto, id ejusmodi eſſe, ut meæ fortunæ omnes agantur, in eo conſiſtant, locatæ, poſitæ, conſtitutæ ſint.

A te magnopere, pro noſtra ſum̃a conjunctione tuaque ſingulari humanitate etiam atque etiam peto, & quæſo, ut quibuscunque rebus potes, (potes autem plurimis) proſpicias & conſulas rationibus meis.

Amicitiæ noſtræ fiducia a te peto, ut abſentem me, quibuscunq; in rebus opus fuerit, tueare, ſi nullum officium tuum apud me intermoriturum exiſtimas.

Te, tuosque, qui tibi conſilio adſunt, oro atque obſecro, ut multis injuriis jactatam atque agitatam æquitatem, in hoc tandem loco conſiſtere & confirmari patiamini.

Quamobrem ſi memorem, ſi gratum, ſi bonum virum, ſi denique dignum tuis beneficiis judicas, hoc a te peto, ut ſubvenias huic meæ ſolicitudini.

Si me diligis, ſi a me diligi vis, ad me literas, ut quamprimum lætitia afficiar, mittito, & reliquum quod eſt promiſſi ac muneris tui, perſolvas mihi velim.

Illud quod polliceris, velim pro tua fide diligentiaque, & pro noſtra non inſtituta, ſed jam inveterata amicitia cures, enitare, ut ſupplicatio nobis decernatur, meque totum, & mea, & meos, com̃endatos habebis.

A te rogo quæſoque, ut mei abſentis famam atq; fortunas in tua fide & patrocinio eſſe patiaris.

Quare, ſi me, ſicut ſoles, amas, ſuſcipe me totum, atq; hoc quicquid eſt oneris atq; muneris, pro mea dignitate tibi tuendum ac ſuſtinendum puta.

Quod ut enitare contendasque, vel potius, ut perficias (poſſe te enim mihi perſuadeo) vehementer te etiam atque etiam rogo.

Si de tua in me voluntate dubitarem, multis a te verbis peterem, ut dignitatem meam tuerere: ſed profecto eſt ita, ut mihi perſuaſi, me tibi eſſe curæ.

Grata mihi eſt vehementer memoria noſtri tua, quam ſignificaſti literis; eam ut conſerves, non quod de tua conſtantia dubitem, ſed quia mos eſt ita rogandi, rogo.

Ego te plane rogo, atque ita, ut majore ſtudio, juſtiore de cauſa, magis ex animo, rogare nihil poſſim.

Peto a te hoc diligentius, quam ſi mea res eſſet, quod eſt honeſtius, de amicorum pecunia laborare, quam de ſua.

Te, mi Plance, pro paterna neceſſitudine, pro noſtro amore, pro ſtudiis & omni curſu noſtro totius vitæ ſimillimo, rogo, & a te ita peto, ut majore cura, majore ſtudio nullo poſſim, ut hanc rem ſuſcipias, enitare, contendas.

A te pro noſtra conjunctione peto, ut meas injurias, quas mihi improbiſſimi hominis profuſa nequitia inuſſit, perinde doleas atque ulciſcaris, ut tuas perſequi ſoles.

Impedior verecundia, ne te pluribus verbis rogem.

Nullam mihi majorem voluptatem adferre, aut pleniore gratia tibi me obligare poteris, quam,

quam, ut meis a te rationibus proſpectum eſſe cognoſcam, quod ut facias, maximopere peto.

Per noſtram te amicitiam oro, ne propter falſas aliorum calumnias, tui erga me amoris voluntatisque propenſionem abjicias.

A te etiam atque etiam pro noſtra ſumma neceſſitudine, proque tua in me humanitate, meaq; in te ſumma & perpetua benevolentia, majorem in modum peto atque contendo, ut laudi meæ atque dignitati ſervias.

Peto a te majorem in modum, ut omnibus in rebus, quantum tua dignitas, fidesque patitur, utilitatibus meis ſervias.

Te autem pro mea perpetua in te obſervantia rogo obteſtorque, ut in hac cauſa majorem rationem voluntatis habere velis, quam vel judicii, vel conſtantiæ tuæ.

Formula reſpondendi Petitioni.

NEque negare audeo, tibi homini amiciſſimo, cujus ego plurimi ſemper amicitiam feci; neque ſi pollicear, præſtare poſſum id, quod a me petis. Premor enim domeſticis oneribus, ut vix ſuſtineam. Peto igitur abs te, meis ut occupationibus ignoſcas, & voluntatem in te propenſam, licet abſit res, tamen ames.

Faciam quod deſideras, tam diligenter, quam libenter.

Quod admones, gratias ago: quod rogas, queror, admoneri enim debeo, ut ſciam, rogari non debeo, ut faciam, quod mihi non facere turpiſſimum eſt.

Amo te, quod verecunde petis, ſed iſtam poſt-

hac verecundiam abjice obſecro, ſi quid aliquando mecum ages. Neſcis quo apud me loco ſis, & quo ego apud te eſſe cupiam. Quod ſi neſcis, aut etiam ſi dubitas, injuriam facis utrique noſtrum.

Formulæ Suadendi.

Tibi ſuadeo, atque etiam rogo.

Tibi imprimis ſuadeo, atque hoc meo etiam jure præcipio, ut.

Hoc tibi agendum cenſeo, ſi meo conſilio parere volueris, ut.

Auctor tibi ſum, ut facias. Me ſuaſore hoc ages.

Hoc conſilium de mea ſententia capies.

Meo ſuaſu in literarum ſtudia incumbes.

Vide, videto, videbis. Etiam atque etiam cogita. Meditare atque cogita.

Contende, quæſo, atque allabora, ut.

In hanc curam incumbe, ut.

Dabis iſtud amori noſtro, ut in eam opinionem ſententiamque te adduci ſinas; quæ cum tuis utilitatibus eſt conjuncta.

Vos & hortor & moneo.

Illud te eſſe admonitum volo.

Te hortor, cum beneficiis tuis, tum amore incitatus meo.

Extra jocum moneo te, quod pertinere ad beate vivendum arbitror, ut te bonis ſemper, probis ac honeſtis adjungas ſocium.

Te hortor, ut omni cura in Rempublicam incumbas: hoc eſt animi, hoc ingenii tui, hoc ejus ſpei, quam habere debes amplificandæ gloriæ & dignitatis tuæ.

Incum-

Incumbe,per Deos immortales , in eam curam & cogitationem , quæ tibi ſummam dignitatem & gloriam affert.

Facies perpetuo, quæ feciſti , ut omnes æquitatem tuam,temperantiam , ſecuritatem,integritatemque laudent.

Hortor vero , ut maneas in ſententia,neve cujusquam vim aut minas pertimeſcas.

Ad curſum iſtum tenendum,quem a prima ætate ſuſcepiſti,adhortor.

Vitam ad certam rationis normam dirigito , & diligenter momenta officiorum perpendito.

Amemus patriam,pareamus Senatui , conſulamus bonis, præſentes fructus negligamus , poſteritati & gloriæ ſerviamus , cogitemus quod erit rectisſimum.

Quid ſit forti atque ſapienti homine dignum, quid gravitas,quid altitudo animi , quid anteacta tua vita,quid ſtudia,quid artes , quibus a pueritia floruiſti,a te flagitent,tu videbis.

Sed præſta te eum , qui mihi a teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus.

Quare magnum fac animum habeas,& ſpem bonam. Ceſſator eſſe noli,& illud γνῶθι σεαυτὸν noli putare ad arrogantiam minuendam ſolum eſſe dictum, verum etiam,ut bona noſtra norimus.

Te adhortor, ut in eam rationem , in qua multi & honore & gloria floruerunt , incumbas : recorderis , virtuti te, non deſidiæ , dignitati , non voluptati , laudi denique,non otio eſſe natum.

Para te,meditare,atque cogita,ut perditiſſimis flagitiis oppreſſam Rempubiicam , in priſtinam vindices libertatem.

Quæ nota turpitudinis non inuſta vitæ tuæ?

Quæ libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore tuo abfuit? Incredibili ſcelere hoc ſcelus cumulaſti.

Tu is non es, ut te aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocet.

Homo ineptus es, & loquax: ſed tibi videris ita doctus, ut etiam magiſtrum aliorum eſſe te putes.

Verbis locupletem te facis, cum tamen nihil præter impudentiam habeas.

Diſcipulos tuos dimidio ſtultiores reddis, quam accepiſti. Nihil apud te, niſi literarum ignorantiam diſcunt.

Sermo tuus habet quandam volubilem & præcipitem celeritatem.

Religionem tu omnem omni flagitio polluiſti, dedecore maculaſti, ſcelere obligaſti.

Quid juvat alios docere, quid ornatiſſimis ſemper verbis de virtutibus loqui prodeſt, ſi te interim ipſe non audias?

Tu eos, quos beneficio proſequi, pietate colere, veneratione ſuſcipere atque obſervare debebas, inaudita crudelitate perdidiſti.

Quem officiis tuis tueri ac colere debuiſti, eum negligendo ingratus impiusque contemſiſti.

Nihil turpius, quam eum, cujus plurimis & neceſſariis uſus officiis ſis, non ſolum non colere, ſed etiam contemnere.

Antonii tanta eſt non inſolentia, ſed immanitas, non modo ut vocem, ſed ne vultum quidem liberum poſſit ferre cujusquam.

Vix adduci poſſum, ut credam, quod mihi de te ab auctoribus, alioquin minime vanis, adfertur.

Eſt

Eſt enim & a mea de te exiſtimatione, & a tuis moribus priſtinis longe alienum.

Carior mihi es, quam ut tibi poſſim iraſci. Sed tamen vehementer & miror & doleo, quod contemto meo conſilio & fideli & ſalutari, in tantum periculum te conjeceris.

Tantus in te meus eſt amor, ut nulla exhauriri poſſit injuria: ſed tamen non commoveri non poſſum.

Hæc ad te ſcripſi liberius, fretus conſcientia officii mei, benevolentiæque, quam a me certo judicio ſuſceptam, quoad tu voles, conſervabo.

Formula reſpondendi Accuſationi.

Accuſaſti me per literas gravioribus verbis, quam tua conſuetudo ferebat.

Nos aliquando objurgare deſine.

Ad omnia accipe, & cognoſce, quæſo, æquitatem expoſtulationis tuæ.

Quod me ſcribis rationibus tuis obſtare, ſic velim exiſtimes, nihil me unquam aut contra rem tuam aut exiſtimationem feciſſe, voluntatemq; tuam commodis meis omnibus antepoſuiſſe: ſed tamen in communibus noſtris negotiis conficiendis magis ſecutum fuiſſe, quod fides me, & dignitas publica, ut facerem, coëgit, quam tua, quæ mihi non mala, ſed nimia viſa eſt, cupiditas.

Suſpicio quædam ſignificatur in tuis literis, & dubitatio tua, de qua alienum tempus eſt mihi tecum expoſtulandi, purgandi autem mei neceſſarium.

Hæc volui per literas, ut haberes, quod diceres, ſi quando in vituperatores meos incidiſſes.

In quo ſi peccat, magis ineptiis, quam improbitate peccat.

Tibi graviſſimo atque integerrimo viro, rationem mei facti probabo.

Qui poſſum ſermones iniquorum effugere?

Me hujus criminis nemo unquam inſimulavit.

Sapientiſſimi homines interdum etiam lapſi ſunt.

Nemini injuſte periculum creavi, nemini innocenti calamitatem.

Si me virum bonum, ſi dignum iis ſtudiis, eaque doctrina, cui me a pueritia dedi, ſi ſatis magni animi, non minimi conſilii in maximis rebus perſpectum habes, nihil in me non modo perfidioſum & inſidioſum, & fallax in amicitia, ſed ne humile quidem aut jejunum debes agnoſcere: ſin autem me aſtutum & occultum libet fingere, quid eſt, quod minus cadere in ejusmodi naturam poſſit, quam florentiſſimi hominis aſpernari benevolentiam?

Neque alia fuit ulla cauſa intermiſſionis literarum, niſi quod, ubi eſſes, plane neſciebam.

Conſcius mihi eram, nihil a me commiſſum eſſe, quod boni cujusquam offenderet animum.

Amabo te, mi frater, ne, ſi uno meo facto & tu & omnes mei corruiſtis, improbitati & ſceleri meo potius, quam imprudentiæ id aſſignes: nullum eſt meum peccatum, niſi quod iis credidi, a quibus nefas putaram eſſe', me decipi, aut etiam quibus ne id expedire quidem arbitrabar.

Opinionem falſam de me in veſtris mentibus concepiſtis, quam ratio ipſa labefactabit, & veritas extorquebit.

Nemi-

Neminem unquam aut re, aut verbo, non vultu denique offendi.

Quid dictum a me cum contumelia? quid non moderate? quid non amice?

Quo auctore iſta proferuntur? unde iſta erumpunt?

Quod ſi toties ſim tibi literis purgandus, quoties illi falſo inſimulabunt, & ego ſcribendo, & tu legendo defatigaberis.

Libet ex univerſo hominum contubernio in extremas fugere ſolitudines, quoties illorum hominum mores in mentem veniunt, qui ad hoc unum ſe natos arbitrantur, ut alienam innocentiam, ſua putida mendacique lingua contaminent.

Ais, te feciſſe amico animo; ſed mea quid refert, utrum me amice jugules, an inimice?

Quid ergo iſtis maledicentiſſimis nebulonibus, qui noſtræ benevolentiæ invident, ac ſemper aliqua comminiſcuntur, quo eam vel extinguant, vel diminuant, imprecer, niſi ut penitus obmuteſcant?

Quod mandata tua, ita, ut tu juſſeras, & ego receperam, nondum peregi, facultas mihi hactenus defuit, non voluntas.

In hoc tibi Jovem lapidem jurare non dubitem, me inſciente facta omnia.

Sancte tibi dejero.

Formula Comminandi.

SI pergas maledictis me provocare, contumeliarumque in me aculeos excutere, ita viciſſim mea in te tela conjicientur, in tuis ut pulmonibus & viſceribus adhæreant.

Fero-

Ferocitatem iſtam tuam comprimam, audaciam frangam, loquacitatem retardabo.

Niſi iſtam tuam maledicendi libidinem, profuſamque conſtringas ſcurrilitatem, oſtendam eum me eſſe, qui nec dignitatem, nec nominis ſui exiſtimationem ludibrio tuo oblatam eſſe patiatur.

Invitus facio, ut ad tuam impudentiam, nequitiam, furorem, animi mei abjiciam moderationem. Sed niſi humanitate potius mecum, quam injuriis certare velis, cogar & ipſe, in te violentior eſſe, quam vel uſus meus vel natura poſtulat.

Ego tibi iſtam linguæ laſciviam præcidam.

Obtundam iſtam tibi, quæ ſe nunc proterve ac petulanter effert, maledicendi cupiditatem.

Noli hac mea nova lenitate abuti; noli aculeos rationis meæ, qui reconditi ſunt, excuſſos eſſe arbitrari: noli id putare omnino omiſſum a me, ſi quid remiſſum atque conceſſum. Erumpet aliquando ex me vera vox, & dicam ſine cunctatione, quod ſentio.

Formulæ Deprecandi.

ORat, confitetur, purgat, pœnitet. Quid quæris? quod factum eſt, infectum fieri non poteſt. Non tam tibi hoc factum diſplicet, quam ipſi, qui fecit. De reliquo futurum illum emendatum, ego in me recipio, meo periculo pro illo fidejubeo. Si rurſum peccaverit, vel me ipſum ad ſupplicium depoſcito. Vt jure peccanti ſuccenſebas, ita pœnitenti æquum eſt ignoſcere, præſertim puero, & aliena malitia ad delictum impulſo. Non quid hujus ſtultitia, ſed quid tua clementia poſtulet, tibi conſiderandum puto. Eja, ne nimium

um durus ſis pater. Nihilne tu peccas vel ſenex? & puero nihil vis condonare? Vin' tuos continuo ſenes naſci? Adeone excidit, qualis iſta in ætate fueris?

Si quid in te peccavi, ac potius quoniam peccavi, ignoſce. In me enim ipſum peccavi vehementius.

Erravi, temere feci, pœnitet: ad clementiam tuam confugio; delicti veniam peto; ut ignoſcas oro.

Tantum mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata ætatis meæ, ut non ſolum animus a factis, ſed aures quoque a commemoratione abhorreant. Moveat tua te miſericordia, flectat pietas, alliciat humanitas: in commiſerationem denique adducat, cum ſortis humanæ miſeræ & ſemper incertæ, tum communis caſus recordatio.

Veſtræ erit miſericordiæ atque pietatis, Judices, levare hunc miſerum afflictum & in falſa invidia verſatum reum, jacentem, atque iniquis criminationibus oppreſſum, ad ſpem ſalutis erigere atque excitare.

Formula Excuſationem admittendi.

QVod te mihi purgas, accipiendam puto excuſationem.

Excuſationem anguſtiarum tui temporis accipio: ſcio enim, quam ſoleas eſſe occupatus.

Antea tibi nonnihil iraſcebar: nunc ſum vehementer iratus, nec injuria: hæc tua tam diligens purgatio effecit, ut videaris, aut parum noſſe meum ingenium, aut certe de amiciſſimo homine non amiciſſime ſentire.

Quod

Quod te de literarum intermiſſione excuſas, facis tu quidem humaniter: ſed, nihil, mihi crede, opus fuit, ut te apud me eo nomine purgares, qui, & quantis occupationibus diſtineare, novi, neq; de tuo in me amore quicquam dubitavi.

Minime neceſſaria fuit excuſatio.

Cum imprimis tuas literas deſiderem, noli committere, ut excuſatione potius expleas officium ſcribendi, quam aſſiduitate literarum.

Illam partem excuſationis nec agnoſco, nec probo.

Formulæ Querendi.

AMiſimus, mi Pomponi, non omnem modo ſuccum ac ſanguinem, ſed etiam colorem, & ſpeciem priſtinam civitatis.

O rem perditam! O facinus indignum? O me infelicem! quid hoc ſtatu vel deſperatius, vel fœdius?

O miſeram, & brevi tam celerem, & tam variam Reipublicæ commutationem!

O magnum atque intolerandum dolorem! O gravem acerbamque fortunam.

O tempus illud miſerum atque acerbum nobis! O caſum illum multis innocentibus calamitoſum atque funeſtum! O iſtius nequitiam atque turpitudinem ſingularem!

Ita animus multis malis obſtupuit, ut ſenſu etiam moleſtiæ carere cœperit, quod ipſum eſt omnibus miſerius.

Quid quæris? nihil me infortunatius. Nos tamen in his etiam miſeriis, erecto animo, & minime perturbato ſumus, honeſtumque & dignitatem noſtram magna cura tuemur. Dies

Dies autem non modo non levat luctum hunc, ſed etiam auget. Nam cæteri dolores mitigantur vetuſtate, hic non poteſt & ſenſu præſentis miſeriæ, & recordatione præteritæ vitæ, non continue augeri.

Non medius fidius præ lacrymis poſſum reliqua nec cogitare, nec ſcribere.

Luget Senatus, mœret equeſter ordo, tota civitas ſenio confecta eſt, ſqualent municipia, afflictantur coloniæ, agri denique ipſi, tam beneficum tam manſuetum civem deſiderant.

Magno in dolore ſum, vel mœrore potius, quem ex crudeli & miſerabili morte optimi civis moderatiſſimique hominis accepi.

Formula Conſolandi.

SEd ad hæc omnia una conſolatio eſt, quod ea conditione nati ſumus, ut nihil, quod homini accidere poſſit, recuſare debeamus.

Beatiſſimi ſunt, qui liberos non ſuſceperunt; minus autem miſeri, qui his temporibus amiſerunt.

Si tibi quid ex iis rebus, quas tibi fortuna largita eſt, nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id majori illis fraudi, quam tibi futurum.

Tu fac animo forti magnoque ſis, ſperesque fore, ut fracto impetu leviſſimi hominis, tuam priſtinam dignitatem & gloriam conſequare.

Me in ſum̃o dolore, quem in tuis rebus capio, maxime ſcilicet ſpes conſolatur, fore ut infringatur hominum improbitas conſiliis tuorum amicorum.

In multis & variis moleſtiis cogitationibusque meis, hæc unica conſolatio occurrebat, quod nemo

mo tibi amicior, quam ego ſum, quisquam poſſet ſuccedere. Quod ſi tu quoque eandem de mea voluntate erga te ſpem habes, ea te profecto nunquam fallet.

Quando præſtitimus, quod debemus, moderate quod evenit, feramus.

Philoſophiæ magnam gratiam habeo, quæ non modo me a ſolicitudine abducit, ſed etiam contra omnes fortunæ impetus me armat, tibique idem cenſeo faciendum, nec a quo culpa abſit, quicquam in malis numerandum.

Amabo te, advola, & omnem abſtergam dolorem.

Erige animum tuum luctu demiſſum atque oppreſſum, & in his tuis malis, ab animi tui virtute & iñocentia, non autem a ſtultis hominum querelis, doloris tui perfugium pete.

Tu fac bono animo fortique ſis, adverſus invidentis fortunæ ſævitiam, meque tibi nulla in re defuturum eſſe confidas.

Quod cum facies, omnes nos ſolicitudine levaveris.

Tu fac animum fortem habeas, & ea, quæ tibi nunc ſunt adverſa, recte factorum innocentia remiſſius pacatiusque feras.

Hoc ſapientiæ erit tuæ, propter magnitudinem & animi & ingenii, omnia moderate ferre.

Abduc a ſolicitudine animum, & te adverſus omnes ſævientis fortunæ impetus, Philoſophorum more arma.

Cave, ita imbecillo & inhumano ſis animo, ut in communibus miſeriis dolore te atque ægritudine vinci patiaris.

Etſi

Etſi in his meis doloribus ipſe ſum conſolandus, tamen memoria veteris noſtræ amicitiæ, tuaque benignitate admonitus, nolui ullo vel loco, vel tempore ad conſolandum tibi deeſſe.

De patris obitu conſolarer te, niſi perſuaſum haberem, ægritudinem iſtam, quam in aliis lenit, adimitque tempus ipſum, in te ſingulari prudentia tua eſſe ſopitam.

Formula reſpondendi ad Conſolationem.

QVod me conſolaris, ut firmo ſim animo, vellem poſſes aliquid afferre, quamobrem id facere poſſem.

Facile omnes, cum valemus, recta conſilia ægrotis damus. Tu ſi hic ſis, aliter ſentias.

Quod me ſæpe accuſas, cur hunc meum caſum tam graviter feram, debes ignoſcere, cum ita me afflictum videas, ut neminem unquam nec videris, nec audieris. Quibus meam ſalutem cariſſimam eſſe arbitrabar, inimiciſſimis crudeliſſimisque uſus ſum: qui ut me paulum inclinare timore viderunt, ſic impulerunt, ut omni ſuo ſcelere, & perfidia, abuterentur ad exitium meum.

Nolo commemorare, quibus rebus ſum ſpoliatus; non ſolum quia non ignoras, ſed etiam ne ſcindam dolorem meum: hoc confirmo, neque tantis bonis eſſe privatum quenquam, neque in tantas miſerias incidiſſe; dies autem non modo non levat luctum hunc, ſed etiam auget. Nam cæteri dolores mitigantur veſtutate, hic, non poteſt non & ſenſu præſentis miſeriæ, & recordatione præteritæ vitæ quotidie augeri. Deſidero enim non

mea ſolum neque meos, ſed me ipſum. Quid enim ſum? ſed non faciam, ut aut tuum animum angam querelis, aut meis vulneribus ſæpius manus afferam.

Dolor meus non modo non minuitur, cum ſocium adjungis dolorem tuum, ſed etiam augetur.

Quod ſi me caſus iſte non opinatus, ita percuſſet, ut omnino jacerem: excitarer tamen prudentia literarum tuarum; in quibus de luctu minuendo diſputas egregie, tuamque declaras tum homine prudenti dignam bonitatem, tum erga me benevolentiam ſingularem.

Formulæ Nunciandi.

QVo in ſtatu hic omnes ſimus accipe.

Mitto librum quem deſideras, ſerius tamen, quam & tu voluiſti, & ego debebam. Ita, mi Canni, diſtringor occupationibus, ut neque reſpirandi ſit locus.

Coram me tecum eadem hæc agere ſæpe conantem deterruit pudor quidam pene ſubruſticus, nunc exponam abſens, aut tacitus: epiſtola enim non erubeſcit.

Ex eo de toto ſtatu rerum omnium cognoſces, quæ quales ſint, non facile eſt ſcribere.

Quæ gerantur, accipies ex Pollione, qui omnibus negotiis interfuit non ſolum, ſed præfuit.

De omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid actum, quid conſtitutum ſit, quid Pompejus ſuſceperit, optime ex Eupatorio cognoſces, qui non ſolum interfuit his rebus, ſed etiam præfuit, neque ullum officium erga te hominis amantiſſimi, prudentiſſimi, diligentiſſimi prætermiſit.

Iſti puero,quem ad te juſſi recurrere,da ponderoſam aliquam Epiſtolam, plenam omnium non modo actorum,ſed etiam opinionum tuarum.

Hæc tibi ſcripſi,quia æquum erat, te pro amore mutuo,non ſolum omnia mea facta dictaque,verum etiam conſilia cognoſcere.

Scriberem ad te pluribus de rebus; ſed vereor, ne vel mea diligentia ſit moleſta, vel veritas acerba.

Scribito ad me, quem noſti curioſum, non ſolum quid geſtum ſit geraturq; iſthic,verum etiam, quid divines futuum.

Formulæ reſpondendi ad Epiſtolas Nunciatorias.

SCripta & obſignata jam epiſtola, redditæ ſunt mihi literæ a te,plenæ novarum rerum.

Varie me affecerunt tuæ literæ : nam partim læta,partim triſtia continebant.

Reddita tua mihi eſt epiſtola, quæ vel hoc nomine fuit gratiſſima, quod me de rerum tuarum ſtatu erudierit.

Etſi ante certior factus eram literis, nunciis,fama denique ipſa: tamen eadem illa lætiora fecerunt mihi tuæ literæ : non ſolum, quia plenius loquebantur,& uberius, quam vulgi ſermo; ſed etiam, quia magis tibi videbar gratulari, cum de te ex te ipſo audiebam.

Formulæ Gratias agendi.

IMmortales ago tibi gratias, agamque dum vivam: nam relaturum me affirmare non poſſum. Tantis enim tuis officiis non videor reſpondere mihi

mihi poſſe, niſi forte ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo.

Sed tu quid miraris? defuerunt, ſi neſcis, mihi verba, quibus tibi meritas agerem gratias, atque hodie deſunt.

Præſtat tibi animus, quod poteſt, gratam omnium tuorum in me beneficiorum memoriam, vultque tibi debere quam maxime.

Im̃ortales tibi ago gratias, agamque dum vivam.

Ago tibi gratias im̃ortales, ſingulares, mirificas, incredibiles.

Pro opera tam diligenter navata, gratiam habeo, ut debeo, maximam.

Equidem gratiam & habeo, & habiturus ſum, quoad vivam, maximam.

Quibus tibi verbis gratias agam non reperio. Sunt enim in te omnia auguſtiora illuſtrioraque, quam quo conatus mei infirmitas aſpirare poſſit. Ita cum parem benevolentiam navare non poſſim, ſtudium tibi meum, vel agnoſcendo, vel prædicando beneficio, libenter declarabo.

Vtinam illum diem videam, cum tibi agam gratias.

Ago ingentes tibi gratias, quod virtute, conſilio, prudentia tua, periculis ſum maximis liberatus.

Si pro veſtris beneficiis in me im̃ortalibus, parum vobis cumulate gratias egero, quæſo obteſtorq;, ne meæ naturæ potius, quam magnitudini veſtrorum beneficiorum id tribuendum putetis. Quæ enim poteſt exiſtere tanta ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atq; incre-

incredibile genus orationis, quo quis poſſit veſtra in me promerita, non dicam complecti oratione, ſed percenſere numerando?

Gratias agere tibi ſatis ornate nullo modo poſſum.

Ita, fato neſcio quo, contigiſſe arbitror, ut tibi ad me ornandum ſemper detur facultas, mihi ad remunerandum nihil ſuppetat, præter voluntatem.

Cæteris omnibus vinci me patiar, certe benevolentia mutua non cedam. Nam (ut recte dixit Plinius) vinci in amore turpiſſimum eſt.

Hoc quod mihi reliquum eſt, te amabo, te colam, te venerabor: mea enim mihi fortuna eripere potuit, meipſum non potuit.

Hoc certe tibi polliceor, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum & defenſurum.

Tibi igitur, quod ſic de me ſis meritus, perſuadeas velim, in tua me voluntate perpetuo futurum: nullamq; rem eſſe minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi carior non ſit, quam meæ res omnes. Idque cum ſentiam, ſedulitate mihimet ipſi ſatisfacere poſſum, re quidem ipſa ideo mihi non ſatisfacio, quod nullam partem tuorum meritorum, non modo non referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſſum.

In referenda gratia, hoc tibi repromitto, ſemperq; præſtabo, mihi neq; in rebus tuis augendis diligentiam, neque in periculis propulſandis animum, neque in negotiis induſtriam, neque in amicitia conſtantiam fidemq; tibi defuturam meam.

Verbulo duntaxat ſignificato, quo genere officii

cii queam tibi gratum facere; niſi id ſumma cum alacritate protinus aggrediar, nomen meum inter ingratos ſcribito.

Sed, ut unde orſa eſt oratio, eodem terminetur; maximas tibi gratias ago, majores etiam habeo: nam relaturum me affirmare non poſſum.

Formulæ Gratulandi.

NVncius neque optatior, neque jucundior adferri potuit, quam qui nuper eſt de nova dignitate tua allatus.

Lucium tibi generum obtigiſſe, majorem in modum gaudeo, ſperoque & opto, iſtam conjunctionem tibi & voluptati & ornamento fore.

Literæ tuæ ſuaviſſimæ, quibus te novis honoribus ornatum nuncias, tanta me lætitia impleverunt, ut prorſus dubitem, cui potiſſimum gratulari debeam: tibine, cui tanta dignitas nec petenti, ne cogitanti contigerit: an patriæ, quæ talem ſit præſulem habitura: an principi, qui talem conſiliarium: an mihi potius, qui tuis fortunis perinde ac meis delector.

Quod ex itinere difficillimo & diuturna peregrinatione patriæ ſis redditus incolumis, tuo nomine ex animo gaudeo.

Rem tibi ex ſententia tua eveniſſe, incredibile dictu, quantum læter.

Cave putes, te ipſum ex iſta tua fortuna plus cepiſſe voluptatis, quam ego ex literis tuis ceperim, quæ me de nova dignitate certiorem fecerunt.

Omnes iſtam tibi excelſam & admirabilem rerum geſtarum gloriam gratulantur, perpetuamq; tibi fore exoptant.

Migra-

Migrationem & emtionem feliciter evenire volo.

Eum honorem tibi Deos fortunare volo.

Vt ſempiternæ laudi ſit iſte tibi Tribunatus, exopto.

Deos quæſumus, conſilia tua Reipubl. ſalutaria ſint ac tibi.

Formulæ Laudandi Viros.

EST in Democrito ſumma probitas, ſumma virtus, ſumma in hoſpites liberalitas & obſervantia; meq; præ cæteris & colit, & obſervat, & diligit.

Ex literis multorum, & ſermone omnium ad me perfertur, incredibilem tuam virtutem & fortitudinem eſſe, teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari.

Finxit te ipſa natura ad honeſtatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, juſtitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem & excelſum; his etiam acceſſit doctrina.

Ad labores hic impiger, ad pericula fortis, ad uſum, ad diſciplinam peritus, ad conſilia prudens, ad caſus fortunamque felix.

Nullius eſt tantum flumen ingenii, nulla ſcribendi aut dicendi tanta vis, tantaque copia, quæ, non dicam exornare, ſed enarrare Cæſar, res tuas geſtas poſſit.

Te quibus laudibus efferam? quibus ſtudiis proſequar? qua benevolentia conſequar?

Omnes qui iſthinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis ſummis laudibus excipiant unam iracundiam.

Omnia in te ſunt, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur. Domus

Domus tua plena eſt integritatis, officii, & religionis.

Sancte graviterque vivis; tua laus eſt late longeque diffuſa.

Tuam laudem obſcuratura nulla unquam eſt oblivio.

Homo purus, pudicus, humanus, officioſus.

Es diſertiſſimus, & omni doctrina & virtute ornatiſſimus.

Homo ſummis ornamentis honoris, virtutis, fortunæ, ingenii, præditus; & talis eſt vir, ut nulla res talis ſit & tanta, ac tam difficilis, quam ille non & conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſit.

Pompejus, vir omnium, qui ſunt, fuerunt, erunt, virtute, ſapientia, ac gloria princeps.

Quæ eſt ora, quæ ſedes, qui locus, in quo non extent hujus cum fortitudinis, tum vero humanitatis, & conſilii impreſſa veſtigia?

Appius Claud. homo ſummo loco natus, ſummo ingenio, ſumma virtute, officioſiſſimus, & gratiſſimus.

A. Balbus magni animi ſemper, & ad omnes caſus ferendos conſtanter paratus.

Vir primarius, gravis, honeſtus, amans æquitatis, alienus ab omni cupiditate, pluribus maximiſque in rebus probatiſſimus, & omnium exiſtimatione ornatiſſimus.

Nulla res tanta eſt, cujus quidem efficiendæ poteſtas homini conceditur, quam non ille & conſilio regere modeſtia temperare, integritate tueri, virtute conficere, autoritate conſervare poſſit.

Brutus

Brutus vindex libertatis,cuſtos ſalutis communis,ſubſidium afflictæ Reipub. conſervator patriæ.

Judex æquiſſimus,in rebus humanis miſericors, in judicando ſeverus, in teſtimonio religioſus, in conſolando comis,in deterrendo vehemens.

Magnam hujus laudabilis vita,elegans eruditio, & in omnibus diſciplinis mira præſtantia venerationem meretur.

Magnus hujus labor in negotiis, fortitudo in periculis,fides in amicitia,induſtria in agendo, celeritas in conficiendo,

Vir antiqua fide,& inſigni animi probitate; exemplum Religionis, documentum cæteris hominibus virtutis,probitatis,prudentiæ.

Formulæ laudandi ingenuos Adoleſcentes.

ADoleſcens timidus, virginali verecundia præditus.

Filius ſpes parentis,memoria nominis, ſubſidium generis, heres familiæ, deſignatus Reipub. civis.

Te decus patriæ, ornamentum populi, florem juventutis appello.

Adoleſcens illuſtri ingenio,induſtria, & gratia.

Puer incredibili ac divina quadam mente & virtute præditus.

Lectiſſimus atque ornatiſſimus Adoleſcens, ingenuarum artium peritiſſimus, domi ſuæ imprimis nobilis, & illuſtri apud omnes gratia.

Juvenis, admirabili fatorum benignitate, ad gloriam atque dignitatem natus.

Hunc natura ad omnem laudis atque nominis

 nobi-

nobilitatem, magnum atque excelſum produxit, voluntas exercuit, fortuna ſervavit.

Vehemens in hoc juvene ardor mentis, ardens vincendi cupiditas, oratio erudita ac liberalis, & mira quædam ſcriptionis elegantia.

Sum̃a in hoc juvene ſpes, ſumma naſcentis eruditionis expectatio, ſumma indoles ingenii, ſummaq; virtus.

Præclara in hoc juvene ingenii judiciique vis apparet.

Formulæ laudandi Fœminas.

FOemina eximia pulchritudine, ſumma integritate, pudicitiaque ſingulari.

Honeſtiſſima matrona, & omnibus præclaris animi dotibus, omni virtutis genere ac vitæ dignitate præſtans.

Præſtantiſſima fœmina, præclara indole, eximia animi pietate, virtute, gratia; conſtantia admirabili.

Admirabilis in hujus puellæ natura elucet virtutis indoles: multa probitatis ac modeſtiæ ſigna ubique apparent.

Mulier præter ætatem prudens, & ſpectatiſſimæ probitatis; ea denique naturæ cum moderatione, tum bonitate, ut admirabiles amores excitet.

Formulæ laudandi Vrbes.

VRbs omnium gentium, Orbisque terrarum celeberrima: copioſa eruditiſſimis hominibus, liberalibusque ſtudiis affluens.

Aſia opima regio eſt, & fertilis ubertate agrorum, varietate fructuum, magnitudine paſtionis.

Magna eſt hujus civitatis amplitudo; magna nominis ejus dignitas eſt apud omnes gentes. *For-*

Formula reſpondendi ad laudationem.

NOvitii ſumus atque tirunculi, qui ex inſcitiæ tenebris pedem modo movimus, promovimus fere nihil. Benigne nobiſcum agitur, ſi inter ſtudioſorum ordines referamur.

Quas in me laudes confers, quanquam agnoſcere ſalva fronte non auſim, tamen ob id gratiſſimas habui, quoniam cum nec irriſio in iſtos mores, nec adulatio cadat, neceſſe eſt laudatio hæc, aut ex amore in me nimio, aut ex vero proficiſcatur.

Laudes iſtas, quas affatim in me congeris, ſic equidem interpretor, quaſi non me depingere volueris, qualis ſim: ſed optimum exemplar præſcribere, qualis eſſe debeam.

Hoc efficit iſta tua tam magnifica laudatio, ut jam mihi minus incipiam placere, qui plane videam, quantum abſim ab iſta perfectæ virtutis imagine.

Dum iſtam imaginem pingeres, non a me, ſed abs te ipſo ſumebas exemplum.

Sentio quid agas, falſis laudibus iſtis noſtram ignaviam exſtimulare voluiſti.

Ideo ſumma tribuis, non quod ea ſim aſſecutus, ſed quod huc me ſummis viribus velis eniti.

Hoc agis laudando, ut aliquando videar laudandus. Ipſe ſummis ac maximis virtutibus abundet oportet, qui in aliis paucas ac mediocres ſic amat.

Formula Vituperandi.

LAbes, pernicies, & fax es noſtræ urbis.

Nihil aliud ſtudes, niſi ut lutulenta ſus cum quovis volutari.

Hanc

Hanc deterrimam belluam quis ferre poteſt? quid eſt in eo præter libidinem,crudelitatem ,petulantiam,avaritiam,audaciam ? ex his totus conglutinatus eſt : nihil apparet in eo ingenuum , nihil moderatum,nihil prudens , nihil pudens, nihil pudicum.

Deſidiæ ac luxuriæ plenus es.

Pudorem cum pudicitia perdidiſti,homo & humanitatis expers & vitæ communis,& ignarus.

O fœditatem hominis flagitioſam ! O impudicitiam, nequitiam, libidinem non ferendam!

Te non pudor,non pietas, non macula familiæ, non hominum fama ab hac cupiditate revocare potuit.

Homo nequam , acerbus , criminoſus , improbus,turpis,multis flagitiis contaminatus.

Catilina vini,ſomni,ſtupri plenus; madenti coma,compoſito capillo,gravibus oculis , fluentibus buccis,preſſa voce,temulentaque: homo ſine ſenſu , ſine ſapore , elinguis , tardus , inhumanus, neglectus.

Homo omnium ſcelerum libidinumque maculis notiſſimus.

Omnium ſcelerum flagitiorumq; documentum.

Homo es ſine ſpe, ſine fide, ſine fortunis; ore, lingua,manu,vita omni inquinatus.

Impurus,impudens,contumelioſus , ſemper eo contendens,quo furor rapit.

Nulla libido ab hujus corpore,nulla vis a manibus,nullum flagitium a turpiſſimis ſceleratiſſimisque ejus factis abfuit unquam.

Homo omnis turpitudinis exemplum,dedecus adoleſcentiæ , probrum juventutis, ludibrium ſenectu-

nectutis; plenus ſtupri, plenus contentionis, plenus inconſideratiſſimæ temeritatis.

Mulier perdita nequitia, effuſa libidine, inſatiabili cupiditate, arte quadam ad voluptates adoleſcentulorum excitandas accommodata.

Nemo illum aditu, nemo congreſſione, nemo officio dignum judicat; omnes illum tanquam nequam, turpem, improbum, multis flagitiis contaminatum fugiunt.

Nihil in hoc abjectiſſimo pecore virtutis, nihil animi, nihil nervorum: & in tam vaſto corpore tanta judicii eſt inopia ac rationis egeſtas, ut ne mica ſalis quidem ineſſe videatur.

Omnis hujus labor, cogitatio, omnes ſenſus, in obtrectationem famæ alienæ, dignitatisque oppreſſionem ſunt converſi.

Homo plenus faſtus, ſuperbiæ ac contumeliæ, & eo ignorationis atque inſolentiæ progreſſus, nullius ut virtutem, nullius ut laudis atque doctrinæ famam ferre poſſit, omnia præ ſuo faſtu contemnens, repudians, damnans.

Formulæ Jocandi.

SEd hæc jocati ſumus, & tuo more, & nonnihil etiam de noſtro.

Sic vivitur: quotidie aliquid legitur, aut ſcribitur: deinde ne amicis nihil tribuamus, epulamur una. Quare nihil eſt, quod adventum noſtrum extimeſcas: non multi cibi hoſpitem accipies, ſed joci.

Vincebar abs te prius doctrina, vincebar ingenio: ſed vinci tamen lætabar, atq; adeo lætor, quoniam te diligo: quin ob hoc ipſum diligo, quod his vin-

vincor. At nunc & humanitate me vincis. Hoc equidem ferre nequeo, quoniam turpe, ſed jam fero. Nihil enim turpe mihi, quod honeſtum tibi.

Formulæ de re aliqua cum Amicis communicandi.

MAgna de te conſultatio mihi ſuſcipienda eſt, quam tibi literis his exponere volui, cum coram tecum agendi facultas non concedatur.

Prorſus nihil abeſt, quin ſim miſerrimus.

Sed ad primum revertor, quid putes faciendum, occultene aliquo propius veniendum, an mare tranſeundum? Nam hic maneri diutius non poteſt.

Conſiderandum vobis etiam atque etiam, animæ meæ, diligenter puto, quid faciatis, Romæne ſitis, an mecum aliquo tuto loco. Id non ſolum meum conſilium eſt, ſed etiam veſtrum.

Magnopere te hortor, pro tuo ſingulari perpetuoque ſtudio in Remp. ut te ad nos conferas, quo communi conſilio Reip. afflictæ opem atque auxilium feramus.

Teſtatum apud animum tuum relinquam, quid ſenſerim, ut, ſi quando (quod nolim) diſplicere tibi tuum conſilium cœperit, poſſis meum recordari.

Sed tamen, ſi ſciam, quid tu conſtitueris, meum conſilium accommodabo potiſſimum ad tuum; quare expecto tuas literas.

Nemo eſt omnium, qui cum potius mihi, quam tecum comunicandum putem. Nec enim clariſſimorum virorum, quorum ſimiles eſſe debemus, exempla, neque doctiſſimorum, quos ſemper coluiſti, præcepta te fugiunt.

Ego

Ego tuum conſilium, propter ſingulare animi tui de virtute judicium, audire deſidero.

Tibi autem id conſilii do, quod mihimet ipſi, ut vitemus oculos hominum, ſi linguas minus facile poſſumus.

Formulæ Diſputandi.

SI liberius tecum, quam naturæ meæ moderatio, vel etiam uſus poſtulat, agere videar, quæſo obteſtorque, ne id conſuetudini meæ potius, quam hujus diſputationis magnitudini attribuere velis.

Quanquam ego non ingrato animo, ſed obſtinatione quadam ſententiæ, a tuis diſſentiam conſiliis, malo tamen prudentiæ hic, quam vel amicitiæ, vel conſuetudinis noſtræ jacturam aliquam facere.

Tuum mihi omnino quaſi pro lapide lydio judicium debet eſſe. Nam, ut illo purum dignoſcitur aurum ab adulterino, ſic apud me, de tua facile ſententia, verum videtur poſſe falſumque diſcerni.

Quanquam autem abs te tantæ auctoritatis homine, provocatio non eſt, tamen pro tua ſingulari humanitate quæſo, benigne audias, quid ad iſta reſpondeam.

Cupio & de cæteris, quid ſentias audire, tanto majorem tibi adhibiturus quotidie gratiam, quanto ab erroribus me vel ſæpius, vel liberius, vel poſtremo etiam ſeverius vindicaveris.

Quod Cajum redarguis noſtrum, in hoc ego, ut libere agam & amice, longe a te diſſentio. Nec autem verebor ejus viri patrocinium ſuſcipere audacter, qui fuerit de vita & literis tam præclare meritus, præſertim adverſus te, hoc eſt, adverſus eminen-

eminentem Philoſophum, cui nihil veritate ipſa debeat eſſe antiquius.

Hæc habui, quæ tibi pro Cajo (vera ne an falſa neſcio, ſed mihi tamen veriſimilia) objicerem. Quæ, ſi tibi doctiſſimo homini probabuntur, lætabor equidem: ſin minus, expecto jam, quid ad hæc noſtra qualiacunque reſpondeas.

Liceat autem mihi per te, quæ tua eſt in rebus omnibus animi æquitas, ſentire aliud omnino in literis, quam tu ſentias, dummodo nulla inter nos amoris hoc nomine, benevolentiæque mutuæ jactura fiat.

Si quis nos arguat hebetudinis & tarditatis, age amabo, quicunque is eſt, pedem conferat.

Formula aliquid Mandandi.

PRæſtare hoc ratione officii tui debes.

Non mediocris adhibenda eſt tibi cura.

Mandata mea pro tua fide diligentiaque cures.

Tu fac, ut quemadmodum ſoles, & æquum eſt, officio tuo fungare: erit apud me diligentiæ tuæ præmium.

Curabis hæc & diligenter, & quamprimum.

Quod facto tibi videbitur opus, id perinde, ac ſi ego auctor eſſem, exequitor.

Si qua in re ſedulo tuo functus es officio, fac hoc in negotio omnem fidem, induſtriam, diligentiam, ingenium expedias.

Totus in eo eris, ut omnibus de rebus me quamprimum certiorem facias.

Quid agas, & te aucturum quid putes, facito me ſtatim certiorem.

Fac ſciam quid agas, quod ſine ſolicitudine ſumma neſcire non poſſum.

Si quid erit, quod interſit me ſcire, perſcribe ad me diligentiſſime.

Quid futurum putes, ad me perſcribas.

Quicquid erit in te induſtriæ, operæ, diligentiæ, virium, ad hanc rem conferes.

Toto pectore in hoc incumbes, ut honeſtiſſimæ parentum de te expectationi aliquando ſatisfacias.

Formulæ tranſitionum & connectendi.

HAbes de Vatinio, cognoſce de Craſſo.

Vni Epiſtolæ reſpondi, venio ad alteram.

Mea in illum officia tenes: jam quam ille gratiam retulerit, cognoſce.

Sed hæc adhuc puer, jam quæ adoleſcens deſignarit, referam.

Sed hactenus jocati ſumus, veniamus ad ſeria.

Sed triſtia mittamus, revertamur ad lætiora.

Vulnus aperui, nunc remedium oſtendam.

Priori tuæ Epiſtolæ ſatisfactum eſt, ad alteram accingimur.

Quantam rem ſuſceperis, oſtendi: qua ratione perficias, diſce.

Prioribus tuis (opinor) reſpondimus; nunc ad poſteriores me accingam.

De tuis habes, de meis nunc viciſſim accipe.

Sed jam ſatis diu de Repub. ad domeſtica veniam.

Sed hæc corrigi poſſunt, illud ne leniri quidem ulla arte poteſt.

Turpia audiſti: audi turpiora.

Omnibus fere de rebus habes, nunc unum addam.

Conſilii mei rationem habes, nunc, quid te facere velim, aperiam.

Sed jam nimis multa de externis; de noſtris pauca modo memorabo.

Venio nunc ad id, quod neſcio, an primum eſſe debuerit.

Sed hæc hactenus: addam etiam illud.

Sed ad propoſitum redeamus.

Redeamus illuc, unde divertimus.

Redeo ad id, quod primo omiſeram.

At vide ſingulare fraudis genus.

Accipe nunc, quæſo, cætera.

Cognoſce nunc judicium Senatus.

Age vero illa res quantam declarat ejusdem hominis apud hoſtes populi Romani autoritatem.

Antequam doceo id factum, libet mihi conſiderare,

Ac ne illud quidem negligendum eſt.

Hæc quo modo geſta ſint, repetam paulo altius.

Sed, cur diutius te teneo?

Dixi de conſuetudine; age ſis nunc de ratione videamus.

Neque vero illa pax turpior, quam periculoſior videri debet.

Mitto vetera, proxima dicam.

Sed quid ſingulos comemoro? univerſo Senatui id placuit.

Atq;, hujus quidem turpitudinis, periculum comes erit.

Atque ut eorum dementiam cognoſcas.

Nunc conſternor animo, cum periculum ſe ingerit.

Poſſem multa dicere de turpitudine facti.

Jam

Jam de ejus inconſtantia longum eſt dicere.
Jam periculum commemorare quid attinet?
Jam, quid periculi inſit, exequar.
Quæ cum ita ſint, quid eſt, quod dubites?
Quæ cum ita ſint, quæro a te.
Quid, quod præterquam turpitudinem hæc pax habet, præterea periculis plena eſt.
Eſto hoc imperite: ſed vide impudentiam.
De periculo autem ſic habeto.
Deinceps de periculo dicendum erit.
Attende animum ad periculum.
Sequitur periculum.
Sequitur nunc teſtium accuſatio graviſſima.
Neque jam de periculo multa dicenda arbitror.
Ac ne diutius te teneam.
Ac ne ſim longior, ad cætera venio.
Ac ne illud quidem ſilentio prætereundum.
De tribus quæ ab initio propoſueram, erat hoc alterum, quod commune periculum continet.
Sed, quoniam Planci mentionem feci.
Hactenus de turpitudine, nunc de periculo videamus.
Habes quid turpitudinis hoc fœdus habeat.
Neque vero bello tutior ea pax erit.
Neque vero hoc ſilentio prætereundum eſt.
Ecce autem, nunc periculum orationi ſe ingerit.
Exciderat animo Plancus, de quo ſupra ſcribere propoſui.
Geſtit nunc animus de Planco nonnulla ſcribere.
Atque adeo antequam de Planco ſcribo, pauca mihi videntur eſſe de Cæſare ſcribenda.
Quod ad me de Repub. ſcribis, diſputas tu quidem & amanter, & prudenter.

Niſi forte nihil ad opes comparandas conducere literas exiſtimamus.

Venio nunc ad finem epiſtolæ.

Accedit jam teſtium accuſatio.

Quid? nonne teſtes adſunt?

Mitto de periculo dicere.

Finge, nihil virium habere hanc rationem.

Sed ne diutius te teneam.

Ex his intelligis ſummam noſtram miſeriam eſſe.

Hic mihi timor quidam non parvus ſuboritur.

Ac mihi quidem dignum videtur, ut uberius dicam.

Simul & illud cogita.

Juvat nunc de Planco dicere.

Redeo ad Plancum, de quo ante dixeram.

Sed dices.

Sed te dicentem audire videor.

Formulæ longiorem Epiſtolam finiendi.

IN ſumma, Ad ſummam.

Vt uno verbo, ut acervatim dicam.

Vt in pauca multa conferam.

Vt paucis concludam.

Quid verbis opus eſt?

Ne te multis morer.

Vt Laconica utar brevitate.

Ne diutius te teneam.

Non tenebo te pluribus, ponam in extremo quod ſentio.

Sed de his ſatis, metuoque ne tu nimium putes.

Verum, quo provehimur?

Sed, quo delati ſumus? vela contraham.

Sed de his ſatis ſuperque. Jam ad te,o & præſidium & dulce decus meum!

Sed quid ago? dum tecum ſuaviſſime loquor, nulla certa re propoſita,paginam, verbis undique ſua ſponte confluentibus,implevi.

Sed,quid ago? Epiſtolam inſtitueram ſcribere; ea autem creſcit in volumen.

Formulæ concludendi Epiſtolam.

HÆc fere ſunt,quæ in præſentia tibi nota eſſe volui.

Habes,quæ ſciré cupiebas: Vale.

Hæc habebam, quæ te ſcire vellem.

Hæc habui, quæ de his rebus ad te ſcriberem.

Extremum illud eſt,ut te orem & obſecrem.

Finem ſcribendi faciam, ſi te primum monuero ut me diligas.

Plura otioſus: hæc ſubito, & varie diſtractus.

Epiſtolæ clauſula hæc erit; ut benevolentiam in me tuam perpetuo conſerves.

Reliquum eſt,ut a te petam,ut me de rebus tuis omnibus,quam ſæpiſſime facias certiorem, quo nihil gratius expectare a te poſſum.

Formulæ Amicos ſalutandi ſub finem literarum.

FRatribus a me ſalutem plurimam nunciato.

Fratribus ex me ſalutem multam dicito.

Salutato parentes meo nomine.

Eximios viros Plancum & Sabinum, etiam atque etiam a me ſalvere jube.

Amicos omnes, ſed imprimis noſtrum Labienum jubebis a me ſalvere plurimum.

Salvebit a me Labienus, & reliqui, quos iſtic me noſſe putes.

Cajo Labieno meis verbis ſalutem impertias velim, quæque a me proficiſci poſſunt, omnia pollicearis ac deferas.

Totam familiam tuam per te meis verbis ſalutatam volo.

Quæſo ut ſodalitatem totam mihi ſalutes accurate.

Patri tuo & matri multam ſalutem.

Formulæ ſalutandi quempiam alterius nomine.

JVſſit tibi multam adſcribi ſalutem.

Plurimam tibi impertit ſalutem.

Impertiri te juſſit plurima ſalute.

Annunciat tibi ac tuis ſalutem.

Juſſit me tibi ſalutem ſcribere.

Precatur tibi ac tuis omnia feliciſſima.

Precatur tibi omnia evenire proſperrime.

Cajo & Antonio abs te ſalutem dixi, qui lætiſſimi audierunt, remittuntque ſalutem ingenti fœnore cumulatam.

Formulæ excuſandi Epiſtolam negligentius conſcriptam.

HÆc exaravi, multis diſtrictus negotiis, animoque curis valde impedito.

Ex tempore ſcripſi hæc, & incogitantius, alioqui nec meditatus ſatis probus ſcribendi artifex.

Hæc ſcripſi raptim, & plusquam ex tempore, forte oblato tabellario: ſcribam alias accuratius.

Hæc

Hæc ſubito, cum incidiſſem caſu in tabellarium: ſcribam alias accuratius.

Hæc ſcripſi feſtinanter, feſtinans, properans, animo alia cogitante; quod velim ignoſcas.

Hæc in ſumma vacui temporis inopia ſcripſi.

Hæc ſcripſi propere & perturbate, quod ex literis ipſis, & ſenſu facile conjicis. Quæſo feſtinationi meæ, & brevitati literarum des veniam.

Formulæ Valedicendi.

VAle. Valete, Valebis.

Bene vale. Recte vale. Vale feliciter.

Vale rectiſſime. Vale etiam atque etiam.

Da operam, ut valeas.

Valetudinem tuam fac cures diligenter.

Te oro etiam atque etiam, mi frater, ut valeas.

Bene valere te cum omnibus tuis precor.

Vale, & me, ut ſoles, dilige.

Vale, & tui amantem redama.

Fac valeas, meque mutuo diligas.

Vale, & me ſolito amore fac proſequare.

Vale, & huc ad nos quamprimum advola.

Vale, & ſcribe ad me quam frequentiſſime.

Vale, & me tui amantiſſimum viciſſim ama.

Vale, & literarum ſtudiis incumbe diligenter.

Vale, & nos ſæpius tuis literis, ſi eſt otium, ſaluta.

Cura ut valeas, meque ames amore illo tuo ſingulari.

Vale, & ſi me amas, ad nos, ut facis, de rebus omnibus frequenter ſcribe.

Bene vale, doctiſſime Vir, cui me totum quantus ſum, dico conſecroque.

Valete mea deſideria, valete.

Vale, & boni conſulas, has literas plusquam extemporarias.

Vale, & tumultuariam hanc reſponſionem, æqui bonique conſulas.

Formulæ ſubjiciendi aliquid poſt valedictionem.

VAle, ſed percommode hoc mihi nunc in mentem venit.

Vale, ſed heus tu, ferme præterieram, quod imprimis dictum oportuit.

Vale, ſed heus mane pauliſper: ſuccurrit nunc, quod non oportuit prætermiſſum.

Vale; ſed heus tu, mane pauliſper, omiſi quod non minus libenter leges, quam cætera.

Vale; ſed o me obliviosum: nunc demum occurrit animo, quod primo loco dictum oportuit.

Vale; ſed obſignaturo Epiſtolam, illud percommode venit in mentem, quod omiſſum dolerem.

Vale. Jam parabam obſignare literas, ſed quia præter ſpem otii nonnihil obtigit, libet etiam diutius garrire tecum.

Rurſum vale. Iterum vale, vale iterum atque iterum.

IN-

INDEX.

A Ccuſandi Formulæ. 343
Accuſationi reſpondendi Formulæ. 345
Adoleſcentes laudandi. 361
Amicos ſalutandi ſub finem literarum. 373
BRevitatem literarum excuſandi. 323

COmmendandi alios. 325
Commendandi ſeipſum. 329
Commendationi reſpondendi. 331
Comminandi. 347
Communicandi de re aliqua cum Amicis. 366
Concludendi Epiſtolam. 373
Connectendi. 369
Conſolandi. 351
Conſolationi reſpondendi. 353
DEprecandi. 348
Diſputandi. 367
Disſuadendi. 362
EPiſtolam longiorem finiendi. 372
Epiſtolam negligentius ſcriptam excuſandi. 374
Excuſandi brevitatem literarum. 323

Excuſandi literarum longitudinem. 324
Excuſandi literarum tarditatem. 320
Excuſationem admittendi. 349
Exordiendi ex abrupto. 316
Exordiendi literas. 312
Expoſtulandi. 343
Exprobrandi raritatem literarum. 318
Exprobrationi de raritate literarum reſpondendi. 319

F*Iniendi longiorem epiſtolam.* 372
Fœminas laudandi. 362

G*Ratias agendi.* 355
Gratulandi. 358

H*Ortandi ad mittendum literas.* 316

I*Ocandi.* 365

L*Audandi Adoleſcentes.* 361
Laudandi Fœminas. 362
Laudandi Viros. 359
Laudandi Vrbes. 362
Laudationi reſpondendi. 363
Literarum brevitatem excuſandi. 323
Literas exordiendi. 312
Literarum longitudinem excuſandi. 324
Literarum raritatem exprobrandi. 318
Longiorem epiſtolam finiendi. 372

Man-

MAndandi aliquid. 368
Minandi. 347
NVnciandi. 354
Nunciatoriis Epiſtolis reſpondendi. 355
PEtendi. 336
Petitioni reſpondendi. 339
QVerendi. 350
RAritatem literarum exprobrandi. 318
SAlutandi amicos ſub finem literarum. 373
Salutandi quem alterius nomine. 374
Suadendi. 340
TArditatem literarum excuſandi. 320
Tranſitionum Formulæ. 369
VAledicendi. 375
Valedictioni aliquid ſubjiciendi. 376
Viros laudandi. 359
Vituperandi. 363

GNOMÆ ILLVSTRES
VETERVM SAPIENTVM.

Nicolaus Causſinus

lib. 4. de Eloquentia ſacra & humana cap. 9.

TEſtimoniorum gemmæ ſunt, quæ a Græcis vocantur γνῶμαι, *dicta gravia, & ſententioſa; quorum apud Veteres tanta fuit autoritas & pretium, ut nihil ad majeſtatem orationis exaggerandam putarent excitatius. Itaque & ſummam laudem meruit Thucydides, quod ſententiis appoſite uſus eſſet; & Poëtarum utiliſſimus habitus eſt Heſiodus, qui, licet ad Homeri gravitatem, nec argumento, nec dignitate carminis aſſurgat, tamen ob crebras quas habet ſententias, mirificam laudem apud poſteros eſt conſecutus.* His artibus a tenero fingi erudirique pueros volebant, non modo ut ad normam virtutis ſurgentem ætatulam conformarent, ſed etiam ad eloquentiam, cui perutiles videbant γνῶμας, adjumenta ſuggererent.

GNO-

Gnomæ Illvstres Veterum Sapientum.

Absentia.

OMnibus peregrinantibus gratum eſt, minimarum quoque rerum quæ domi gerantur, fieri certiores. *Cic. l. 8. ep. 1.*

Abſentes tinnitu aurium præſentire ſermones de ſe, receptum eſt. *Plin. l. 28. H.N. c. 3.*

Qui abſentes ferociter increpant, præſentium verecundiam habent. *Liv. l. 5. c. 25.*

Ne male loquare abſenti amico. *Plaut. Trin.*

—— —— Amantes
Non longe à caro corpore abeſſe volunt.

Catullus epigr. 67.

Nam ſi abeſt quod amas, præſto ſimulacra tamen ſunt,
Illius, & nomen dulce obverſatur ad aures.

Lucret. l. 4.

—— Abſentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante, ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non viſa poteſt, commiſſa tacere
Qui nequit: hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

Horat. l. 1. Sat. 4.

Abstinentia.

NE mente quidem recte uti poſſumus, multo cibo & potione completi. *Cic. 5. Tuſc.*

Tan-

Tantum cibi & potionis adhibendum eſt, ut reficiantur vires, non opprimantur. *Idem de Senect.*

Eſſe oportet, ut vivas, non vivere, ut edas. *Idem ad Herenn. l. 4. c. 28.*

Verbum hercle verum hoc eſt: Sine Cerere & Libero friget Venus. *Terent. in Eunuch.*

Non eſt ante edendum, quam fames imperet. *Sen. ep. 123.*

Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaq; ſecum
Afferat. Imprimis valeas bene. Nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. At, ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis, animum quoque prægravat una,
Atq; affigit humo divinæ particulam auræ.
Alter, ubi dicto citius curata ſopori
Membra dedit, vegetus præſcripta ad munia ſurgit.

Horat. l. 2. Serm. ſat. 2.

Heu quantum ſcelus eſt, in viſcere viſcera condi,
Congeſtoq; avidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriusq; animantem animantis vivere letho.

Ovid. l. 15. Metamorph.

ABSVRDVM.

Ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τ' ἄλλα συμβαίνει. Vno inconveniente dato alia contingunt. *Ariſtot. 1. Phys. c. 2.*

Πῶς γὰρ οἷόν τε, παραλόγοις ἀρχαῖς εὔλογον ἐπιθεῖναι τέλος; Abſurdis principiis, qui poteſt colophon imponi non abſurdus? *Polyb. l. 3. hiſt. c. 48.*

Nul-

Nullus terminus falſo eſt. Veritati aliquod extremum eſt: error immenſus eſt. *Sen. Excer.*

Neſcio quomodo nihil tam abſurde dici poteſt, quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum. *Cic. 2. de divinat.*

Abusus.

Nihil in rebus omnibus tam innoxium dices, quin poſſit aliquid aliquà obeſſe: nec tam lætum, quin poſſit ad triſtitudinem intelligi. *Apul. in Apol.*

Quid reliquum eſt, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona: parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias? Atq; hæc perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet. Qui uti ſcit, ei bona, illi qui non utitur recte, ei mala. *Terent. Heaut.*

Accusatio.

Aliud eſt maledicere, aliud accuſare. Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet. Maledictio autem nihil habet propoſiti, præter contumeliam: quæ, ſi petulantius jactatur, convicium, ſi facetiæ, urbanitas nominatur. *Cic. pro M. Cœlio.*

Cognoſce primum, quam multa eſſe oporteat in eo, qui alterum accuſet. Primum integritatem atque innocentiam ſingularem: nihil eſt enim, quod minus ferendum ſit, quam rationem ab altero vitæ repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere. Deinde accuſatorem firmum verumque eſſe oportet. *Idem de divinat.*

Omnia quæ vindicâris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. Etenim non modo accuſator

ſator, ſed ne objurgator quidem ferendus eſt, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſe deprehenditur. *Idem de Orat. c.2.*

Tanto eſt accuſare quam defendere, quanto facere quam ſanare vulnera facilius. *Quintil. l. 5 Inſt. c. 3.*

Pomponius Atticus ad haſtam publicam nunquam acceſſit, nullius rei neque præs, neque manceps factus eſt. Neminem, neque ſuo nomine, neque ſubſcribens accuſavit. In jus de ſua re nunquam iit: judicium nullum habuit. *Corn. Nep. in vita.*

Quippe inſimulari quivis innocens poteſt: revinci, niſi nocens, non poteſt. *Apul in Apol.*

Eſt prudentis animi, & verecundi, ut mea opinio fert, vel falſa vituperatione gravari; cum etiam hi, qui ſibi delicti alicujus conſcii ſunt, tamen cum male audiunt, impendio commoveantur, & obiraſcantur. *Id. Ib.*

ACTIO.

AD quas igitur res aptiſſimi erimus, in iis potiſſimum elaborabimus. Sin aliquando nos neceſſitas ad ea protruſerit, quæ noſtri ingenii non erunt, adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea ſi non decore, at quam minimum indecore facere poſſimus. *Cic. l. 1. off. c. 13.*

Quicquid humana ope majus eſt, Diis permitte curandum. *Symmach. l. 2. ep. 7.*

Paulum intereſſe cenſes, ex animo, omnia ut fert natura, facias, an de induſtria? *Terent. Andr.*

Nulla eſt tam facilis res, quin difficilis ſiet, quam invitus facias. *Idem Heaut.*

Cito facere, proprium eſt libenter facientis. *Sen. l. 2. de Benef. c. 5.*

Stul-

Stultitia eſt, venatum ducere invitos canes. *Plaut. Stich.*

Proba materies data eſt, probum adhibeas fabrum. *Idem in Pœn.*

Quin tu inſiſtis fortiter: aliqua fortuna erit adjutrix tibi. *Idem ib.*

Q. Ennii duos hos verſus habere cordi & memoriæ, operæ pretium eſſe hercule puto:

Hoc erit tibi argumentum ſemper in promtu ſitum:
Ne quid expectes amicos, quod tute agere poſſis.
Agel. l. 2. Noct. At. c. 29.

Bene ac ſapienter Majores inſtituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere: quod nihil rite, nihil providenter, homines, ſine Deorum immortalium ope, honore, conſilio auſpicarentur. *Plin. in Paneg.*

Omnes actiones totius vitæ, honeſti ac turpis reſpectu temperantur: ad hæc faciendi, & non faciendi ratio dirigatur. Quid ſit hoc, dicam. Vir bonus quod honeſte ſe facturum putaverit, faciet, etiamſi laborioſum erit: faciet, etiamſi damnoſum erit: faciet, etiamſi periculoſum erit. Rurſus, quod turpe erit, non faciet, etiamſi pecuniam affert, etiamſi voluptatem, etiamſi potentiam. Ab honeſto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla ſpe invitabitur. *Sen. ep. 77.*

Denique quid verbis opus eſt? Spectemur agendo.
Ovid. l. 13. Metam.

ADIUTORIUM.

HOmines ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalute hominibus danda. *Cic. pro Ligar.*

Raro eminentes viri non magnis adjutoribus

ad gubernandam fortunam ſuam uſi ſunt. *Vellej. l. 2. hiſt. c. 128.*

Proni ſtudii certius indicium eſt, ſupra vires niti, quam viribus ex facili uti. Alter enim quod præſtat, poteſt: alter etiam plus quam poteſt. *Val. Max. l. 6. c. 10.*

ADMIRATIO.

NImirum hæc eſt illa præſtans, & divina ſapientia, perceptas penitus & pertractatas humanas res habere: nihil admirari cum acciderit; nihil antequam evenerit, non evenire poſſe arbitrari. *Cic. 3. Tuſc.*

Quæ, unde manaverint, aut qua ratione conſtiterint, dignoſcere arduum eſt, miracula vocantur. *Val. Max. l. 1. c. 8.*

Non habent incredibilia vocem. Quædam majora ſunt, quam uti illa capiat modus ſermonis humani. *Quintil. decl. 19.*

Nil admirari prope res eſt una Numici,
Solaque, quæ poſſit facere, & ſervare beatum.
Hor. l. 1. ep. 6.

ADMONITIO.

SAlutares admonitiones velut medicamentorum utilium compoſitiones, literis mando; eſſe illas efficaces, in meis ulceribus expertus, quæ, etiamſi perſanata non ſunt, ſerpere deſierunt. *Sen. ep. 8.*

Facile omnes cum valemus, recta conſilia ægrotis damus. Tu ſi hic ſis, aliter ſentias. *Ter. in Andr.*

Quæ memini, mora mera eſt monerier. *Plaut. Capt.*

Ad-

Admoneri bonus gaudet, peſſimus quisque correptorem aſperrime patitur. *Sen. 3. de Ira c. 37.*

Ne te credideris, quia non facis iſta, moneri:
Velu damus, quamvis remige navis eat.
Qui monet ut facias, quod jam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

Ovid. 5. Triſt. el. 14.

ADOLESCENTIA.

QVis eſt tam ſtultus, quamvis adoleſcens, cui ſit exploratum, ſe ad veſperam usque victurum? Quin etiam ætas illa multo plures quam noſtra mortis cauſas habet: facilius in morbos incidunt adoleſcentes, gravius ægrotant, triſtius curantur. *Cic. pro Senect.*

De impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam: quæ ſtudia in his jam ætatibus noſtris contractiora eſſe debent: in adoleſcentia vero, tanquam in herbis ſignificant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ. *Cic. pro Cœl.*

Detur aliquid ætati: ſit adoleſcentia liberior; non ſemper ſuperet illa vera & directa ratio: vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dummodo in hoc genere præſcriptio moderatioque teneatur. *Idem ibid.*

Sed maxime adoleſcentium familiaritates appetebat Catilina: horum animi molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. *Salluſt. in Catil.*

Turpis & ridicula res, elementarius ſenex. Juveni parandum, ſeni utendum eſt. *Sen. ep. 36.*

Lycurgus pueros puberes non in forum, ſed in agrum deduci præcepit: ut primos annos non in

luxuria,ſed in opere & in laboribus agerent. Nihil eos ſomni cauſa ſubſternere, & vitam ſine pulmento degere,neque prius in urbem redire,quam viri eſſent facti. *Juſtin. l. 3. hiſtor.*

Prima commendatio adoleſcentum proficiſcitur a modeſtia, tum pietate in parentes, tum in ſuos benevolentia. *Cic. 2. offic.*

Eſt adoleſcentis majores natu vereri, ex hisque deligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio atque autoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis inſcitia, ſenum conſtituenda & regenda prudentia eſt. *Idem 1. Offic.*

Fitque valens juvenis,neque enim robuſtior ætas
Vlla,nec uberior,nec quæ magis ardeat ulla.

Ovid. 15. metamorph.

—— *Propria deſcribit Deus*
Officia,& ævum per ſuos ducit gradus:
Lætitia juvenem,frons decet triſtis ſenem.

Sen. in Hippol.

Vdum & molle lutum es,nunc, nunc properandus & acri
Fingendus ſine fine rota.

Pers. ſat. 3.

Juvenile vitium eſt,regere non poſſe impetum. *Sen. Troad.*

Dî probos mores docili juventæ,
Dî ſenectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date,remque prolemque,& decus omne.

Horat. in Carm. Sec.

Credebant hoc grande nefas,& morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat,& ſi
Barbato cuicunque puer,licet ipſe videret
Plura domi farra,& majores glandis acervos.

Juven. ſat. 13.

Im-

Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis canibusque, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.
Horat. de Arte.

—— Viamque inſiſte domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Virg. 3. Georg.

Juvenilis ardor impetu primo furit,
Langueſcit idem facile, nec durat diu.
Sen. in Octav.

ADVERSITAS.

ADverſis verus ille animus, & in alienum non venturus arbitrium, probatur: hæc ejus obruſſa eſt. Non poteſt athleta magnos ſpiritus ad certamen adferre, qui nunquam ſugillatus eſt. Ille qui fudit ſanguinem ſuum, cujus dentes crepuerunt ſub pugno, ille qui ſupplantatus adverſarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus, qui quoties cecidit, contumacior reſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad pugnam. *Sen. ep. 13.*

—— Gaudet patientia duris,
Lætius eſt quoties magno ſibi conſtat honeſtum.
Lucan. l. 9. bell. civ.

Scilicet adverſis probitas exercita rebus,
Triſti materiam tempore laudis habet.
Si nihil infeſti durus vidiſſet Vlyſſes,
Penelope felix, ſed ſine laude foret.
Ovid. 5. Triſt.

Rebus in anguſtis facile eſt contemnere mortem,
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.
Martial. l. 11. Epigr.

ADULATIO.

NOn eſt quod nos magis aliena judices adulatione perire, quam noſtra. Quis ſibi verum dicere auſus eſt? quis non inter laudantium blandientiumque poſitus greges, plurimum tamen ſibi ipſe aſſentatus eſt. *Sen. de Tranquil. an.*

Semper magnæ fortunæ comes adeſt adulatio. *Vellej. l. 2. c. 102.*

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt, nec ſunt: hos conſector: hiſce ego non paro me ut irrideant, ſed his ultro arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul. Quicquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque. Negat quis, nego: ait, ajo. Poſtremo imperavi egomet mihi omnia aſſentari: is quæſtus nunc eſt multo uberrimus. *Ter. in Eun.*

Natio comœda eſt, rides, majore cachinno
Concutitur flet, ſi lacrymas aſpexit amici.

Juven. Sat. 3.

ADULTERIUM.

ELige de vacuis quam non ſibi vendicet alter:
Si neſcis, dominum res habet iſta ſuum.

Ovid. ep. 19 Heroid.

Nupta virum timeat, rata ſit cuſtodia nuptæ:
Hoc decet, hoc leges, jusque, pudorque jubent.

Idem l. 3. de Arte am.

ADVOCATUS.

JUdicis eſt ſemper in cauſis verum ſequi: patroni, nonnunquam veriſimile, etiamſi minus ſit verum, defendere. *Cic. 2. Off.*

Arbitrio Senatus conſtitutum eſt, ne quis ad cauſam orandam mercede aut donis emeretur. *Tac. 13. Ann. c. 5.*

Hic

Hic clamoſi rabioſa fori
Jurgia vendens improbus, iras
Et verba locat. Sen. Herc. Fur.

ÆDIFICIA.

O Miſerum, ſi quem delectat familia bellicoſis nationibus major, & ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia. *Sen. 7. de Benef. c. 10.*

Mihi crede, felix illud ſeculum ante architectonas fuit. Iſta nata ſunt, jam naſcente luxuria, in quadratum tigna decidere, & ferro per deſignata currente, certa manu trabem ſcindere:

Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum.
Sen. ep. 90.

—— *Cetronius alta parabat*
Culmina villarum, Græcis longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ atq; Herculis Ædem.
Juven. Sat. 14.

ÆMVLATIO.

ALit æmulatio ingenia, & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit; naturaque quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum: difficiliſque in perfecto mora eſt. *Vellej. l. 1. c. 17.*

Firmiores in literis profectus alit æmulatio. *Quintil. l. 1. c. 2.*

C. Julius Cæſar cum ei Quæſtori ulterior Hiſpania obveniſſet, Gadesque veniſſet, animadverſa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit, & quaſi pertæſus ignaviam ſuam, quod nihil dum a ſe memorabile actum eſſet in ætate, qua jam Alexander orbem terrarum ſubegiſſet,

giſſet, miſſionem continuo efflagitavit, ad captandas quamprimum majorum rerum occaſiones in urbe. *Sueton. in Jul.*

Claritatem parentum, æmulatione virtutis accenſus, animi magnitudine ſupergreditur. *Juſtinus l. 42. de Mithridate.*

Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles,
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?
Virg. l. 3. Æn.

ÆQVALITAS.

VEtuſtiſſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coërcitionibus agebant; neque præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur; & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At, poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis incedebat; provenere dominationes, multosque apud populos æternum manſere. *Tac. 3. An. c. 26.*

Rebus modicis æqualitas facile habetur. *Id. 2. Hiſt. c. 38.*

ÆQVITAS.

VAleat æquitas, quæ paribus in cauſis, paria jura deſiderat. *Cic. in Top. c. 4.*

Exiſtunt etiam ſæpe injuriæ calumnia quadam, & nimis callida & malitioſa juris interpretatione. Ex quo illud, *Summum jus, ſumma injuria*, factum eſt jam tritum proverbium. *Idem 1. Offic.*

ÆTAS.

ITidem ut tempus anni, ætatem aliud factum convenit. *Plaut. in Merc.*

In nos ætas ultima venit,
O nos dura ſorte creatos! Sen. in Thyeſte.

Pro-

—— *Propria deſcribit Deus*
Officia, & ævum per ſuos ducit gradus,
Lætitia juvenem, frons decet triſtis ſenem.

Idem in Thebaide.

AMICITIA.

PLerique nec in rebus humanis quicquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit: & amicos tanquam pecudes, eos potiſſimum diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos. *Cicero de Amicit. c. 21.*

Iſtam, quam tu deſcribis, negociatio eſt, non amicitia: quæ ad commodum accedit, quæ, quid conſecutura ſit, ſpectat. *Sen. ep. 9.*

Neque enim reperio, quid in rebus humanis excogitarit natura præſtantius amicitia, quod concordia contra fortunam majus auxilium. *Quintil. Declam. 9.*

Amicitia præcipuum humani animi bonum. *Tac. 2. Hiſtor. c. 15.*

Amicitiæ vinculum potens & prævalidum, neque ulla ex parte ſanguinis viribus inferius: hoc etiam certius & exoptatius, quod illud naſcendi ſors, fortuitum opus, hoc, unius cujusque ſolido judicio incoacta voluntas, contrahit. *Val. Max. l. 4. c. 7.*

Verum illud eſt, quod vulgo dicitur: Multos modios ſalis ſimul edendos, ut amicitiæ munus expletum ſit. *Cic. de Amic.*

Bonos, omnes inter ſe oportet amicos eſſe, etſi ſunt minus noti. *Apul. de dogmate Platonis l. 2.*

Virtus amicitiam & gignit, & continet: nec ſine virtute amicitia eſſe ullo pacto poteſt. *Cic. de Amic.*

Plus

Plus in amicitia valet ſimilitudo morum, quam affinitas. *Corn. Nep. in vita Attici.*

Non potes efficere imperio, ut vel amem, quem velis, vel oderim. *Quintil. declam. 376.*

Veterrimæ quæquæ amicitiæ, (ut ea vina, quæ vetuſtatem ferunt) eſſe debent ſuaviſſimæ. *Cic. de Amic.*

Vulgatum illud, quia verum erat, in proverbium venit: Amicitias immortales, inimicitias mortales debere eſſe. *Liv. l. 40.*

Redintegrata amicitia, novis quoque beneficiis locum aperit. *Tac. 13. Ann.*

Chilonis cum alia quædam ſunt monita utilia atque prudentia, tum id maxime exploratæ utilitatis eſt, quod duas ferociſſimas affectiones, amoris atque odii, intra modum tantum coërcuit. Hac, inquit, fini ames, tanquam forte fortuna oſurus: hac itidem tenus oderis, tanquam fortasſe poſt amaturus. *Agel. l. 1. c. 3.*

Scipio negabat ullam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quam ejus, qui dixiſſet, ita amare oportere, ut aliquando eſſet oſurus: nec vero ſe adduci poſſe, ut hoc, quemadmodum putaretur, a Biante dictum eſſe crederet, qui ſapiens habitus eſſet unus e ſeptem, ſed impuri cujusdam & ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam revocantis eſſe ſententiam. Quonam enim modo quisquam amicus ejus eſſe poterit, cujus ſe putabit inimicum eſſe poſſe? *Cic. de Amic.*

Eo, inquit Ennius, ingenio natus ſum: amicitiam atque inimicitiam in fronte promtam gero. *Agel. l. 19. c. 8.*

Qui

Qui ignotos lædit, latro appellatur: qui amicos, paullo minus quam parricida. *Petron. in Satyr.*

Arcta amicitia accommodatior ad fallendum. *Tac. 2. Ann. c. 66.*

Pericles ille Athenienſis, egregius vir ingenio, bonisq; omnibus diſciplinis ornatus, in una quidē ſpecie, ſed planius tamē, quid exiſtimaret, profeſſus eſt: nam, cum amicus eū rogaret, ut pro re cauſaq; ejus falſum dejeraret, his ad eum verbis uſus: δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν. Opus eſt me amicis opitulari, ſed usque ad Deos. *Agel. l. 1. c. 3.*

Caſtiga amicum clanculum, lauda palam. *Publ. Syrus.*

Amicum caſtigare ob meritam noxiam, immune eſt facinus, verum in ætate utile & conducibile. *Plaut. in Trinum.*

Monere & moneri, proprium eſt veræ amicitiæ: & alterum libere facere, non aſpere: alterum patienter accipere, non repugnanter. *Cic. de Amic.*

Amicus certus in re incerta cernitur. *Ennius apud Cic. de Amic.*

Non ſapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam parat, inde gloriam ſibi recipere. *Tac. 16. Ann. c. 56.*

In hominum ætate multa eveniunt ejusmodi, capiunt voluptates, capiunt rurſus miſerias. Iræ interveniunt, redeunt rurſum in gratiam. Verum iræ ſi quæ forte eveniunt hujusmodi, inter eos rurſum ſi reventum in gratiam eſt, bis tanto amici ſunt inter ſe quam prius. *Plaut. in Amphitr*

Non

Non facile dijudicatur amor verus & fictus, niſi aliquod incidat ejusmodi tempus, ut, quaſi aurum igne, ſic benevolentia fidelis, periculo aliquo perſpici poſſit. *Cic. l. 9. ep. 16.*

Secundum naturam eſt, amicos complecti, & amicorum actu, ut ſuo proprioque lætari. *Sen. ep. 109.*

In pectore amicus, non in atrio quæritur, illo recipiendus eſt, illic retinendus & in ſenſus recondendus. *Idem 6. de Benef. c. 34.*

Idcirco ex ſemet nihil natura creavit
Pectore amicitiæ majus, nec rarius unquam.

Manil. l. 2. Aſtronom.

—— Diffugiunt cadis
Cum fæce ſiccatis amici,
Ferre jugum pariter doloſi.

Horat. l. 1. Od. 35.

Cum fortuna manet, vultum ſervatis amici,
Cum cedit, turpi vertitis ora fuga.

Petron. in Satyr.

Hoc erit tibi argumentum ſemper in promtu ſitum,
Ne quid exſpectes amicos, quod tute agere poſſis.

Ennius apud Agel. l. 2. noct. At. c. 29.

Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis,
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Martial. l. 5. Epigr. 43.

AMOR.

QVi amat, quod amat, ſi id habet, id habet pro cibo. Videri, amplecti, oſculari, alloqui. *Plaut. Mercat.*

Facilius in amore finem impetres, quam modum. *Sen. 2. Controv. 2.*

Aman-

Amantes de forma judicare non poſſunt, quia ſenſum oculorum premit amor. *Quint. l.6. c.* 2.

Pravo amore flagrantes, amicæ ſuæ optant exilium, ut deſertam fugientemque comitentur: optant inopiam, ut magis deſideranti donent: optant morbum, ut aſſideant, & quicquid inimicus optaret, amantes vovent. Fere idem itaque exitus eſt odii, & amoris inſani. *Senec. 6. de Benef. cap.* 25.

Cum clanculum Laidem Demoſthenes adiiſſet, & ut ſibi ſui copiam faceret, petiiſſet, illaque talentum popoſciſſet, hoc facit numi noſtratis denariúm decem millia: tali petulantia mulieris atq; pecuniæ magnitudine ictus expavidusq; Demoſthenes, avertit, & diſcedens, Ego, inquit, pœnitere tanti non emo. *Agel. l. 1. noct At. c. 8.*

Amantium iræ amoris redintegratio eſt. *Terent.*

Amor & melle & felle eſt fœcundiſſimus: guſtu dat dulce, amarum ad ſatietatem usque aggerit. *Plaut. in Ciſtel.*

Qui amans egens ingreſſus eſt princeps in amoris vias, ſuperavit ærumnis is ſuis ærumnas Herculis. Nam, cum leone, & cum excetra, cum cervo, cum apro Ætolico, cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim, quam cum Amore. *Idem in Perſa.*

Here, quæ res in ſe neque conſilium, neque modum habet ullum, eam conſilio regere non potes. In amore hæc omnia inſunt vitia: injuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rurſum. Incerta hæc, ſi tu poſtules ratione certa facere, nihilo plus agas, quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias. *Ter. Eunuch.* *O be-*

—— O here, quæ res
Nec modum habet, neque conſilium, ratione modoq;
Tractari non vult. In amore hæc ſunt mala: bellum.
Pax rurſum. Hæc ſi quis tempeſtatis prope ritu
Mobilia, & cæca fluitantia ſorte, laboret
Reddere certa: ſibi nihilo plus explicet, ac ſi
Inſanire paret certa ratione modoque.

Horat. l. 2. Sat. 3.

O felix hominum genus,
Si veſtros animos amor,
Quo Cœlum regitur, regat.

Boëth. l. 2. met. 8.

Omnes humanos ſanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem,

Propert. l. 2.

Longa mora eſt nobis omnis, quæ gaudia differt,
Da veniam faſſæ, non patienter amo.

Ovid. Ep. 18. Heroid.

Vis magna mentis, blandus atque animi calor,
Amor eſt, juventa gignitur, luxu, otio,
Nutritur, inter læta fortunæ bona.
Quem ſi fovere atque alere deſiſtas, cadit,
Brevique vires perdit extinctus ſuas.

Sen. Octav.

Quo fugis, ah demens? nulla eſt fuga, tu licet usque
Ad Tanaim fugias, usque ſequetur amor.

Propert. l. 2. el. 21.

Me tamen urit amor, quis enim modus adſit amori?

Virg. Ecl. 2.

Ferrea, crede mihi, non ſum, ſed amare recuſo
Illum, quem fieri vix puto poſſe meum.

Ovid. ep. 16. Heroid.

Vt præſtem Pyladem, aliquis mihi præſtet Oreſtem,
Hoc non ſit verbis, Marce, ut ameris ama.
Martial 6. Epigram.
Juvenilis ardor impetu primo furit:
Langueſcit idem facile, nec durat diu
In Venere turpi, ceu levis flammæ vapor.
Amor perennis conjugis caſtæ manet.
Sen. Octav.
Omnia vertuntur, certe vertuntur amores:
Vinceris, aut vincis: hæc in amore rota eſt.
Propert. l. 2. El. 7.
Nolo quod cupio ſtatim tenere,
Nec victoria mî placet parata.
Petron. in Sat.
—— *Quis enim bene celat amorem?*
Eminet indicio prodita flamma ſuo.
Ovid. ep. 12.
Triſte lupus ſtabulis; maturis frugibus imbres;
Arboribus venti; nobis Amaryllidis iræ.
Virg. Ecl. 3.
—— *Quisquis in primo obſtitit*
Repulitq; amorem, tutus ac victor fuit.
Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recuſat ferre, quod ſubiit jugum.
Sen. Hippol.

ANCILLA.

DIſciplina eſt eisdem, munerarier ancillas primum, ad dominas qui affectant viam: *Terent. Heaut.*

Nihil opus nobis ancilla, niſi quæ texat, quæ molat, lignum cædat, penſum faciat, ædis verrat, vapulet, quæque habeat quotidianum familiæ coctum cibum. *Demipho apud Plaut. in Mercat.*

Ne ſit ancillæ tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu prius inſolentem
Serva Briſeis niveo colore
Movit Achillem. Hor. l. 2. Od. 4.

ANIMA.

ANima ſit animus, ignisve, neſcio: nec me pudet fateri, quod neſciam. *Cic. 1. Tuſc. Quæſt.*

Multa ſunt, quæ eſſe concedimus, qualia ſint, ignoramus. Habere nos animum, cujus imperio impellimur & revocamur, omnes fatebuntur: quid tamen ſit animus ille rector dominusque noſtri, non magis tibi quisquam expediet, quam ubi ſit. Alius illum dicet eſſe ſpiritum, alius concentum quendam, alius vim divinam, & Dei partem, alius tenuiſſimum aërem, alius incorporalem potentiam. Non deerit, qui ſanguinem dicat, qui calorem. Adeo animo non poteſt liquere de cæteris rebus, ut adhuc ipſe ſe quærat. *Sen. 7. Nat. Quæſt.*

Animarum originem manare de cœlo, inter recte philoſophantes indubitatæ conſtat eſſe ſententiæ. *Macrob. l. 1. de Somn. Scip. c. 9.*

Tres partes Animæ dicit eſſe Plato: Rationabilem, id eſt, mentis optimam portionem; hanc ait capitis arcem tenere. Iraſcentiam vero procul a ratione, ad domicilium cordis deductam eſſe, obſequiq; eam, & reſpondere in loco ſapientiæ. Cupidinem atque Appetitum poſtremam mentis portionem, infernas abdominis ſedes tenere, ut popinas quasdam, & latrinarum latebras, diverſoria nequitiæ & luxuriæ. Relegatam vero idcirco longius a ſapientia hanc partem videri, ne importuna vicinitas rationem conſtitutam deſuper cunctorum ſaluti, in ipſa cogitationum vicinitate turbaret. *Apul. l. 1. de dogm. Plat.* Ne-

Neceſſe eſt omnem animam ad originis ſui ſedem reverti. Sed, quæ corpus tanquam peregrinæ incolunt, cito poſt corpus velut ad patriam revertuntur. Quæ vero corporum illecebris, ut ſuis ſedibus inhærent, quanto ab illis violentius ſeparantur, tanto ad ſupera ſerius revertuntur. *Macrob. in Somn. Scip. l.2. c.ult.*

Ne itaque invideris fratri tuo: quieſcit, tandem liber, tandem tutus, tandem æternus eſt. Fruitur nunc aperto & libero cœlo, ex humili atque depreſſo in eum emicuit locum, quisquis ille eſt, qui ſolutas vinculis animas, beato recipit ſinu: & nunc libere vagatur, omniaq; rerum naturæ bona, cum ſumma voluptate perſpicit. Erras: non perdidit lucem frater tuus, ſed ſecuriorem ſortitus eſt. *Sen. conſol. ad Polyb.*

Sunt aliquid Manes, lethum non omnia finit:
Luridaq; evictos effugit Umbra rogos.

Propert. l. 4. Eleg.

At vos ſidereæ, quas nulla æquaverit ætas,
Ite, decus terrarum animæ, venerabile vulgus
Elyſium, & caſtas ſedes decorate piorum.

Sil. Ital. l. 2. bel. pu.

Parce precor lacrumis, ſævo nec concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem Conjugis umbram.

Statius l. 5. Sylv.

Morte carent animæ, ſemperque priore relicta
Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ.
Ipſe ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram.

Ovid. l. 15. Metam.

Annona.

Annonæ affluentia inſtar perpetui congiarii eſt. *Plin. in Paneg.*

Annona pretium niſi in calamitate fructuum non habet. Si ubertas in percipiendis fructibus fuit, conſequitur vilitas in vendendis. *Cic. in Verrem.*

Gnarus, & irarum cauſas & ſumma favoris
Annonâ momenta trahi, namque aſſerit
Vrbes ſola fames. Lucan. l. 2. pharſal.

ANNVLVS.

APud Cattos fortiſſimus quisque ferreum annulum (ignominioſum id genti) velut vinculum geſtat, donec ſe cæde hoſtis abſolvat. *Tac. de mor. Germ. c. 31.*

Exornamus annulis digitos, & in omni articulo gemma diſponitur. *Sen. l. 7. nat. quæſt.*

Habere amicam nolo, Flacce, ſubtilem
Cujus lacertos annuli mei cingant.
Martial. l. 11. epigr. 101.

Sæpe velut gemmas ejus ſignumque probarem,
Per cauſam memini me tetigiſſe manus.
Tibul. l. 1. el. 7.

ANNVS.

TEmpus a bruma ad brumam, dum ſol redit, vocatur annus, quod ut parvuli circuli annuli, ſic magni dicebantur anni. *Varro l. 5. de L. L.*

Annum alii æſtate unum determinabant, & alterum hyeme, alii quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere: quidam Lunæ ſenio, ut Ægyptii: itaque apud eos aliqui & ſingula millia annorum vixiſſe produntur. *Plin. l. 7. H. N. c. 48.*

— Vos o clariſſima mundi
Lumina labentem cœlo quæ ducitis annum.
Virgil. l. 1. Georg.

Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.
Id. l. 2. Georg.

Antiqvitas.

HAbet autem, ut in ætatibus, auctoritatem ſenectus, ſic in exemplis antiquitas: quæ quidem apud me ipſum valet plurimum. *Cic. in Oratore ad Brut.*

Sit apud te honor antiquitatis. *Plin. l.8 ep.24.*

— *Quis hoc credat, niſi ſit pro teſte vetuſtas?*
Ovid. l. 1. metam.

Argentvm.

GErmani argentum magis quam aurum ſequuntur, nulla affectione animi, ſed quia numerus argenteorum facilior uſui eſt, promiſcua ac vilia mercantibus. *Tac de mor. c. 5.*

Odor ex argenti fodinis inimicus omnibus animalibus, ſed maxime canibus. *Plin l.33. H.N. c. 6.*

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum,
Hor. l. 1. ep. 1.

Arma.

VIris arma, non ſupellex decori. *Salluſt. bel. Jug.*

Scutum, gladium, galeam, in onere noſtri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus: arma enim membra militis eſſe dicunt. *Cic. 2. Tuſc. c. 16.*

Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur: ſed cui & ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. *Sen. ep. 76.*

—— *Scelerataque ſuccis*
Spicula dirigere, & ferrum infamare veneno. Sil. l. 3.

Ars.

DVx atque Imperator vitæ mortalium, animus eſt: qui ubi ad gloriam, virtutis via graſſatur, abunde pollens potensque & clarus eſt, neque for-

tuna eget: quippe quæ probitatem, induſtriam, aliasque artes bonas, neque dare, neque eripere cuiquam poteſt. *Salluſt. in Jug.*

Non eſt ars, quæ ad effectum caſu venit. *Sen. ep. 29.*

Illud imprimis teſtandum eſt, nihil præcepta atque artes valere niſi adjuvante natura. Quapropter ei cui deerit ingenium, non magis hæc ſcripta ſunt, quam de agrorum cultu ſterilibus terris. *Quintil. in proœm. l. 1. Inſt.*

Neq; hæc ita dico, ut ars aliquid limare non poſſit; neq; enim ignoro, & quæ bona ſunt, fieri meliora poſſe doctrina, & quæ non optima, aliquo modo acui tamen & corrigi poſſe. *Cic. l. 1. de Orat cap. 25.*

Ita eſt profecto, artes deſidia perdidit. *Plin. l. 35. H.N. c 2.*

Niſi forte rebus cunctis ineſt quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur, nec omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoq; ætas multa laudis & artium imitanda poſteris tulit. *Tac. l. 3 Ann.*

Quatuor ait eſſe Poſidonius artium genera. Sunt vulgares & ſordidæ, ſunt ludicræ, ſunt pueriles, ſunt liberales. *Sen. ep. 88.*

Quare liberalia ſtudia dicta ſint vides, quia homine libero digna ſunt. *Id. ib.*

Suæ artis unumquemque & actorem & diſputatorem optimum eſſe, ne dubitemus. *Val. Max. l. 8. c. 12.*

Sed eſt unum perfugium, doctrina ac literæ, quibus ſemper uſi ſumus: quæ ſecundis rebus delectationem modo habere videbantur, nunc vero etiam ſalutem. *Cic. l. 6. ep. 12.*

Nam neque tam eſt acris acies in naturis hominum & ingeniis, ut res tantas quisquam, niſi monſtratas, poſſit videre; neque tanta tamen in rebus obſcuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, ſi modo aſpexerit. *Cic. 3. de Orat. c. 31.*

Maximi medicorum exclamatio eſt: Vitam brevem eſſe, longam artem, *Sen. de brev. vitæ c. 1.*

Antigenidas tibicen diſcipulo ſuo magni profectus, ſed parum feliciter populo ſe approbanti, cunctis audientibus dixit, *Mihi cane & Muſis.* Quia ſcilicet perfecta ars, fortunæ lenocinio defecta, fiducia juſta non exuitur: quamque ſcit ſe laudem mereri, eam etſi ab aliis non impetrat, domeſtico tamen acceptam judicio refert. *Val. Max. l. 3. c. 7.*

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitasque fugit.

Ov. l. 1. de Ponto.

Quis expedivit pſittaco ſuum χαῖρε,
Picasque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Pers. in procem.

Artibus ingenuis quæſita eſt gloria multis.

Ovid. 2. de Ponto.

—— *Egregios invitant præmia mores:*
Hinc priſcæ redeunt Artes.

Claud. de laud. Stilic. l. 2.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Ov. l. 2. de Ponto.

Qua pote quisque in ea, conterat arte diem.

Propert. l. 2. el. 1.

ASTRONOMIA.

QVis vetat & ſtellas, ut quæque oriturque caditque,
Dicere? propoſiti pars fuit illa mei.
Felices animæ quibus hæc cognoſcere primis,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.

Ovid. 1. Faſt.

ATTENTIO.

MEnte favete pari, atque aures advertite veſtras. Sil. Ital. l. 16.

Huc ades ô quicunque meis advertere cœptis
Aurem oculosque potes veras & percipe voces.
Non ad iuratos Reges Trojamque cadentem,
Impendas animum, nec dulcia carmina quæras:
Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Manil l. 3. Aſtron.

Accipite hæc animis, lætasque advertite mentes.

Virg. l. 5. Æn.

AVARITIA.

AVaritia eſt injurioſa appetitio alienorum. *Cic l. 4. ad Heren.*

A numo eſt prima avaritiæ origo excogitata, fœnore quæſtuoſa ſegnitia. Hæc paulatim exarſit rabie quadam, non jam avaritia, ſed fames auri. *Plin. l. 33 N. H. c. 3.*

Quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia niſi avaritia perituram; id videtur non ſolum Lacedæmoniis, ſed omnibus opulentis populis prædixiſſe. *Cic. 2. Offic.*

Multo maximum bonum patriæ, civibus, literis, poſtremo genti humanæ pepereris, ſi ſtudium pecuniæ aut ſuſtuleris, aut, quoad res fuerit, minueris. Aliter neque privata res, neque publica, neq; domi, neque militiæ regi poteſt. *Salluſt. or. 2. de Republ. ordin.*

Nul-

Nullum vitium tetrius, quam avaritia, præſertim in Principibus, & Remp. gubernantibus. Habere enim quæſtui Remp. non modo turpe eſt, ſed etiam ſceleratum, & nefarium. *Cic. l. 2. Offic.*

Demum ii penates, ea civitas, id regnum æterno in gradu facile ſteterit, ubi minimum virium Veneris pecuniæque cupido ſibi vendicaverit. Nam quo iſtæ generis humani certiſſimæ peſtes penetraverint, ibi injuria dominatur, infamia flagrat. *Val. Max. l. 4. c. 3.*

Avaritia fidem, probitatem, cæteraſque artes bonas ſubvertit; pro his, ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere docuit. *Salluſt. in Catil.*

Avaritiam tollere ſi vultis, mater ejus tollenda eſt luxuries. *Cic. l. 2. de orat.*

Nullum eſt officium tam ſanctum atque ſolemne, quod non avaritia cominuere aut violare ſoleat. *Id. pro Quinct.*

Ad omnia alia ætate ſapimus rectius, ſolum unum hoc vitium affert ſenectus hominibus: attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt. *Terent. in Adelph.*

Avaritia ſenilis quid ſibi velit, non intelligo. Poteſt enim quicquam eſſe abſurdius, quam quo minus vitæ reſtat, eo plus viatici quærere? *Cic. de Senect.*

Caligula contrectandæ pecuniæ cupidine adeo incenſus fuit, ut ſæpe ſuper immenſos aureorum acervos, potentiſſimo diffuſos loco, & nudis pedibus ſpatiatus, & toto corpore aliquandiu volutatus ſit. *Suet. in vita.*

Neminem pecunia divitem fecit, imo contra

nulli non majorem ſui cupiditatem incuſſit. Quæris, quæ ſit hujus rei cauſa? plus incipit habere poſſe, qui plus habet. *Sen. ep. 119.*

Avaritia latentium indagatrix lucrorum, manifeſtæ prædæ avidiſſima vorago, nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miſerrima. *Val. Max. l. 8. c. 4.*

Avaritia ſemper infinita, inſatiabilis eſt; neque copia, neque inopia minuitur. *Salluſt. in Catil. c. 11.*

Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum parcat, aut fœneret, ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat? *Sen. ep. 10.*

Quod ad illos pertinet, apud quos falſo divitiarum nomen invaſit occupata paupertas: ſic divitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat. E contra dicere debemus: Febris illum tenet: eodem modo dicendum eſt: divitiæ illum tenent. *Id. ep. 119.*

—— Locum virtutis deſeruit, qui
Semper in augenda feſtinat, & obruitur re.
Horat. l. 1. ep. 16.

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua ſidus currit utrumque.
Nec ſatiatus erat. gravidis freta pulſa carinis
Jam peragrabantur: ſi quis ſinus abditus ultra,
Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum
Hoſtis erat. Fatisque in triſtia bella paratis
Quærebantur opes. Petron. in Satyr.
At bona pars hominum decepta cupidine, falſo
Nil ſatis eſt, inquit: qui tanti quantum habeas, ſis.
Horat. l. 1. Sat. 1.

Spon-

Sponte tamen juvenes imitantur cætera, ſolam
Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.

Juven. Sat. 14.

Unde habeas, quærit nemo, ſed oportet habere,
Hoc monſtrant vetulæ pueris poſcentibus aſſem.
Hoc diſcunt omnes ante alpha & beta puellæ.

Id. ibid.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Hor. l. 3. Od. 16.
Creverunt & opes, & opum furioſa libido,
Et quo poſſideant plurima, plura petunt.
Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Ovid. 1. Faſt.

Creſcit indulgens cibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor. Hor. l. 2. Od. 2.
Prima fere vota, & cunctis notiſſima templis,
Divitiæ ut creſcant, ut opes, ut maxima toto
Noſtra ſit arca foro. Juven. Sat. 10.
—— *Hic nullo fine beatus,*
Componit opes gazis inhians:
Et congeſto pauper in auro eſt. Sen. in Herc. Fur.
Nullus argento color eſt, avaris
Abdito terris. Hor. l. 2. Od. 2.
Condit opes alius, defoſſoque incubat auro.

Virg. l. 2. Georg.

An vigilare metu exanimem noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia ſervos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.

Hor. l. 1. Sat. 1.

Non

Non uxor ſalvum te vult, non filius, omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.
Miraris, cum tu argento poſt omnia ponas,
Si nemo præſtat, quem non merearis amorem.

Idem. ib.

Qui melior ſervo, qui liberior ſit avarus,
In triviis fixum cum ſe demittit ob aſſem,
Non video. Nam, qui cupiet, metuet quoque porro,
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.

Id. l. 1. ep. 16.

AVDACIA.

MVlta, non quia difficilia ſunt, non audemus, ſed, quia non audemus, ideo difficilia ſunt. *Sen. ep. 104.*

Non fit ſine periculo facinus magnum & memorabile. *Ter. Heaut.*

Haud imprudenter ſpeculatus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret. & frequentiſſimum initium eſſe calamitatis, ſecuritatem. *Vellej. Pat. l. 2.*

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Virg. 6. Æn.

Audendum eſt, fortes adjuvat ipſe Deus.

Tibullus.

Fors juvat audentes, priſci ſententia vatis.

Claudianus ad Probinum.

AVDITVS.

NOn laudandus eſt, qui plus credit, quæ audit, quam quæ videt. Non placet cum illi plus laudant quæ audiunt, quam quæ vident. Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem. Qui audiunt audita dicunt: qui vident, plane ſciunt. *Plaut. in Trucul.*

Segni-

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator. Horat. de arte Poët.

Aula.

F*Raus ſublimi regnat in aula.*
Sen. in Hippol.

——— *Exeat aula*
Qui volet eſſe pius: Virtus & ſumma poteſtas
Non coëunt. Lucan. l. 8. bell. civ.

Aurum.

AVrum argentumque, quo mollius eo pulchrius. *Plin. l. 33. H. N. c. 6.*

Noli mirari, ſi pictura defecit: cum omnibus Diis hominibusque formoſior videatur maſſa auri, quam quicquid Apelles, Phidiasve Græculi delirantes fecerunt. *Petron. in Satyr.*

Philippus Alexandri M. pater, omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modo aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere. *Cic. 1. ad Att. ep. 13.*

Odi ego aurum, multa multis ſuaſit perperam. *Plaut. Capt.*

Poſſum de rerum natura queri, quod aurum argentumque non interius abſconderit; quod non illis majus, quam quod detrahi poſſet, pondus injecerit. *Sen. 7. de Benef. c. 10.*

——— *Auri pondera parvi*
Exuperant pretio numeroſos æris acervos.
Manil. 4. Aſtron.

Aurea nunc vere ſunt ſecula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor,
Propert. l. 3. el, 2.

Auto-

AVTORITAS.

PLato & Socrates,ut rationem non redderent, autoritate tamen hos minutos Philoſophos (Epicurum & Carneadem) vincerent. *Cic. de Divinit.*

Quid,quod etiam ſine probationibus, ipſa momentis autoritas prodeſt? Sic quomodo Juriſconſultorum valent reſponſa, etiamſi ratio non redditur. *Sen. ep. 94.*

Hoc ego Philoſophi non arbitror teſtibus uti, qui aut caſu veri,aut malitia,falſi fictique eſſe poſſunt. Argumentis & rationibus oportet,quare quicquid ita ſit, docere,non eventis,iis præſertim quibus mihi liceat non credere.*Cic.2.deDivin,c. 11.*

Hi ſunt invidiæ nimirum,Regule,mores,
Præferat antiquos ſemper ut illa novis.

Martial, l. 5.epigr. 10.

AVTOCHIRIA.

MOdus tantum & occaſio has res temperant. Neque enim intereſt multum, mors ad nos veniat, an ad illam nos. Illud imperitiſſimi cujusque verbum falſum eſſe tibi perſuade: Bella res eſt mori ſua morte. *Sen. ep. 69.*

Quocunque reſpexeris, ibi malorum finis eſt. Vides illum præcipitem locum? illac ad libertatem deſcenditur. Vides illud mare,illud flumen, illum puteum? Libertas illic in imo ſedet. Vides illam arborem brevem, retorridam, infelicem? Effugia ſervitutis ſunt. Nimis mihi, inquies, operoſos exitus monſtras, & multum animi ac roboris exigentes. Quæris igitur quod ſit ad libertatem iter? Quælibet in corpore tuo vena. *Idem. l.3 de Irac. 15.*

Cato

Cato ſic abiit e vita, ut cauſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet. Vetat enim ille dominans in nobis Deus, injuſſu hinc nos ſuo demigrare. *Cic. 1. Tuſcul. c. 30.*

Tui quoque clariſſimi exceſſus, Cato, Vtica monumentum eſt, in qua ex fortiſſimis vulneribus tuis, plus gloriæ quam ſanguinis manavit. Siquidem conſtantiſſime in gladium incumbendo, magnum hominibus documentum dediſti, quanto potior eſſe debeat probis dignitas ſine vita, quam vita ſine dignitate. *Val. Max. l. 9. c. 12.*

Proxima deinde tenent mœſti loca, qui ſibi lethum
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Projecere animas, quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores.

Virg. 6. Æn.

AVXILIVM.

A*D te confugio, & ſupplex tua Numina poſco.* Virg. 1. Æn.

Juppiter omnipotens, precibus ſi flecteris ullis,
Aſpice nos, hoc tantum: & ſi pietate meremur,
Da deinde auxilium pater, atque hæc omina firma.

Idem 2. Æn.

BACCHANALIA.

BAcchanalium ſacrorum mos novus inſtitutus, cum ad pernicioſam veſaniam iretur, ſublatus eſt. *Val. Max. l. 1. c. 3.*

BALNEVM.

QVid mihi cum iſtis calentibus ſtagnis? quid cum ſudatoriis, in quæ ſiccus vapor corpora exhauſturus includitur? Omnis ſudor per laborem exeat. *Sen. ep. 51.*

BARBA.

ACcedat huc, quod piloſus ille oris decor, efferis Gallis, qui Duce Brenno Romam occuparunt, non admirationem modo, ſed & metum incuſſerit non mediocrem, quando irrumpentes in atria Quiritium, reverendos prolixa & incana barba ſenes, in curulibus ſellis ſedentes, ceu Numina quædam ſuſpexere primo, mox poſt acceptam injuriam, in omnes deſæviere. *Val. Max. l. 3. c. 2.*

Nec mea quod rigidis horrent denſiſſima ſetis
Corpora, turpe puta. Turpis ſine frondibus arbor,
Turpis equus, niſi colla jubæ flaventia velent;
Pluma tegit volucres, ovibus ſua lana decori eſt,
Barba viros, hirtæque decent in corpore ſetæ.

Ovid. l. 13. Metam.

BARBARI.

BArbaris ex fortuna pendet fides. *Liv. l. 28. c. 17.*

Barbarorum impetus acres, cunctatione langueſcunt, aut in perfidiam mutantur. *Tac. l. 12. Ann.*

Barbaræ gentes fidei dubiæ, & mentis infidæ. *Juſtin. l. 11. c. 1.*

Barbaris cunctatio ſervilis, ſtatim exſequi regium videtur. *Tac. 6. Ann. c. 32.*

BEATUS.

BEatus eſſe ſine virtute nemo poteſt, nec virtus ſine ratione conſtare. *Cic. 1. de Nat. Deor. c. 18.*

——— Scilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.

Ovid. l. 3. Metam.

Non

Non poſſidentem multa, vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque letho flagitium timet:
Non ille pro charis amicis,
Aut patria timidus perire.

Horat. l. 4. Od. 9.

Bellum.

NVnquam Imperator ita paci credit, ut non ſe præparet bello: quod etiamſi non geritur, indictum eſt. *Sen. de vita beata c. 26.*

Qui deſiderat pacem, præparet bellum. *Veget. l. 3. de re milit.*

Nulla magna civitas diu quieſcere poteſt: ſi foris hoſtem non habet, domi invenit: ut prævalida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur. *Liv. l. 30. cap. 44.*

In bello & ſuſcipiendo, & gerendo, & deponendo jus plurimum valet. *Cic. 2. de leg.*

Non pudet homines, mitiſſimum genus, gaudere ſanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere: cum inter ſe etiam mutis & feris pax ſit. *Sen. ep. 95.*

Omnis belli Mars communis, & ſemper incerti exitus præliorum ſunt. *Cic. l. 6. ep. 4.*

Nemini eſt exploratum, cum ad arma ventum eſt, quid futurum ſit. *Cic. l. 7. ad Att. ep. 7.*

Bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, easque detrahere Ducibus, comunicare cum militibus, ne propriæ ſint Imperatorum. Et certe in armis, militum virtus, locorum opportunitas,

auxilia ſociorum, claſſes, commeatus, multum juvant. *Cic. pro Marcello.*

Vicerunt ergo Dii hominesque, & id de quo verbis ambigebatur, uter populus fœdus rupiſſet, eventus belli, velut æquus judex, unde jus ſtabat, ei victoriam dedit. *Liv. l. 21. c. 10.*

Juſte arma non minus quam fortiter didicimus gerere. Arma habemus non adverſus eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur: ſed adverſus armatos, & ipſos, qui nec læſi, nec laceſſiti a nobis, caſtra Romana ad Vejos oppugnarunt. *Id. l. 5. cap. 27.*

Jure gentium ita comparatum eſt, ut arma armis propulſentur. *Liv. l. 42.*

Cum ſint duo genera certandi, unum per diſceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum; confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore. *Cic. 1. Offic. cap. 11.*

Ac belli quidem æquitas ſanctiſſime Feciali Populi Rom. jure præſcripta eſt. Ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante ſit, & indictum. *Id. ib.*

Quibus peſſima & im̃odica cupiditas erat, non poterat pax placere. *Vellej. Paterc. l. 2. Hiſt. c. 25.*

Diu magnum inter mortales certamen fuit, vine corporis, an virtute animi, res militaris magis procederet. Nam, & prius quam incipias, conſulto, & ubi conſulueris, mature facto opus eſt. Ita utrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio indiget. *Salluſt. in Catil. c. 1.*

Suſci-

Suſcipienda bella ſunt ob eam cauſam, ut ſine injuria in pace vivatur. *Cic. 1. Offic. cap. 11.*

Periculo atque negotiis compertum eſt, in bello plurimum ingenium eſſe. *Salluſt. in Catil. c. 2.*

Boni Duces publico certamine nunquam niſi ex occaſione, aut nimia neceſſitate confligunt. *Veget. l. 3. de re mil. c. 26.*

Vrgentibus Imperii fatis, nihil jam præſtare fortuna majus poteſt, quam hoſtium diſcordiam. *Tac. de mor. c. 33.*

Belli neceſſitates non exſpectant humana conſilia. *Liv. l. 4. c. 57.*

Boni Duces non aperto Marte prælium, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant, ut integris ſuis, quantos poſſint hoſtes, interimant certe, vel terreant. *Veget. l. 3. de re mil. cap. 9.*

Plus animi eſt inferenti periculum, quam propulſanti. *Liv. l. 28. c. 44.*

Subita conterrent hoſtes, uſitata vileſcunt. *Veget. l. 3. de re mil. c. 26.*

Cedere loco, dummodo rurſus inſtes, conſilii potius, quam formidinis arbitrantur. *Tac. de mor. cap. 6.*

Nec ego negaverim, aliquando cedendum: ſed ſenſim, relato gradu, & ſalvis ſignis, ſalva militari dignitate. Sanctioresque ſunt hoſtibus ſuis, qui in fidem cum armis veniunt. *Seneca de Tranquil. cap. 3.*

Cavendum eſt, ne dubitantem aut formidantem exercitum, ad pugnam aliquando producas. *Veget. l. 3. c. 9.*

Vir fugiens denuo pugnabit. *Agel.l.17.cap.21.*

Rebus ſecundis, etiam egregii Duces inſoleſcunt. *Tac. 2. Hiſt. c.7.*

Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque comunem, qui ſæpe ſpoliantem jam, & exultantem evertit. *Cic. pro Milone.*

Omnia ſunt miſera in bellis civilibus. Sed miſerius nihil quam ipſa victoria: quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores, impotentioresque reddit: ut etiamſi natura tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur. Multa enim victori, eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda ſunt. *Cic. l. 4. ad famil ep. 9.*

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.
Virg. l. 1. Æn.

—— Nunc belli mala
Propone, dubias Martis incerti vices.
Licet omne tecum Græciæ robur trahas,
Licet arma longe miles ac late explicet;
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.
Seneca in Thebaide.

—— Cruento cecidit in bello pater,
Cecidere fratres: arma non ſervant modum,
Nec temperari facile, nec reprimi poteſt,
Stricti enſis ira: bella delectat cruor.
Sen. in Herc. Fur.

Frangit & attollit vires in milite cauſa,
Quæ, niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.
Propert. l. 4. el. 6.

Cauſa jubet melior, Superos ſperare ſecundos.
Lucan. l. 7.

Vis colitur, jurisque locum ſibi vendicat enſis.
Silius l. 2.

Hic

Hic magnus ſedet Æneas, ſecumque volutat
Eventus belli varios. Virg. l. 10. Æn.
Non ſenis extremum piguit ferventibus armis
Præcipitaſſe diem, nec primo in limite vitæ
Infantis miſeri naſcentia rumpere fata.
Crimine quo parvi cædem potuere mereri?
Sed, ſatis eſt, jam poſſe mori,
Lucan. l. 2. bel. civil.

BENEFICENTIA.

QVid melius aut præſtantius bonitate & beneficentia? *Cic. l. 1. de nat. Deor.*

Beneficiorum commercio vita continetur. *Sen. l. 4. de Benef. c. 18.*

Hominibus prodeſſe natura jubet, ſervi liberine ſint, ingenui an libertini, juſtæ libertatis, an inter amicos datæ, quid refert? ubicunque homo, ibi beneficio locus eſt. *Idem de vita beata c. 24.*

Beneficiis humana vita conſtat, & concordia: nec terrore, ſed mutuo amore in fœdus auxiliumq; comune conſtringitur. *Id. l. 1. de Ira c. 5.*

Efficis, ut tantum tibi quisque præſtitiſſe videatur, quantum a te recepit. *Plin. in Panegyr.*

Non lucrum ex beneficio capto, non voluptatem, non gloriam. *Sen. l. 4. de Benef. c. 10.*

Quidam beneficium quod dederunt, omnibus circulis narrant. Hoc ſobrii loquuntur, hoc ebrii non continent, hoc ignotis ingerunt, hoc amicis committunt. Vt hæc nimia & exprobratrix memoria ſubſideret, oblivisci eum, qui dedit, jusſimus. *Id. l. 7. de Benef. c. 22.*

Maxima beneficia probationem non habent; ſæpe intra tacitam duorum conſcientiam latent. *Id. l. 3. de Benef. c. 10.*

Grave eſt homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo ſe bene meritum putet: ne id quod petit, exigere magis, quam rogare, & in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur. *Cic. l. 2. Famil. ep. 6.*

Hæc beneficii inter duos lex eſt: Alter ſtatim obliviſci debet dati, alter accepti nunquam. Lacerat animum & premit, frequens beneficiorum commemoratio. *Sen. l. 3. de Benef. c. 10.*

Improbus eſt homo, qui beneficium ſcit ſumere, & reddere neſcit. *Plautus in Perſa.*

Æquiſſima vox eſt, & jus gentium præ ſe ferens, Redde quod debes. Hæc, turpiſſima eſt in beneficio; Redde *Sen. l. 3. de Benef. c. 14.*

Abs quovis homine, cum opus eſt, beneficium accipere gaudeas. Verum enim vero, id demum juvat, ſi quem æquum eſt benefacere, is facit. *Terent. in Adelph.*

Non poteſt beneficium manu tangi, animo cernitur. Multum intereſt inter materiam beneficii, & beneficium. Itaque nec aurum, nec argentum, nec quicquam eorum, quæ a proximis accipiuntur, beneficium eſt, ſed ipſa tribuentis voluntas. *Sen. l. 1. de benef. c. 5.*

Iſthæc commemoratio, quaſi exprobratio eſt immemoris beneficii. *Ter. in Andr.*

Jucunda ſunt, quæ humana fronte leni, placidaq; tribuuntur: quæ cum daret mihi ſuperior, non exultavit ſupra me, ſed, quam potuit benigniſſimus fuit, deſcenditque in æquum, & detraxit muneri ſuo pompam, obſervavit idoneum tempus, ut in occaſione potius, quam in neceſſitate ſuccurreret. *Sen. l. 2. de benef. c. 13.*

Neque

Neque enim aut levi mercede emit,qui precatur,aut parvum pretium accipit,qui rogatur. *Apul. l. 3. Florid.*

Quod præſens tanquam manu datur, jucundius eſt. *Cic. l. 2. Offic. c. 17.*

Benefacta benefactis aliis tegito, ne perpluant. *Plaut. in Trin.*

Titus Flav. Veſpaſianus recordatus quondam ſuper cœnam, quod nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi. *Sueton. in vita c. 8.*

Melius apud bonos, quam apud fortunatos beneficium collocari puto. *Cic l. 2. Off. c. 10.*

Specioſius beneficiis vincuntur injuriæ, quam mutui odii pertinacia penſantur. *Val. Max. l. 4. c. 2.*

Nullum beneficium dico eſſe id, quod, cui facias, non placet. *Plaut. Trin.*

Videndum eſt igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ proſit amicis, noceat nemini. *Cic. l. 1. Off. c. 14.*

Beneficia eo usque læta ſunt, dum videntur exſolvi poſſe: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur. *Tac. l. 4 Ann.*

Sæpe hoc non potuere divitiæ in domum effuſæ, quod opportune dati mille denarii. *Sen. l. 2. de Benef. c. 2.*

Qui feſtinat reddere, non habet animum grati hominis, ſed debitoris. Et, ut breviter dicam, qui nimis cito cupit ſolvere, invitus debet: qui invitus debet, ingratus eſt. *Idem l. 4. de Benef. c. 40.*

——— *Sic acceptiſſima ſemper*
Munera ſunt, auctor quæ gratioſa facit.

Ovid. ep. 16.

Magna licet toties tribuas majora daturus
Dona, Ducum victor, victor & ipſe tui.
Diligeris populo, non propter munera, Cæſar,
Propter te populus munera, Cæſar, amat.
Martial. l. 8. epigr. 54.
Nil negat, & ſeſe vel non poſcentibus offert.
Claud. l. 5. in Eutrop.
Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt, gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.
Auſonius.
Quæ mihi præſtiteris, memini ſemperque tenebo,
Cur igitur taceo? Poſtume tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: Dixerat ipſe mihi.
Non belle quædam faciunt duo: ſufficit unus
Huic operi, ſi vis ut loquar, ipſe tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Poſtume, dona,
Auctoris pereunt garrulitate ſui.
Martial. l. 5. epigr. 53.
——— *Grates perſolvere dignas*
Non opis eſt noſtræ, Dido, nec quicquid ubique eſt
Gentis Dardaniæ, magnum quæ ſparſa per orbem:
Dî tibi (ſi qua pios reſpectant Numina, ſi quid
Vſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti,)
Præmia digna ferant. Virg. 1. Æn.

BONVM. BONA.

Πάντα τοῦ ἀγαθοῦ ἐφίεται. *Ariſtot. 3. Top. 1.*

Id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum. *Cic. pro P. Sextio.*

Sed, ut illa prætercam, aut iſta bona non ſunt, quæ vocantur, aut homo felicior Deo eſt: quoniam quidem quæ parata nobis ſunt, nõ habet in uſu Deus, nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia

titia, nec opes, nec quicquam ex his hominem ineſcantibus & vili voluptate ducentibus, pertinet. Ergo aut, quod incredibile eſt, bona Deo deſunt, aut hoc ipſum argumentum eſt, bona non eſſe, quæ Deo deſunt. *Sen. ep. 74.*

Quid autem non cōmune eſt, quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet. Luna innumerabilibus comitata ſideribus, etiam feras ducit ad pabulum. Quid aquis dici formoſius poteſt? In publico tamen manant. *Petron. in Satyr.*

Anteponuntur quæ propter ſe expetenda ſunt, iis, quæ propter aliud: & innata atque inſita, asſumtis & adventitiis. *Cic. in Top.*

Plura bona paucioribus anteponantur: diuturniora, brevioribus: longe & late pervagata, anguſtis: ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur, & faciant. *Id. ibid.*

Enituit aliquis in bello; ſed obſolevit in pace: alium toga, ſed non & arma honeſtarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit: ille, quæſitam domi gloriam, in publico, hic in publico partam, domi perdidit. Poſtremo, adhuc nemo extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. *Plin. in Panegyr.*

Nulli eſt homini perpetuum bonum. Jam huic voluptati hoc adjunctum eſt odium. *Plaut. in Curcul.*

Tum denique homines noſtra intelligimus bona, cum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus. *Id. Capt.*

Omnibus in terris, quæ ſunt a Gadibus usque
Auroram & Gangem, pauci dignoſcere poſſunt
Vera bona, atque illis multum diverſa, remota
Erroris nebula. Juven. Sat. 10. BRE-

BREVITAS.

FAcilius cujusq; rei in unum contracta ſpecies, quam diviſa temporibus, oculis, animisque inhæret. *Vellej. l. 1. c. 14.*

Quic quid præcipies, eſto brevis, ut cito dicta,
Percipiant animi dociles, teneantque fideles
Horat. de arte Poët.

Decipimur ſpecie recti: brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio: ſectantem levia, nervi
Deficiunt. Idem ibid.

CÆCITAS.

CÆcus non iraſcitur, non odit, non concupiſcit. Et cum corpora noſtra vigorem de luminibus accipiant, pereunt cum ſuis vitia cauſis. *Quintil. decl. 2.*

Pro Superi quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent. Ovid. 6. Metam.

Viſu carentem magna pars veri latet.
Sen. in Oedipo.

CALAMITAS.

HOs itaque Deus quos amat, indurat, recognoſcit, exercet. Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles, venturis malis ſervat. Erratis enim, ſi quem judicatis exceptum, veniet ad illum diu felicem ſua portio. Quisquis videtur dimiſſus eſſe, dilatus eſt. *Sen. de Provid. c. 4.*

Sed unum hoc ſcito, nimio celerius venire quod moleſtum eſt, quam id quod cupide petas. *Plaut. in Moſtel.*

Habet has vices conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcantur. *Plin. in Panegyr.*

Non

Non ſentire mala ſua, non eſt hominis: & non ferre, non eſt viri. *Sen. Conſol. ad Polyb. c. 36.*

Nihil quicquam homini tam proſperum divinitus datum, quin ei tamen admixtum ſit aliquid difficultatis; ut etiam in ampliſſima quaque lætitia, ſubſit quæpiam vel parva querimonia, conjugatione quadam mellis & fellis. Vbi uber, ibi tuber. *Apul. l. 4. Florid.*

Neque in bona ſegete nullum eſt ſpicum nequam; neque in mala, non aliquod bonum. *Varro apud Nonium.*

Quid mirum ſi dure generoſos ſpiritus Deus tentat? nunquam virtutis molle documentum eſt. *Sen. de Provid. c.* 4.

Is demum miſer eſt, qui ærumnam ſuam nequit occultare. *Cæcilius apud Agel. l. 2. c. 23.*

Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis, & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſum, cui, quicquid patimur, intextum eſt. *Sen. ep. 107.*

At, ne illa quidem conſolatio firmiſſima eſt, quanquam & uſitata, & ſæpe prodeſt: Non tibi hoc ſoli. Prodeſt hæc quidem, ſed nec ſemper, nec omnibus. Sunt enim qui reſpuant: ſed refert, quomodo adhibeatur. *Cic. 3. Tuſc. quæſt. c. 33.*

—— Nulla lux unquam mihi
Secura fulſit, finis alterius mali,
Gradus eſt futuri. Sen. in Troad.

Quemcumque miſerum videris, hominem ſcias. Id. Herc. Fur.

Explo-

Explorant adverſa viros, perque aſpera, duro
Nititur ad laudem, virtus interrita clivo.
Silius. l. 4.

—— *Non eſt, ut putas, virtus, Pater,*
Timere vitam, ſed malis ingentibus
Obſtare, nec ſe vertere, ac retro dare.
Sen. in Thebaide.

Venit poſt multos, una ſerena dies.
Tibul. l. 2. el. 6.

Dulce mœrenti populus dolentum,
Dulce lamentis reſonare gentes,
Lenius luctus lacrymæque mordent,
Turba quas fletu ſimili frequentat.
Semper, ah ſemper, dolor ipſe magnus
Gaudet in multos ſua fata mitti,
Seque non ſolum patuiſſe pœnæ.
Ferre, quam ſortem patiuntur omnes,
Nemo recuſat. Sen. Troad.

CALCEVS.

C*Vi non conveniet ſua res, ut calceus olim,*
Si pede major erit ſubvertet: ſi minor, uret.
Horat. ep. 10.

CALVMNIA.

HOmines mali ſunt, qui bonis dicunt male. *Plaut. in Bacch.*

Ocimum ſerentes & cuminum, quæ lætius provenire credita, ſi cum maledictis ac probris ſerantur. *Plin. l. 19. c. 7.*

Iſthic eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus, ut quæſtui habeant male loqui melioribus. *Plaut. in Pœn.*

—— *Abſentem qui rodit amicum,*
Qui non defendit alio culpante, ſolutos

Qui

Qui captat riſus hominum, famamque dicacis:
Fingere qui non viſa poteſt, commiſſa tacere
Qui nequit hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.
Hor. l. 1. Sat. 4.

Canis.

CAnum genera duo, unum venaticum, & pertinet ad feras beſtias ac ſylveſtres: alterum quod cuſtodiæ cauſa paratur, & pertinet ad paſtorem. *Varro l.2.de re ruſt. c.9.*

In cane ſagacitas prima eſt, ſi inveſtigare debet feras: curſus, ſi conſequi: audacia, ſi mordere & invadere. *Sen. ep. 77.*

Maſſaniſſa Rex, parum fidei in pectoribus hominum reponens, ſalutem ſuam cuſtodia canum vallavit. *Valer. Max. l. 9. c. 13.*

Colophonii & Caſtabalenſes cohortes canum habuere, inque aciem eduxere. *Plin. l. 8. c. 40.*

Nec non & gemini cuſtodes limine ab alto
Procedunt, greſſumque canes comitantur herilem.
Virg. l. 8. Æn.

Cantus.

SI vox eſt, canta, ſi mollia brachia, ſalta,
Et quacunque potes dote placere, place.
Ovid. 1. de art.

Omnibus hoc vitium eſt cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati:
Injuſſi nunquam deſiſtant.
Horat. l. 1. Sat. 3.

Capillus.

ETiam capillus unus habet ſuam umbram. *Publius.*

Nihil intereſt, utrum capillos pares habeas necne. *Sen. ep. 82.*

Fœmi-

Fœmina procedit denſiſſima crinibus emtis,
Proque ſuis alios efficit ære ſuos.
Ovid. 3. de arte.

CARMEN.

SCribimus indocti doctique poëmata paſſim.
Hic error tamen & levis hæc inſania, quantas
Virtutes habeat, ſic collige. Horat. l. 1. epiſt.
Carmine Dî ſuperi, placantur carmine Manes.
Id. ibid.
Scindentur veſtes, gemmæ franguntur, & aurum,
Carmina quam tribuent fama, perennis erit,
Ovid. l. 1. Triſt.
Dignum laude virum, Muſa vetat mori.
Cælo Muſa beat. Horat. Od. 6. l. 4.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro.
Idem l. 4. Od. 9.
Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt.
Ovid. l. 1. triſt.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbem.
Horat. l. 2. Epiſt.

At mihi jam puero cœleſtia ſacra placebant,
Inque ſuum furtim Muſa trahebat opus.
Sponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam ſcribere, verſus erat.
Ovid. l. 4. triſt.
Ipſe licet venias Muſis comitatus, Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.
Id. l. 2. de arte.

CASTI-

Castitas.

NOn eſtis exhortandi mihi ad tuendam caſtitatem, civitati ante omnia neceſſariam. Matrimoniis, etiam ſi ego tacuerim, ſcitis contineri civitatem: his populos, his liberos & ſucceſſionem matrimoniorum, & gradum hereditatum, his ſecuritatem domeſticam. *Quintil. declam.* 249.

Dos eſt magna parentium
Virtus & metuens alterius viri,
Certo fœdere caſtitas.

Hor. l. 3. Od. 24.

At peccant aliæ; matronaque rara pudica eſt.
Quis probibet raris nomen ineſſe meum?

Ovid. Ep. 15.

Casus.

QVis Fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum caſus ſatis mirari queat? quis non diverſa præſentibus, contrariaque expectatis, aut ſperet, aut timeat? *Vellej. l. 2. Hiſt. c.* 75.

Non fortuna homines æſtimabo, ſed moribus. Sibi quisque dat mores, conditionem caſus aſſignat. *Macrob. 1. Saturn. c. 11.*

Quem ſæpe tranſit caſus, aliquando invenit.

Sen. Herc. Fur.

Causa.

F*Elix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.*
Virg. 2. Georg.

Frangit & attollit vires in milite cauſa,
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Propertius.

CERTAMEN.

IN certaminibus ad ſpectaculum editis, meliorem palma declarat: quanquam in illis quoque ſæpe deteriorem prætulit caſus. *Sen. 4. de Benef.*

Pudet congredi cum homine vinci parato. Ignominiam judicat gladiator, cum inferiore componi, & ſcit eum ſine gloria vinci, qui ſine periculo vincitur. *Idem de Prov. c. 3.*

In omni certamine, qui opulentior eſt, etiamſi accipit injuriam, tamen, quia plus poteſt, facere videtur. *Salluſt. Jugurth. c. 10.*

Nam trophæum ferre me a forti viro pulchrum eſt. Si autem vincor, vinci a tali nullum eſt probrum. *Actius Tragœdus apud Macrob. 6. Sat. c. 1.*

CIBVS.

HOc obſervatum eſt, quod ſine hauſtu ſpiritus, ultra horas ſeptem, ſine cibo, ultra totidem dies, vita non durat. *Macrob. l. 1. Somn. Scip.*

Pueros impuberes compertum eſt, ſi plurimo cibo, nimioque ſomno uterentur, hebetiores fieri: advertimusque hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, minusq; adoleſcere. *Agel. l. 4. c. 19.*

Copia ciborum ſubtilitas animi impeditur. *Sen. ep. 15.*

Epulæ cruditatem afferunt: ebrietates, nervorum torporem tremoremque: libidines, pedum, manuum, articulorum omnium depravationes. *Id. ep. 24.*

Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare; quæ, ubi varia ſunt, & diverſa, inquinant, non alunt. *Id. ep. 2.*

Exer-

Exercitatio ſemper antecedere cibum debet.
Corn. Celſus l.1.c.2.

Infudere epulas auro, quod terra, quod aër,
Quod pelagus Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens, toto quæſivit in orbe,
Non mandante fame, multas volucresque ferasque
Ægypti poſuere Deos. Lucanus l. 10.
Vt vero eſt expulſa quies, furit ardor edendi,
Perque avidas fauces, immenſaque viſcera regnat.
Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aër,
Poſcit, & appoſitis queritur jejunia menſis.
Inq; epulis epulas quærit: quodque urbibus eſſe,
Quodq; ſatis poterat populo, non ſufficit uni:
Plusque cupit, quo plura ſuam demittit in alvum.
Ovid. 8. Metamorph.

——— *O prodiga rerum*
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæſitorum terra pelagoque ciborum,
Ambitioſa fames, & lautæ gloria menſæ.
Diſcite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. Non erigit ægros,
Nobilis ignoto diffuſus Conſule Bacchus:
Non auro myrrhaque bibunt, ſed gurgite puro,
Vita redit. Satis eſt populis, fluviusque, Ceresque.
Lucan. l. 4.

Coelum.

HÆc ſuper impoſuit liquidum & gravitate carentē
Æthera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.
Ovid. l. 1. Metam.

Non eſt ad aſtra mollis e terris via.
Sen. Herc. Fur.

Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba:
Aſtra tenent cœleſte ſolum formæque Deorum.

Ovid. l. 1. Metam.

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros,
Conſulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo:
Hæc ſumma virtus, petitur hac cœlum via.

Sen. in Octav.

Eſt via ſublimis, cœlo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo.
Hac iter eſt ſuperis, ad magni tecta tonantis,
Regalemque domum: dextra lævaque Deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Plebs habitat diverſa locis, a fronte potentes
Cœlicolæ, clarique ſuos poſuere penates.
Hic locus eſt quem, ſi verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixiſſe palatia cœli.

Ovid. 1. Metam.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus;
Nec ſumit aut ponit ſecures,
Arbitrio popularis auræ.
Virtus, recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via:
Cœtusque vulgares & udam
Spernit humum, fugiente penna.

Horat. l. 3. Od. 2.

Cognitio Sui.

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo:
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Pers. Sat. 4.

Deni-

—— *Denique teipſum*
Concute, num tibi quid vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala. Namque
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.
Horat. l. 1. Sat. 3.
—— *Quem te Deus eſſe*
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re,
Diſce. Idem Sat. 1.
Tecum habita, & noris, quam ſit tibi curta ſupellex.
Idem Sat. 4.
—— *E cœlo deſcendit* γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum, & memori tractandum pectore, ſive
Conjugium quæras, vel ſacri in parte Senatus
Eſſe velis. Juven. Sat. 11.

Conscientia.

Magna vis eſt Conſcientiæ in utramque partem; ut neque timeant ii, qui nihil admiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccaverunt. *Cic. pro Milone.*

Poteſt nocenti contingere, ut lateat; latendi fides non poteſt. *Epicurus apud Sen. ep. 98.*

Namq; animus impurus, Diis hominibusque infeſtus, neque vigiliis, neque quietibus ſedari poteſt. Ita conſcientia mentem excitam vaſtat. *Salluſt. Catilin.*

—— *Hic murus aheneus eſto,*
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.
Horat. l. 1. Ep.
Conſcia mens recti, famæ mendacia ridet,
Sed nos, in vitium credula turba ſumus.
Ovid. 4. Faſt.
Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet autori, prima hæc eſt ultio, quod ſe

Judice nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.
Juven. Sat. 13.
Conſcia mens ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro facto, ſpemque metumque ſuo.
Ovid. 1. Faſtor.

CONSILIUM.

TEne iſtud loqui? Nonne flagitium eſt, te aliis conſilium dare, foris ſapere, tibi non poſſe te auxiliarier? *Terent. in Heaut.*

Omnia prius experiri conſilio, quam armis, ſapientem decet. *Idem Eun.*

Facile omnes cum valemus, recta conſilia ægrotis damus, tu ſi hic ſis, aliter ſentias. *Terent. in Andr.*

Conſilium nobis, resque locusque dabunt.
Ovid. l. 1. Triſt.

CONSOLATIO.

TEmporis officium ſolatia dicere certi eſt.
Dum dolor in curſu eſt, dum petit æger opem.
At cum longa dies ſedavit vulnera mentis,
Intempeſtive qui movet, illa novat.
Ovid. 4. de Ponto.
Nec ſcelus admittis, ſi conſoleris amicum,
Mollibus & verbis aſpera fata leves.
Idem 3. de Ponto.

CONSTANTIA.

MEns intacta manet, ſuperat ridetque dolores,
Spectanti ſimilis. feſſoq; labore miniſtros
Increpitat. Sil. Ital. l. 1. bel. Pun.
Sperat infeſtis, metuit ſecundis,
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus. Horat. l. 2. Od. 10.

Contagio.

—— *Dedit hanc contagio labem,*
Et dabit in plures; ſicut grex totus in agro
Unius ſcabie cadit & porrigine porci,
Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva.
Juven. Sat. 2.

Contentus Sua Sorte. Autarkeia.

ID egit rerum natura, ut ad bene vivendum non magno apparatu opus eſſet. *Sen. Conſol. ad Helv. cap. 5.*

Ea perturbatio eſt omnium rerum, ut ſuæ quemque fortunæ maxime pœniteat, nemoque ſit, quin ubivis, quam ibi, ubi eſt, eſſe malit. *Cic. l. 6. ep. 1.*

Voluptatem æqualem, intrepidam, nunquam ſenſuram ſui tædium, percipit hic, qui, ut ita dicam, Divini juris atque humani peritus, præſentibus gaudet, ex ſuturo non pendet. *Sen. 7. de benef. c. 2.*

Illa placet tellus, in qua res parva beatum
Me facit, & tenues luxuriantur opes.
Martial. l. 10. Epigr. 96.

—— *Multa petentibus*
Deſunt multa. Bene eſt cui Deus obtulit,
Parcâ, quod ſatis eſt, manu. Horat. l. 3. Od. 16.

Qui fit Mecænas, ut nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit, illa
Contentus vivat, laudat diverſa ſequentes?
O fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra Mercator, navim jactantibus auſtris,
Militia eſt potior. Quid enim? concurritur: horâ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.

 Agri-

Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat.
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem eſt,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Idem. l. 1. Sat. 1.

CONTUMELIA.

BOnum ingenium contumelia accenditur. *Salluſt. in Jugurth. c. 82.*

Non poteſt generoſus animus contumeliam pati. *Sen. l. 9. controv.*

In maledicto plus injuriæ, quam in manu. *Quintil. l. 6. Inſtit. c. 2.*

Indignis ſi male dicitur, maledictum id eſſe dico: verum, ſi dignis dicitur, benedictum eſt meo quidem animo. *Plaut. in Curcul.*

Contumeliam ſi dices, audies. *Idem in Aſinar.*

CORPUS HUMANUM.

HÆc, quæ vides oſſa circumvoluta nervis, & obductam cutem, vultumque & miniſtras manus, & cætera quibus involuti ſumus, vincula animorum, tenebræque ſunt. Obruitur his animus, offuſcatur, inficitur, arcetur a veris, & ſuis, in falſa conjectus. Omne illi cum hac carne gravi certamen eſt, ne abſtrahatur, & ſidat. *Sen. Conſol. ad Marciam c. 24.*

Corpuſculum hoc cuſtodia & vinculum animi, huc atque illuc jactatur. *Idem ad Helviam c. 11.*

Major ſum, & ad majora genitus, quam ut mancipium ſim mei corporis: quod equidem non aliter adſpicio, quam vinculum aliquod libertati meæ circumdatum. *Idem ep. 65.*

Pectus nunquam magis divinum eſt, quam ubi mortalitatem ſuam cogitat, & ſcit in hoc natum homi-

hominem, ut vita defungeretur: nec domum eſſe hoc corpus, ſed hoſpitium, & quidem breve hoſpitium. *Idem ep. 120.*

Corpus multis eget rebus, ut valeat: animus ex ſe creſcit, ſe ipſe alit, ſe exercet. Illi multo cibo, multa potione opus eſt, multo oleo, longa denique opera. *Idem ep. 80.*

Corporis noſtri partes, totaque figura, & forma & ſtatura, quam apta ad naturam ſit, apparet. *Cic. 5 de Fin.*

Hanc ſanam & ſalubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Durius tractandum eſt, ne animo male pareat: cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit adverſus infeſta corporis. *Sen. ep.* 8.

In corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt: alios enim videmus velocitate ad curſum, alios viribus ad luctandum valere: itemque in formis aliis dignitatem ineſſe, aliis venuſtatem. *Cic. 1. Offic. c. 36.*

Corporis eſt etiam ratio non ſegnis habenda:
Corpus enim male ſi valeat, parere nequibit
Præceptis animi, magna & præclara jubentis.
Quare danda opera eſt, ut victus ſit bonus: unde
Gignatur ſanguis purus. Nam noxius humor
Plerumque ex pravis epulis per membra creatur.

Palingen. in Capricor.

CORRECTIO, INCREPATIO.

NEq; enim ſatis eſt, reprehendiſſe peccantem, ſi non doceat recti viam. *Columel. l. 11. de R. R. c. 1.*

Non poteſt ullam autoritatem habere ſententia.

ubi qui damnandus eſt, damnat. *Sen. de rem. utr. fort.*

Non concedo, ut quibus rebus gloriemini in vobis, eaſdem in aliis reprehendatis. *Cic. pro Ligar.*

Amicum caſtigare ob meritam noxiam, immune eſt facinus, verum in ætate utile & conducibile. *Plaut. in Trin.*

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quis cœlum terræ non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni,
Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum?

Juven. Sat. 2.

Cum relego ſcripſiſſe pudet: quia plurima cerno,
Me quoque, qui feci, judice digna lini.

Ovid. 1. de Ponto.

CREDVLITAS.

FEre libenter homines id quod volunt, audiunt. *Cæſ. 3. de bell. Gall. c. 18.*

Quæ volumus, & credimus libenter, &, quæ ſentimus ipſi, reliquos ſperare ſentimus. *Id. l. 2. bell. civ. c. 27.*

Melius omnibus, quam ſingulis creditur. Singuli enim decipere & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt. *Plin. in Paneg.*

Vtrumque vitium eſt, & omnibus credere, & nulli. *Sen. ep. 3.*

Credulitas error eſt magis quam culpa: & quidem in optimi cujusque mentem facillime irrepit. *Cic. l. 10. epiſt. fam.*

Nullum eſt meum peccatum, niſi quod iis credidi, a quibus nefas eſſe putaram me decipi. *Id. l. 1. ad Quint. Fratrem.*

At

—— *At vos quod quiſque loquatur*
Credite, credenti nulla procella nocet.
Ovid. l. 2. Triſt.

Crudelitas.

—— Q*Vis prodere tanta relatu*
Funera, quis cædes poſſet deflere nefandas?
Claudian. l. 1. in Rufin.

Sævior es triſti Buſiride, ſævior illo,
Qui falſum lento torruit igne bovem,
Quique bovem Siculo fertur donaſſe tyranno,
Et dictis artes conciliaſſe ſuas.
Ovid. l. 3. Triſt.

Culpa.

MVlier fecit. Mirandumne id eſt? Cenſen' te poſſe ullam reperire mulierem, quæ careat culpa? An quia non delinquunt viri. *Ter. in Hecyra.*

Heu quam difficile eſt, crimen non prodere vultu.
Ovid. l. 2. Metam.

—— *Cui frigida mens eſt,*
Criminibus tacita ſudant præcordia culpa,
Inde iræ, lacrymæ. Juven. Sat. 1.

Cupiditas.

C*Reverunt & opes, & opum furioſa libido,*
Et cum poſſideant plurima, plura petunt.
Ovid. l. 1. Faſt.

Creſcit amor numi, quantum ipſa pecunia creſcit,
Et minus hanc optat, qui non habet. Juven. Sat. 14.
Fortuna multis nimis dat, ſatis nulli.
Martial. l. 12. Epigr.

Vnus Pellæo juveni non ſufficit orbis,
Æſtuat infelix anguſto limite mundi.
Juven. Sat. 10.

CURA.

TUa quod nihil refert, percontari deſinas. *Ter. in Hec.*

Magnæ curæ, magna merces eſt. *Salluſt. in orat. ad C. Cæſ.*

O curas hominum, o quantum eſt in rebus inane! Perſius Sat. 1.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Hor. l. 3. Od. 16.

Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent. Sen. in Hippol.

Lacrymas lacrymis miſcere juvat.
Magis exurunt quos ſecretæ
Lacerant curæ, juvat in medium
Deflere ſuos. Idem in Agam.

DAMNATIO.

PRope eſt ut libenter damnet, qui cito: prope ut inique puniat, qui nimis. *Sen. 1. de Clem.*

Cauſa cognita, poſſunt multi abſolvi: incognita quidem nemo condemnari poteſt. *Cic. 1. in Verrem.*

Scelus eſt, abſentem inauditumque damnare. *Plin. l. 4. ep. 11.*

DAMNUM.

DAmnum eſt perdere, quod lucrum eſt habere. *Quintil. declam. 13.*

Quin tu quod periit, periiſſe ducis. *Plaut. Trin.*

Eſt etiam ubi profecto damnum præſtat facere, quam lucrum. *Idem Capt.*

Neceſſitas eſt, quæ navigia jactu exonerat. *Sen. 4. Controv.*

DEBITUM. DEBITOR.

TAm cum vitio eſt recipere, quod non debes, quam non dare, quod debes. *Sen. l. 6. Benef.*

Præ-

Præſertim ut nunc ſunt mores, adeo res redit, ſi quis quid reddit, magna habenda eſt gratia. *Ter. in Phor.*

Cum repetis, inimicum amicum beneficio invenis tuo. *Plaut. Trin.*

Debita creſcunt mora: tantoque plus ſolvendum eſt, quanto tardius. *Sen. ep. 81.*

Sunt quædam non laudabilia natura, ſed jure conceſſa; ut in XII. Tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit: quam legem mos publicus repudiavit. *Quintil. l. 3. Inſt. Or. c. 6.*

Peſſimi eſt debitoris, creditori facere convitium. *Sen. in Conſol. ad Marciam.*

Deceptio. Fallacia.

Cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas miſce. Fidelem ſi putaveris, facies. Nam, multi fallere docuerunt, dum timent falli, & aliis jus peccandi ſuſpicando fecerunt. *Sen. ep. 3.*

Fallacia alia, aliam trudit. *Ter. in Andr.*

Tuta frequensque via eſt, per amici perdere nomen:
Tuta frequensque licet ſit via, crimen habet.

Ov. l. 1. de arte.

Defensio.

In armorum ratione, antiquior cavendi, quam ictum inferendi cura eſt. *Quintil. l. 4. Inſtit. c. 2.*

Si omnia propter curam mei facio, ante omnia eſt mei cura. Hæc animalibus ineſt cunctis, nec inſeritur, ſed innaſcitur. Producit fœtus ſuos natura, non abjicit: & quia tutela certiſſima ex proximo eſt, ſibi quisque commiſſus eſt. *Sen. ep. 121.*

Eſt amor & cunctis rerum tutela ſuarum.

Val. Flac. l. 5.

Dela-

DELATORES.

NOn ſolitudinem delatores,non iter,ſed templum,ſed forum inſederant. Nulla jam teſtamenta ſecura, nullus ſtatus certus, non orbitas, non liberi proderant. *Plin. in Paneg. Traj.*

Delatores, genus hominum publico exitio repertum. *Tac. 4. Ann. c. 30.*

Ferebatur vox Domitiani: Princeps qui delatores non caſtigat,irritat. *Sueton. in vita.*

DEPOSITUM.

PRomiſſa non facienda nonnunquam; neque ſemper depoſita reddenda. Si gladium quis apud te ſanæ mentis depoſuerit,repetat inſaniens, reddere peccatum ſit; non reddere, officium. Quod ſi is,qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ,reddasne depoſitum? non credo, facies enim contra Remp. quæ debet eſſe cariſſima. Sic multa, quæ natura honeſta eſſe videntur, temporibus fiunt non honeſta. Facere promiſſa,ſtare conventis,reddere depoſita, commutante utilitate fiunt non honeſta. *Cic. 3. Offic. c. 25.*

Depoſitum reddere, per ſe res expetenda eſt: non tamen ſemper reddam, nec quolibet loco,nec quolibet tempore. Aliquando nihil intereſt, utrum inficier, an palam reddam. Intuebor utilitatem ejus, cui redditurus ſum,& nociturum illi depoſitum negabo. *Sen. 4. de Benef. c. 10.*

Reddite depoſitum,pietas ſua fœdera ſervet.
Ovid. 1. de arte.

DESPERATIO.

QVare deficimus? quare deſperamus? quicquid fieri potuit,poteſt. *Sen. ep. 98.*

Mortis

Mortis timor etiam inertiſſimos excitavit in prælium. *Idem 1. de ira c. 3.*

Deſperatis rebus, honeſta cedunt utilibus. *Liv. l. 23. c. 14.*

Tantum efficit miſtus timori pudor, ſpes deſperatione quæſita. *Vellej. l. 2. c. 5.*

Qui nil poteſt ſperare, deſperet nihil.
Sen. in Medea.

Deus.

Roges me, quid, aut quale ſit Deus? Auctore utar Simonide: de quo cum quæſiviſſet hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi cauſa ſibi unum diem poſtulavit. Cum idem ex eo poſtridie quæreret, biduum petivit. Cum ſæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret? Quia, quanto, inquit, diutius conſidero, tanto mihi ſpes videtur obſcurior. *Cic. 1. de Nat. Deor. c. 22.*

Quæ eſt gens, aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina anticipationem quandam Deorum, quam appellat πρόληψιν Epicurus. *Id. ib. c. 16.*

Caligula cum Deos tantopere contemneret, ad minima tamen tonitrua aut fulgura connivere, & caput obvolvere, ad majora vero proripere ſe e ſtrato, ſub lectumque condere ſolebat. *Sueton. in vita.*

Nulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de iis prava ſentiunt, id enim vitioſo more effici ſolet; omnes tamen eſſe vim, & naturam divinam arbitrantur. *Cic. 1. Tuſc. quæſt.*

Eſt profecto Deus, qui quæ nos gerimus, auditque & videt. *Plaut. Capt.*

Quid

Quid prodeſt ab homine aliquid eſſe ſecretum? nihil Deo clauſum eſt. *Sen. ep. 83.*

Dii ſemper fuerunt, & nati nunquam ſunt, ſiquidem æterni ſunt futuri. *Cic. 1. de nat. Deor. c. 32.*

Omnia quæ naturaliter, & propterea recte feruntur, Providentiæ cuſtodia gubernantur, nec ullius mali cauſa Deo poterit adſcribi. *Apul. l. 2. de dogm. Plat.*

Quis eſt tam vecors, qui aut, cum ſuſpexerit in cœlum, Deos eſſe non ſentiat, & ea, quæ tanta mente fiunt, ut vix quiſquam arte ulla ordinem rerum ac neceſſitudinem perſequi poſſit, caſu fieri putet? *Cic. de Haruſp. reſp. c. 9.*

Si Deos imitaris, da & ingratis beneficia. Nam, & ſceleratis Sol oritur, & piratis patent maria. *Sen. l. 4. de Benef.*

Nec ſane multum intereſt, utrum Deos eſſe neget, an eos omni procuratione atque actione privet. Mihi enim, qui nihil agit, eſſe omnino non videtur. *Cic. 2. de nat. Deor. c. 16.*

Quæ cauſa eſt Diis benefaciendi? Natura. Errat, ſi quis putat illos nocere velle; non poſſunt, nec accipere injuriam queunt, nec facere. Lædere enim lædique conjunctum eſt. *Sen. ep. 95.*

Sit igitur hoc jam a principio perſuaſum civibus, dominos eſſe omnium rerum ac moderatores Deos, eaque quæ geruntur, eorum geri judicio ac Numine, eosdemq; optime de genere hominum mereri. *Cic. 2. de Leg. c. 7.*

Deorum cultus eſt, ſcire, illos eſſe qui præſident mundo, qui univerſa vi ſua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curioſi ſingulorum. *Sen. ep. 95.*

Mihi pro vero conſtat, omnium mortalium vi-

tam Divino Numine inviſi: neque bonum, neque malum facinus cujusquam pro nihilo haberi: ſed ex natura, diverſa præmia bonos malosq; ſequi. *Salluſt. ad Cæſ.*

Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem curioſum, & plenum negotii Deum? *Cic. 1. de Nat. Deor.*

Primus eſt Deorum cultus, Deos credere: deinde reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem. *Sen. ep. 95.*

Cæterum, nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos & nemora conſecrant, Deorum nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident. *Tac. de mor. Germ. c. 9.*

Subſilire in cœlum ex angulo licet: exſurge modo, & te quoque dignum finge Deo. Finges autem, non auro, non argento: non poteſt ex hac materia imago Deo exprimi ſimilis. *Sen. ep. 31.*

Cultus autem Deorum eſt optimus, idemque caſtiſſimus atq; ſanctiſſimus, pleniſſimusque pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta, & mente & voce veneremur. *Cic. 2. de Nat. Deor. c. 18.*

Quid ergo intereſt inter naturam Dei & noſtram? Noſtri melior pars animus eſt: in illo, nulla pars extra animam; totus ratio eſt. *Sen. præf. l. 1. nat. quæſt.*

Caſte jubet lex adire ad Deos, animo videlicet, in quo ſunt omnia; nec tollit caſtimoniam corporis. *Cic. 2. de Leg.*

Generoſi animi & magnifici eſt, juvare & prodeſſe.

deſſe. Qui dat beneficia, Deos imitatur; qui repetit, fœneratores. *Sen. 3. de Benef.*

Imperfectæ in homine naturæ, præcipua ſolatio, ne Deum quidem poſſe omnia. Namque nec ſibi poteſt mortem conſciſcere, ſi velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis: nec mortales æternitate donare, aut revocare defunctos: nec facere, ut qui vixit, non vixerit, qui honores geſſit, non geſſerit: nullumque habere in præterita jus, præterquam oblivionis: atque (ut facetis quoque argumentis ſocietas hæc cum Deo copuletur) ut bis dena, viginti non ſint, ac multa ſimiliter efficere non poſſe. *Plin. l. 2. N. H. c. 7.*

Sic veſtras hallucinationes fero, quemadmodum Jupiter Opt. Max. ineptias poëtarum: quorum alius illi alas impoſuit, alius cornua: alius adulterum illum induxit, & abnoctantem: alius ſævum in Deos, alius iniquum in homines: alius raptorem ingenuorum corruptoremque, & cognatorum quidem: alius parricidam, & regni alieni paternique expugnatorem. Quibus nihil aliud actum eſt, quam ut pudor hominibus peccandi demeretur, ſi tales Deos credidiſſent. *Sen. de vita beata c. 26.*

Cum rapiant mala fata bonos, ignoſcite faſſo:
Sollicitor, nullos eſſe putare Deos.

Ov. 3. Amor. el. 8.

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo:
Pompejus nullo. Credimus eſſe Deos?

Varro.

Sed tamen ut fuſo taurorum ſanguine centum,
Sic capitur minimo thuris honore Deus.

Ovid. 2. Triſt.

Valet

——— *Valet imma ſummis*
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit; hic poſuiſſe gaudet.
Horat. 1. Carm. Od. 34.
—— *Magne Regnator Deûm,*
Tam lentus audis ſcelera? tam lentus vides?
Ecquando ſæva fulmen emittes manu,
Si nunc ſerenum eſt? Sen. Hippol.
Exceſſere omnes, adytis arisquę relictis,
Dii, quibus Imperium hoc ſteterat. Virg. 2. Æn.
Aſpiciunt oculis Superi mortalia juſtis.
En eget auxilio, qui non tulit: utque reliquit,
Sic linquendus erat. Ovid. 13. Metam.
Sæpe Jovem vidi, cum jam ſua mittere vellet,
Fulmina, thure dato ſuſtinuiſſe manum.
Ovid. l. 5. Faſt.
Ut ſit magna, tamen certe lenta ira Deorum eſt.
Juven. Sat. 13.
Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Juppiter, exiguo tempore inermis erit.
Nunc, ubi detonuit, ſtrepituque exterruit orbem,
Purum diſcuſſis aëra reddit aquis.
Ovid. 2. Triſt.
—— *Superos quid quærimus ultra?*
Juppiter eſt quodcunque vides, quocunque moveris.
Lucanus l. 9.
—— *Immenſa eſt, finemque potentia cœli*
Non habet, & quicquid Superi voluere, peractum eſt.
Ovid. 8. metam.
Expedit eſſe Deos: &, ut expedit, eſſe putemus:
Dentur in antiquos thura merumque focos.

Nec ſecura quies illos ſimiliſque ſopori
Detinet: innocui vivite, Numen adeſt.
Idem 1. de Arte.

DIES.

—NVlla dies
Mœrore caret, ſed nova fletus
Cauſa miniſtrat.
Sen. in Troad.
Venit poſt multos, una ſerena dies.
Tibul. l. 3. el. 6.
Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem; referens opera atque labores.
Virgil. l. 12. Æn.

DILIGENTIA. DISCENDI CVPIDITAS.

NAm, quo minus ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparavi: quæ, quanta ſit, niſi tempus & ſpatium datum ſit, intelligi non poteſt. *Cic. pro Quinctio.*

Apelles, cum Protogenis opus immenſi laboris, ác curæ ſupra modum anxiæ, miraretur, dixit: omnia ſibi cum illo paria eſſe, aut illi meliora, ſed uno ſe præſtare, quod manum ille de tabula neſciret tollere: memorabili præcepto, nocere ſæpe nimiam diligentiam. *Plin. l. 35. c. 10.*

Nam de illis nemo dubitabit, quin operoſe nihil agant, qui in literarum inutilium ſtudiis detinentur. *Sen. de brev. vit. c. 13.*

Aſſiduus uſus, uni rei deditus, & ingenium, & artem ſæpe vincit. *Cic. pro Balb.*

Torpent ecce ingenia deſidioſæ juventutis, nec in ullius rei honeſtæ labore vigilatur. Somnus languorque, ac ſomno & languore turpior, mala-

malarum rerum induſtria, invaſit animos. *Sen. l. 1. controv.*

Iſta diſcuntur facile, ſi & tantum ſumas, quantum opus ſit, & habeas qui docere fideliter poſſit, & ſcias etiam ipſe diſcere. *Cic. 3. de Orat. c. 23.*

Juvenes poſſumus diſcere, poſſumus facilem animum, & adhuc tractabilem, ad meliora convertere; quia hoc tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. *Sen. ep. 108.*

Haud poſſem vivere, niſi in literis viverem. *Cic. l. 9. epiſt. famil.*

Ne quod cuique diſcendum eſt, ſero diſcere incipiat. Non ergo perdamus primum ſtatim tempus, atq; eo minus, quod initia literarum ſola memoria conſtant, quæ non modo jam eſt in parvis, ſed tum etiam tenaciſſima eſt. *Quintil. l. 1. Inſtit. c. 1.*

Altius præcepta deſcendunt, quæ teneris imprimuntur ætatibus. *Sen. conſol. ad Helv. c. 16.*

Non tantum celerius, ſed etiam perfectius imbibuntur, quæ diſcuntur a pueris. *Veget. l. 1. de re mil. c. 4.*

Turpis & ridicula res eſt, elementarius ſenex. Juveni parandum, ſeni utendum eſt. *Sen. ep. 36.*

Quem ardorem ſtudii cenſetis fuiſſe in Archimede, qui dum in pulvere quædam deſcribit attentius, ne patriam quidem captam eſſe ſenſerit? *Cic. 5. de Fin. c. 19.*

Nullus mihi dies per otium exit; partem noctium ſtudiis vindico; non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadenteſque, in opere detineo. *Sen. ep. 8.*

Erat in M. Catone inexhauſta cupiditas legendi, nec

di,nec ſatiari poterat:quippe,qui ne reprehenſionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipſa curia ſoleret legere ſæpe,dum Senatus cogeretur, nihil operæ Reipubl. detrahens.*Cic.l.3.de Fin.c.2.*

In ſupervacuis ſubtilitas teritur:non faciunt bonos iſta,ſed doctos. Apertior res eſt,ſapere; imo ſimplicior: paucis opus eſt ad bonam mentem literis. Sed nos, ut cætera in ſupervacuum diffundimus, ita philoſophiam ipſam. Quemadmodum omnium rerum,ſic literarum quoque intemperantia laboramus: non vitæ, ſed ſcholæ diſcimus. *Sen.ep.106.*

Cui non ſunt auditæ Demoſthenis vigiliæ? qui dolere ſe ajebat, ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria.*Cic.l.3.Tuſc.*

Terentius Varro, humanæ vitæ exemplum, ætatisque ſpatium nominandus; non annis, quibus ſeculi tempus æquavit, quam ſtylo vivacior fuit. In eodem enim lectulo, & ſpiritus ejus, & egregiorum operum curſus extinctus eſt. *Valer. Max.l.8.c.8.*

In Athenienſi Demoſthene, tantum ſtudium fuiſſe, tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturæ, diligentia induſtriaque ſuperaret.*Cic.1. de Orat.c.61.*

Neque ego te jubeo ſemper imminere libro, aut pugillaribus, dandum & aliquod intervallum animo: ita tamen, ut non reſolvatur,ſed remittatur. *Sen. ep.15.*

Diſces quamdiu voles: tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. *Cic.l.1. Offic.c.1.*

Pueri in ſcholis ludunt, juvenes ridentur in foro,&,

ro, &, quod utroq; turpius eſt, quod quisque perperam diſcit, in ſenectute confiteri non vult. *Petron in Satyr.*

Etiamſi multum ſupereſſet ætatis, parce jam dispenſandum erat, ut ſufficeret neceſſariis: nunc, quæ dementia eſt, ſupervacua diſcere, in tanta temporis egeſtate *Sen. ep. 48.*

Neque enim eſt interdictum, aut a rerum natura, aut a lege aliqua atque more, ut ſingulis hominibus ne amplius, quam ſingulas artes, noſſe liceat. *Cic. l. 1. de Orat. c. 50.*

Quid te torques & maceras in ea quæſtione, quam ſubtilius eſt contemſiſſe, quam ſolvere? *Sen. ep. 49.*

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum.

Horat. l. 1. ep.

—— *Quem te Deus eſſe*
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re,
Diſce: neque invideas. Perſ. Sat. 3.

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt:
Vel quia turpe putant, parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.

Horat. l. 2. epiſt.

Inſtrue præceptis animum, nec diſcere ceſſes.
Nam ſine doctrina, vita eſt quaſi mortis imago.

Dion. Cato l. 3.

Diſcit enim citius, meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat, & veneratur.

Horat. l. 2. epiſt

Ne pudeat quæ neſcieris te velle doceri,
Scire aliquid laus eſt, pudor eſt nil diſcere velle.

Dion. Cato.

Eradenda Cupidinis
Pravi ſunt elementa: & teneræ nimis
Mentes aſperioribus
Formandæ ſtudiis. Hor. l. 3. Od. 24.

DISCIPVLVS.

AGricola ſolebat diſcere a peritis, ſequi optimos. *Tac. in vita.*

Quemadmodum lana quoſdam colores ſemel ducit, quoſdam niſi ſæpius macerata & recocta non perbibit: ſic alias diſciplinas ingenia cum accepere, protinus præſtant: hæc, niſi alte deſcendit, & diu ſedit, animum non coloravit, ſed infecit, nihil ex his, quæ promiſerat, præſtat. *Sen. ep. 17.*

Vtile eſt habere quos imitari primum, mox vincere velis, ita paulatim & ſu[illegible]m ſpes erit. *Quint. l. 1. c. 2.*

In optimis artibus, quæ vitam aut [illegible]ervant, aut excolunt, qui nihil ſe plus exiſtimat debere, quam pepigit, ingratus eſt. *Sen. 6. de Benef. c. 17.*

Alit æmulatio ingenia: & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit. *Vellej. Pat. l. 1. cap. 17.*

Ego vero cupio iſta omnia in te transfundere, & in hoc gaudeo aliquid diſcere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet nimia ſit & ſalutaris, quam mihi uni ſciturus ſim. Si cum hac exceptione detur ſapientia, ut illam incluſam teneam, nec enunciem, rejiciam. Nullius boni, ſine ſocio, jucunda poſſeſſio eſt. *Sen. ep. 6.*

Haud æquum facit, qui quod didicit, dediſcit. *Plaut. in Amphit.*

Diſce libens, tetrici nec præceptoris habenas
Deteſtère Nepos, nunquam horrida forma Magiſtri.

Ille

Ille licet triſtis ſenio, nec voce ſerenus,
Aſpera contractæ minitetur jurgia frontis.

Auſon. in protrept. ad Nepot.

Diſce, ſed a doctis, indoctos ipſe doceto.
Propaganda etenim, rerum doctrina bonarum.

Dion. Cato l.4.

Discordia. Inimicitiæ.

NEque vero me pœnitet mortales inimicitias, ſempiternas amicitias habere. *Cic. pro Rabir.*

Quid ruimus in pugnam? quid certamina nobis accerſimus? quid ingentia odia ſuſcipimus? Jam iſtas inimicitias, quas implacabili gerimus odio, febris aut aliud malum corporis vetabit geri: jam par acerrimũ media mors dirimet. *Sen. 3. de Ira c.42.*

Intremuere tubæ, ac ſciſſo Diſcordia crine
Extulit ad Superos ſtygium caput, hujus in ore
Concretus ſanguis, contuſaque lumina flebant.
Stabant irati ſcabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obſeſſa draconibus ora.
Atque inter toto laceratam pectore veſtem,
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.

Petron. in Satyr.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en, quo diſcordia cives
Perduxit miſeros! en, queis conſevimus agros!

Virg. Ecl. 1.

Disputatio.

VEritas ipſa limatur in diſputatione. *Cic. 2. Off cap. 10.*

Hæc, quæ videntur callida & inſidioſa, ſecuritatem, torporem, ac ſegnitiem ingeniis auferunt; quibus, modo campus in quo vagentur, ſternendus eſt, modo ſcabri aliquid & confragoſi objiciendum,

endum, per quod crepant, & ſollicite veſtigium faciant. *Sen. 5. de Benef. c. 12.*

Non tam autores in diſputando, quam rationis momenta quærenda ſunt. Quin etiam obeſt plerunque iis, qui diſcere volunt, autoritas eorum, qui ſe docere profitentur. Deſinunt enim ſuum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo quem probant, judicatum vident. Nec vero probare ſoleo id, quod de Pythagoricis accepimus: quos ferunt, ſi quid affirmaret in diſputando, cum ex iis quæreretur, quare ita eſſet? reſpondere ſolitos, *Ipſe dixit.* Ipſe autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret autoritas. *Cic. 1. de Nat. Deor.*

Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore dimica.

Prudent. Hymn. 14.

DISSIMULATIO. SIMULATIO.

MUltis ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibusdam obtenditur, uniuscujusque natura. frons, oculi, vultus, perſæpe mentiuntur; oratio vero ſæpiſſime. *Cic. l. 1. ad Q. Fratr. ep. 1.*

Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit: aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere: amicitias inimicitiasque non ex re, ſed ex commodo æſtimare: magisque vultum, quam ingenium bonum habere. *Salluſt. in Catil. c. 10.*

Turpe eſt aliud loqui, aliud ſentire: quanto turpius aliud ſcribere, aliud ſentire? *Sen. ep. 24.*

Vitium eſt levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Cum omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa: tollit

tollit enim judicium veri, atque adulterat: tum amicitiæ repugnat maxime: delet enim veritatem, ſine qua nomen amicitiæ valere non poteſt. *Cic. de Amic. c. 25.*

Prodit ſe, quamlibet cuſtodiatur, ſimulatio: nec unquam tanta fuerit eloquendi facultas, ut non titubet aut hæreat, quoties ab animo diſſentit. Vir autem malus, alíud dicat neceſſe eſt, quam ſentit. *Quintil. l. 12. c. 1.*

Adhibita diligentia, omnia fucata & ſimulata a ſinceris atque veris internoſci poſſunt. *Cic. de Amic. c. 25.*

Nullam æque Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus ſuis, quam diſſimulationem diligebat: eo ægrius tulit, recludi, quæ premeret. *Tac. l. 4. an. c 71.*

Philippus Macedo, blandus pariter, & in gratia offenſam ſimulare; inſidioſus alloquio, gratiam fingere in odio, inſtruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quærere, ſolemnis illi conſuetudo. *Juſtinus l. 9.*

Quod ſi qui ſimulatione, & inani oſtentatione, & ficto non modo ſermone, ſed etiam vultu, ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia, celeriter, tanquam floſculi, decidunt, nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum. *Cic. 2. Off. c. 12.*

Heu mihi, difficile eſt, imitari gaudia falſa,
Difficile eſt, triſti fingere mente jocum.
Nec bene mendaci riſus componitur ore,
Nec bene ſollicitis ebria verba ſonant.
Tibul. l. 3. el. 7.

Decipies alios verbis vultuque benigno,
Nam mihi jam notus diſſimulator eris.
Martial. l.4. epigr.

DIVITIÆ. OPES.

DIvitias aliquis ad ſummum bonum admittet; alius dicet humanæ malo vitæ repertas; nihil eſſe eo locupletius, cui quod donet fortuna, non invenit. *Sen. ep.* 81.

Quam inique comparatum eſt, hi qui minus habent, ut ſemper aliquid addant divitioribus. *Terent. in Phorm.*

Senatorium ad gradum cenſus aſcendere facit: cenſus Romanum Equitem a plebe diſcernit: cenſus in caſtris ordinem promovet: cenſu in foro judex legitur. *Sen. l. 2. controv. 1.*

Divitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis eſt. *Salluſt. in Catil. c. 1.*

Dives idcirco a divo derivatur, quia ut Deus, nihil indigere videtur. *Varro l. 4. de L. L.*

Nemo naſcitur dives, quisquis exit in lucem, juſſus eſt lacte & pane contentus eſſe, ab his initiis nos regna non capiunt. *Sen. ep. 20.*

Caduca nimium hæc, & fragilia, puerilibusque conſentanea crepundiis ſunt, quæ vires atq; opes humanæ vocantur. Affluunt ſubito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona, ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt: ſed incertiſſimo flatu fortunæ, huc atque illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improviſo decurſu deſtitutos, profundo cladium miſerabiliter immergunt. *Val. Max. l. 6. c. 9.*

Neminem pecunia divitem fecit: imo contra, nulli non majorem ſui cupiditatem incuſſit. Quæris,

ris, quæ ſit hujus rei cauſa? plus incipit habere poſſe, qui plus habet. *Sen. ep. 119.*

Prætereadivitiæ, decus, gloria, in oculis ſita ſunt. *Salluſt. Catil. c. 20.*

Demetrium, egregium virum, memini dicere cuidam libertino potenti, facilem ſibi eſſe ad divitias viam, quo die pœnituiſſet bonæ mentis. *Sen. in præf. l. 4. quæſt. nat.*

Poſtquam divitiæ eſſe honori cœpere, & eas gloria, imperium, potentia ſequebatur; hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. Igitur ex divitiis, juventutem luxuria atq; avaritia, cum ſuperbia invaſere: pudorem, amicitiam, pudicitiam, divina atque humana, promiſcua, nihil penſi neque moderati habere. *Salluſt. in Catil. c. 12.*

Divitiæ apud ſapientem virum in ſervitute ſunt, apud ſtultum in imperio. Sapiens divitiis nihil permittit; vobis divitiæ omnia. *Sen. de vita beata c. 26.*

Quia paululum vobis acceſſit pecuniæ, ſublati animi ſunt. *Terent. in Hecyra.*

Multa ſæpe & locupletibus accidunt, ſæpe in imum ſumma decidunt. Ego vidi pauperem auxilia diviti ferentem. *Quintil. declam. 9.*

Lentulo ſuper conſulatum & triumphalia de Getulis, gloriæ fuerat bene tolerata paupertas, dein magnæ opes innocenter partæ, & modeſte habitæ. *Tac. l. 4. Ann. c. 44.*

Erratis, qui incommoda divitiis imputatis. Illæ enim neminem lædunt; aut ſua cuique nocet ſtultitia, aut aliena nequitia. *Sen. ep. 87.*

Sit

Sit omne judicium, non quam locuples, ſed qualis quisque ſit. *Cic. l. 2. Off. c. 20.*

Optimus pecuniæ modus eſt, qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate diſcedit. *Sen. de tranquil. an. c. 8.*

Omnes ſunt divites, (dicunt Stoici) qui cœlo & terra frui poſſunt. *Cic. l. 1. Offic.*

Pecuniam perdidi; fortaſſe te illa perdidiſſet. Pecuniam perdidi, ſed habüiſti. Pecuniam perdidi, ſed habebis inde periculi minus. Eris nunc in via expeditior, domi tutior. Non habebis, ſed non timebis heredem. Exoneravit te fortuna, ſi intelligis, & tutiore loco poſuit. Damnum putas? remedium eſt. Defles, gemis, miſerum te clamitas, quod opibus excuſſus es? Tuo vitio iſta tibi jactura tam triſtis eſt. Non tam moleſte ferres, ſi tanquam perditurus habuiſſes. Perdidi pecuniam. Nempe, quam ut tu haberes, alius ante perdiderat. *Sen. de rem. fort. in Excerpt.*

Divitiæ ſunt, ad legem naturæ compoſita paupertas. *Sen. ep. 27.*

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt numos. Hæc Janus ſummus ab imo
Perdocet, hæc recinunt juvenes dictata, ſenesque.
Horat. l. 1. ep. 1.

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa potentius
Ictu fulmineo. Idem l. 3. Carm. Od. 16.
Protinus ad cenſum, (de moribus ultima fiet
Quæſtio) quot paſcit ſervos, quot poſſidet agri
Jugera, quam multa magnaque paropſide cœnat?
Juven. Sat. 3.

Scili-

Scilicet uxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et genus, & formam, regina pecunia donat.
Ac bene numatum decorat ſuadela Venusque.

Horat. l. 1. ep. 6.

Quantum quisque ſua numorum poſſidet arca,
Tantum habet & fidei, jures licet & Samothracum
Et noſtrorum aras contemnere fulmina pauper.

Juven. Sat. 3.

——— *Omnis enim res,*
Virtus fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiensque etiam, & Rex,
Et quicquid volet. Horat. l. 2. Sat. 3.
Hoc pecus omne meum: multæ quoq; vallibus errant:
Multas ſylva tegit, multæ ſtabulantur in antris:
Nec ſi forte roges, poſſem tibi dicere quot ſint:
Pauperis eſt numerare pecus: de laudibus harum
Nil mihi crediderìs: præſens potes ipſa videre,
Vt vix circumeant, diſtentum cruribus uber.

Ovid. l. 13. Metam.

Doctor. Doctrina.

Magnum quoddam eſt onus, atque munus, ſuſcipere atque profiteri, ſe eſſe omnibus ſilentibus, unum, maximis de rebus, magno in conventu hominum audiendum. *Cic. 1. de Orat. c. 25.*

Ipſius etiam magiſtri, ſi tamen ambitioſis utilia præferet, hoc opus eſt, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non ſtatim onerare infirmitatem diſcentium, ſed temperare vires ſuas, & ad intellectum audientis deſcendere. Nam, ut vaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem influentibus, vel etiam inſtillatis com-

plen-

plentur : ſic animi puerorum quantum excipere poſſint, videndum eſt. *Quintil. l. 1. c. 2.*

Jureconſulti, ſive erroris objiciendi cauſa, quod plura difficiliora ſcire videantur, ſive, quod ſimilius veri eſt, ignoratione docendi (nam, non ſolum ſcire aliquid artis eſt, ſed quædam ars etiam docendi) ſæpe quod poſitum eſt in una cognitione id in infinita diſpartiuntur. *Cic. 2. de ll. c. 19.*

Quid doctrina proficit? ut politiora ſcilicet, non ut meliora fiant ingenia : quoniam quidem ſolida virtus, naſcitur magis quam fingitur. *Val. Max. l. 4. c. 4.*

Dediſcit animus ſero, quod didicit diu.

Sen. in Troade.

Navem agere ignarus maris timet, abrotanum ægro
Non audet, niſi qui didicit, dare. Quod medicorum eſt,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Horat. l. 2. epiſt.

Quod ab Ennio poſitum in una re, transferri in multas poteſt:

Homo qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Nihilominus ipſi luceat, cum illi accenderit.

Cic. 1. Offic.

DOCTUS.

IN hominibus contemplandis, noli illa aliena æſtimare, ſed ipſum hominem conſidera : ipſum, ut meum Socratem, pauperem ſpecta. —— Generoſus eſt ? parentes laudes. Dives eſt ? non credo Fortunæ. Validus eſt ? ægritudine fatigabitur. Pernix eſt ? obibit in ſenectutem. Formoſus eſt ? exſpecta paulisper, & non erit. At enim bonis artibus doctus & apprime eſt eruditus,

ditus, & quantum licet homini, ſapiens & boni conſultus. Tandem aliquando ipſum virum laudas. Hoc enim nec a patre hereditarium eſt, nec a caſu pendulum, nec a corpore caducum, nec ab ætate mutabile. Hæc omnia meus Socrates habuit, & ideo cætera habere contemſit. *Apul. de Deo Socrat.*

Otium ſine literis mors eſt, & vivi hominis ſepultura. *Sen. ep. 82.*

DOLOR.

SEd flecte mentem, tempus antiquum advoca,
Victasque magno pectore ærumnas doma.
Reſiſte: tantis in malis vinci, malum eſt.
Sen. in Thebaide.

Fleque meos caſus, eſt quædam flere voluptas.
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.
Ovid. l. 4. Triſt.

—— *Non eſt, ut putas, virtus, Pater,*
Timere vitam, ſed malis ingentibus
Obſtare, nec ſe vertere, ac retro dare.
Sen. in Thebaide.

Lenis eſt dolor, qui conſilium capere poteſt.
Idem in Troade.

DOMINUS.

OBvios, ſi nomen non ſuccurrit, Dominos ſalutamus. *Sen. ep. 3.*

Auguſtus, Dominum appellari ſe, nec a liberis quidem aut nepotibus ſuis, vel ſerio vel joco paſſus eſt: atque hujusmodi blanditias, etiam inter ipſos prohibuit. *Sueton. in vita.*

Cum te non noſſem, Dominum Regemque vocabam,
Cum bene te novi, jam mihi Priſcus eris.
Martial. l. 1, epigr. 113.

DOR-

DORMIRE. SOMNVS.

GRavior eſt quies, quibus ex laſſitudine calamitatum venit. *Quintil. declam.2.*

Ægrum animum ſomnus capit. *Salluſt. Jugurth.*

Germani ſomnum plerunq; in diem extrahunt. *Tacit. de mor.*

Somnus refectioni neceſſarius eſt: hunc tamen ſi per diem noctemque continues, mors eſt. *Sen. de tranquil. an. c. 15.*

Cæſar ſemper ſomno & cibo in vitam, non in voluptatem utebatur. *Vellejus Pat. l. 2. c. 41.*

Turpis qui alto ſole ſemiſomnis jacet; cujus vigilia medio die incipit: & adhuc multis hoc antelucanum eſt. Sunt qui officia lucis noctisque pervertunt: nec ante diducunt oculos heſterna graves crapula, quam appetere nox cœpit. *Sen. ep. 122.*

Extendamus vitam: hujus & officium & argumentum actus eſt. Circumſcribatur nox, & aliquid ex illa in diem transferatur. *Id. ib.*

Somne quies rerum, placidiſſime Somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis
Feſſa miniſteriis mulces, reparasque labori.

Ovid. 11. Metam.

Stulte quid eſt Somnus, gelidæ niſi mortis imago?

Idem 2. Amor.

DOMVS.

CAvendum autem eſt, præſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum, ſumtu & magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo eſt. Studioſi enim plerique etiam in hanc partem, facta Principum imitantur: ut L. Luculli ſum̃i viri virtutem, quis? at quam multi villarum magnificentiam imitati ſunt? quarum quidem

dem certe eſt adhibendus modus, ad mediocritatemque revocandus: eademque mediocritas ad communem uſum cultumque vitæ referenda eſt. *Cic. 1. Offic.*

Tum felicem te eſſe judica, cum poteris in publico vivere; cum te parietes tui tegent, non abſcondent: quos plerunque circumdatos nobis judicamus, non ut tutius vivamus, ſed ut peccemus occultius. *Sen. ep.* 43.

Quid eſt ſanctius, quid omni religione munitius, quam domus unius cujusque civium? hic aræ ſunt, hic foci, hic Dii Penates, hic ſacra, religiones, ceremoniæ continentur: hoc perfugium eſt ita ſanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas ſit *Cic. pro domo ſua.*

Donum.

CÆſarum munera illitos cibis hamos, opertos præda laqueos imitabantur. *Plin. in Paneg.*

Apud ſapientes caſſa habebantur, quæ neq; dari, neq; accipi ſalva Rep. poterant. *Vellej. Pat. l. 3. c. 55.*

Vrbem cuiquam Alexander donabat, cumque ille cui donabatur ſe ipſe menſus, tanti muneris invidiam refugiſſet, dicens, non convenire fortunæ ſuæ: Non quæro, inquit, quid te accipere deceat, ſed, quid me dare. *Sen. 2. de Benef. c.* 16.

Quod non argentum, quod non tibi miſimus aurum,
Hoc facimus cauſa, Stelle diſerte, tua.
Quisquis magna dedit, voluit ſibi magna remitti.
Fictilibus noſtris exoneratus eris.

Martial. l. 5. epigr. 60.

Dos.

EGo virtute Deum & majorum noſtrorum, dives ſum ſatis. Iſtas magnas factiones, animos,

dotes dapſiles, clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram, nil moror, quæ in ſervitutem ſumtibus redigunt viros. *Plaut. in Aulul.*

Argentum accepi, dote imperium vendidi. *Idem in Aſin.*

Dos eſt magna parentium,
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas.

Horat. l. 3. Od. 24.

DVBIVM.

NIhil turpius dubio, & incerto ac timido, pedem modo referente, modo producente. *Sen. ep. 95.*

Bene præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites, æquum ſit an iniquum. Æquitas enim ipſa lucet per ſe; dubitatio cogitationem ſignificat injuriæ. *Cic. l. 1. Offic.*

DVX BELLI.

FAcile apparet, ducibus validiorem, quam exercitu, rem Romanam eſſe. *Liv. l. 2. c. 39.*

Vt remiges ſine gubernatore, ſic milites ſine Imperatore nihil valent. *Quintil. l. 5. Inſtit. c. 11.*

Tanti eſſe exercitum, quanti Imperatorem, vere proditum eſt. *Florus l. 2. c. 18.*

Ita ſe Ducum autoritas, ſic vigor diſciplinæ habet, ut multa per Centuriones Tribunosque tantum juberi expediat. Si ubi jubeantur, quærere ſingulis liceat, pereunte obſequio, etiam imperium intercidit. *Tacit. 1. Hiſtor. c. 83.*

Poſt paucos deinde dies, Epaminondas decedit, cum quo vires quoque Reipubl. ceciderunt. Nam ſicuti telo, ſi primam aciem perfregeris, reliquo

ferro vim nocendi ſuſtuleris : ſic illo , veluti mucrone teli ablato duce Thebanorum , Reip. vires hebetatæ ſunt , ut non tam illam amiſiſſe , quam cum illo interiiſſe omnes viderentur. *Juſtin. l. 6.*

Vbi ſummus Imperator non adeſt ad exercitum, citius quod non facto eſt uſus fit, quam quod facto eſt opus. *Plaut. in Amphitr.*

Duces exemplo potius, quam imperio, ſi promti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant, admiratione præſunt. *Tacit. de mor. c. 7.*

Catilina cum expeditis in prima acie verſari, laborantibus ſuccurrere, integros pro ſauciis arceſſere, omnia providere, multum ipſe pugnare, ſæpe hoſtem ferire: ſtrenui militis, & boni Imperatoris officia, ſimul exequebatur. *Salluſt. in Catil. c. 60.*

Agricola ante agmen , quo cæteris par animus ſimili periculo eſſet , erexit aciem. *Tacitus in vita c. 18.*

Alexander periculoſiſſima quæque aggrediebatur , & ubi confertiſſimos hoſtes acerrime pugnare conſpexiſſet, eo ſe ſemper ingerebat , periculaque ſua eſſe, non militum volebat. *Juſtin. l. 11.*

Ego ſic exiſtimo , in ſummo Imperatore quatuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem , felicitatem. *Cic. pro Lege Manil.*

Hercule militem legimus robuſtum , legimus juvenem : Imperatorem facimus ſenem. In illis enim vis corporum, & manus ſola ſpectatur, in his conſilium, & ratio. *Quintil. Decl. 317.*

Multa Reges, in bello præſertim, opertis oculis donant. Non ſufficit homo juſtus unus tot armatis cupiditatibus. Non poteſt quiſquam eo-

dem tempore, & bonum virum, & bonum Ducem agere. *Sen. 4. de Benef. c. 37.*

Non tibi moris, tua inire tentoria, niſi commilitonum ante luſtraſſes, nec requiem corpori, niſi poſt omnes, dare. *Plin. Panegyr. ad Traj.*

Turpe Duci totam ſomno conſumere noctem,
O Rector Libyæ, vigili ſtant bella magiſtro.

Sil. Ital. l. 3. bel. Civil.

—— Cogit tantos tolerare labores
Summa Ducis virtus, qui nuda fuſus arena
Excubat, atque omni Fortunam provocat hora.
Omnibus unus adeſt fatis: quocunque vocatur,
Advolat, atque ingens meritum, majusque ſalute
Contulit in lethum vires: puduitque gementem
Illo teſte mori.

Lucanus l. 9.

Nunc pedes aſſiſtas pediti, tum promtius ibunt
Te ſocio: tum conſpicuus gratusque feretur
Sub te teſte labor.

Claudian. de 4. Conſul. Honor.

EBRIETAS.

TAnto opere, tanto labore & impendio conſtat, quod hominis mentem mutet, ac furorem gignat. *Plin. l. 14. c. 22.*

Germanis, potus humor ex hordeo aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus. Proximi ripæ, & vinum mercantur. *Tac. de mor. c. 23.*

Quæ gloria eſt, capere multum? cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno, ac vomitantes, recuſaverint; cum ſuperſtes toti convivio fueris; cum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris a dolio. *Sen. ep. 83.*

Diem

Diem noctemq; continuare potando, nulli probrum apud Germanos. *Tac. de mor. c. 22.*

Præmium ſummum ebrietatis, libido portentoſa, & jucundum nefas. *Plin. l. 14. c. 22.*

C. Cæſar, pater Neronis, libertum ſuum occidit, quod potare quantum jubebatur, recuſaret. *Sueton.*

Multa faciunt ebrii, quibus ſobrii erubeſcant. Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum chariſſimum ſibi & fideliſſimum, inter epulas transfodit; & intellecto facinore, mori voluit, certe debuit. *Sen. ep. 83.*

Vulgo veritas attributa vino eſt. *Plin. l. 14. c 22.*

Ebrietas unius horæ hilarem inſaniam, longi temporis tædio penſat. *Sen. ep. 59.*

Poſtera die ex ore halitus crudi, ac fere rerum omnium oblivio, morsq; memoriæ. *Plin. l. 14. c. 22.*

At at, data hercle verba ſunt mihi: vicit vinum quod bibi. Ac dum accubabam, quam videbar mihi eſſe pulchre ſobrius. Poſtquam ſurrexi, neq; pes, neque mens, ſatis ſuum officium facit. *Ter. in Eun.*

Magnum hoc vitium vino eſt, pedes captat primum; luctator doloſus eſt. *Plaut. in Pſeud.*

Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victa temporum locorumque difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria, tutum dimiſerunt: intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis ſcyphus, condidit. *Sen. ep. 83.*

Dic, quam turpe ſit, plus cibi ingerere, quam capias, & ſtomachi tui non noſſe menſuram. Quam multa ebrii faciunt, quibus ſobrii erubeſcant. *Id. ib.*

Aut nulla ebrietas, aut tanta ſit, ut tibi curas
Eripiat, ſi qua eſt inter utrumque, nocet.

Ovid l. 2. de rem. am.

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,
Spes jubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem,
Solicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

Horat. l. 1. ep. 5.

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:
Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit:
Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes ævo rariſſima noſtro
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Ovid. l. 1. de arte.

Reges dicuntur multis urgere cucullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant,
An ſit amicitia dignus. Horat. de arte poët.

EDUCATIO.

VT quisque ſuum vult eſſe filium, ita eſt. *Ter. Adelph.*

Plurimum proderit, pueros ſtatim ſalubriter inſtitui. Difficile autem regimen eſt; diligenti obſervatione res indiget. *Sen. 2. de Ira c. 21.*

Educatio maximam diligentiam, plurimumque profuturam deſiderat. Facile eſt enim teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt. *Idem ib. c. 28.*

—— *Nunc adhibe puro*
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu. Horat. l. 1. ep. 2.

Per-

Permagni refert etiam, quos quiſque parentes
Accipiat, quo ſit pacto nutritus, & a quo
Inſtructus, nam quos mores puer adbibit, & quas
Artes a teneris didicit, retinebit adultus.
Illa diu durant, animiſque tenaciter hærent,
Quæcunque a primis naſcentes hauſimus annis.
Palingen. in capric.

Eloqventia.

ERit igitur eloquens is, qui in foro cauſiſque civilibus, ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. *Cic. l. 2. de Orat.*

Nonne perterritos militum animos frequenter a metu revocat Orator? & tot pugnandi pericula ineuntibus, laudem vitæ potiorem perſuadet. *Quintil. l. 2. c. 16.*

In Oratore acumen dialecticorum, ſententiæ Philoſophorum, verba Poëtarum, memoria Juriſconſultorum, vox Tragœdorum, geſtus pæne ſummorum Actorum eſt requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto Oratore inveniri poteſt: quæ enim ſingularum rerum artifices ſingula ſi mediocriter adepti ſint, probantur, ea niſi omnia ſunt in Oratore, probari non poſſunt. *Cic. 1. de Orat. c. 28.*

Incredibile eſt, quam facile etiam magnos viros, dulcedo orationis abducat a vero. *Sen. ep. 90.*

Oratorem plenum atque perfectum eſſe eum dicam, qui de omnibus rebus poſſit varie copioſeque dicere. *Cic. 1. de Orat. c. 13.*

Carneadis vis incredibilis illa dicendi & varietas, perquam eſſet optanda nobis, qui nullam unquam in illis ſuis diſputationibus rem defendit,

quam non probarit: nullam oppugnavit, quam non everterit. *Id. 2. de Orat. c. 38.*

Ipſa vitæ præcepta, etiamſi natura ſint honeſta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties pulchritudinem rerum, claritas orationis illuminat. *Quint. l. 2. c. 16.*

Multi, ut pater eloquentiæ de ſe Iſocrates ſcripſit ipſe, pudore a dicendo, & timiditate ingenua quadam, refugiunt. *Cic. 2. de Orat. c. 3.*

Nam, quid eſt tam inhumanum quam eloquentiam a natura ad ſalutem hominum & ad conſervationem datam, ad bonorum peſtem perniciemque convertere? *Id. 2. Offic. c. 14.*

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,
Collectasque fugat nubes, ſolemque reducit.
Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.
Tum pietate gravem, ac meritis, ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectisque auribus adſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.
Virg. l. 1. Æn.

EMTIO.

PAtremfamilias vendacem, non emacem eſſe oportet. *Cato de R. R. c. 2.*

Nulla res carius conſtat, quam quæ precibus emta eſt. *Sen. 2. de benef. c. 1.*

Pretium cujusque rei pro tempore eſt. *Idem 6. de Benef. c. 15.*

ERROR.

CVjusvis hominis eſt errare, nullius niſi inſipientis, in errore perſeverare. Poſteriores enim cogi-

cogitationes (ut ajunt) ſapientiores ſolent eſſe. *Cic. Philip. 12.*

Quæramus quid optime factum ſit, non quid uſitatiſſimum. *Sen. de vita beat. l. 5. c. 2.*

Non enim ibi conſiſtunt exempla, unde cœperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſime evagandi ſibi viam faciunt: & ubi ſemel recto deerratum eſt, in præceps pervenitur: nec quiſquam ſibi putat turpe, quod alii fuit fructuoſum. *Vellej. l. 2. c. 3.*

Demens eſt, qui fidem præſtat errori. *Sen. 4. de ben. c. 36.*

Et vel error honeſtus eſt, magnos duces ſequentibus. *Quintil. l. 1. Inſtit. c. 6.*

Non eſt levitas, a cognito & damnato errore diſcedere; & ingenue fatendum eſt: *aliud putavi, deceptus ſum.* Hæc vero ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt: *Quod ſemel dixi, qualecunque eſt, fixum ratumque ſit.* Non eſt turpe, cum re mutare conſilium. *Sen. 4. de ben. c. 38.*

O miſeras hominum mentes, o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc ævi quodcunque eſt! Lucret. l. 2.
At, bene ſi quæras, fortunæ crimen in illo,
Nec ſcelus invenies, quod enim ſcelus error habebat?
Ovid. 3. Metam.
Sæpe error ingens ſceleris obtinuit locum.
Sen. Herc. Fur.

Eventus.

Nedum humilium hominum, ſed etiam ampliſſimorum virorum conſilia, ex eventu, non ex voluntate, a plerisque probari ſolent. *Cic. ad At. l. 9. ep. 10.*

Pauci prudentia, honeſta ab deterioribus, utilia ab noxiis diſcernunt: plures, aliorum eventis docentur. *Tac.* 4. *Ann. c.* 33.

Miſerrimum eſt, cum quod accidit, merito accidiſſe videtur, & caſus in culpam tranſit. *Vellej. Pat. l.* 2. *c.* 115.

Exitus acta probat, careat ſucceſſibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Ovid. ep. 2.

EXCVSATIO.

NEſcio quid peccati portet hæc purgatio. *Ter. Heaut.*

Omnia ſunt integra nobis: nihil prætermiſſum eſt, quod non habeat ſapientem excuſationem, non modo probabilem. *Cic.* 8. *ad Attic. epiſt.* 16.

Quædam controverſiæ ſunt, in quibus factum defendi non poteſt, excuſari poteſt. *Sen. controv.* 25.

Teipſum purgare ipſi coram placabilius eſt. *Ter. Adelph.*

EXEMPLVM.

OPtimum eſt, (ut vulgo dixere) aliena inſania frui. *Plin. l.* 18. *c.* 5.

FAcere recte cives ſuos, princeps optimus faciendo docet; cumque ſit imperio maximus, exemplo major eſt. *Vellej. l.* 2. *c.* 126.

Vita Principis cenſura eſt, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo. Quippe infidelis recti magiſter eſt metus; melius homines exemplis docentur, quæ imprimis hoc in ſe boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt, fieri poſſe. *Plin. in Paneg. Traj.*

Quis

Quis vetat a magnis ad res exempla minores
Sumere, nec nomen pertimuiſſe ducis?

Ovid. l. 3. de arte.

EXILIVM.

EXuli inopi quanto longior vita, tanto plus ſupplicii. *Tac. 12. Ann. c. 20.*

Ex omnibus incommodis nihil tolerabilius exilio, præſertim innocenti, ubi nulla adjuncta eſt turpitudo: addo etiam, cum ea urbe careas, in qua nihil ſit, quod videre poſſis ſine dolore. *Cic. l. 5. fam. ep. 2.*

EXPERIENTIA.

NVnquam ita quisquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, uſus, ſemper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias: &, quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies. *Ter. in Adelph.*

Hac non ſucceſſit, alia aggrediemur via. *Idem in And.*

—— *Seris venit uſus ab annis.*

Ovid. l. 6. Metam.

Per varios uſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam. Manilius l. 1. Aſtron.

FAMA.

FAma vulgi, quoddam multitudinis teſtimonium. *Cic. top. c. 20.*

Fama nihil aliud eſt, quam ſenſus civitatis. *Quintil. decl. 269.*

Ratio, ſalusque omnium noſtrûm, qui ad Remp. accedimus, non veritate ſolum, ſed etiam fama nititur. *Cic. l. 1. ad Q. Frat. ep. 2.*

Cæteris mortalibus in eo ſtant conſilia, quid ſibi conducere putent: Principum diverſa eſt ſors, qui-

quibus præcipua rerum ad ſamam dirigenda. *Tac.* 4. *Annal.*

Malus ſæpe boni viri fama gloriatur, & iñocentiſſimus contra, noxiorum more plectitur. *Apul.* 7. *Metam.*

Pecuniam ſi cuipiam fortuna ademit, aut ſi alicujus eripuit injuria, tamen dum exiſtimatio eſt integra, facile conſolatur honeſtas egeſtatem. *Cic. pro Quinctio.*

Quo mihi rectius eſſe videtur, ingenii quam virium opibus gloriam quærere; & quoniam vita ipſa qua fruimur, brevis eſt, memoriam noſtri quam maxime longam efficere. *Salluſt. Catilin.c.1.*

Major fama de ignotis. *Tac. in Agric. c. 2.*

Incerta in majus vero, ferri ſolent fama. *Liv. l. 21. c. 32.*

Cuncta ex longinquo aucta, in deterius adferuntur. *Tac. 2. Ann. c. 82.*

Fama temere non naſcitur, quin ſubſit aliquid. *Cic. l. 2. ad Heren. c. 8.*

Haud ſemper errat fama, aliquando & eligit. *Tacit. in Agric. c. 9.*

Contemne famam. Fama vix vero favet.
Sen. Hippol.

—— Cum fama loquax pervenit ad aures
Deianira tuas, quæ veris addere falſa
Gaudet, & e minimo, ſua per mendacia creſcit.
Ovid. 9. Metam.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam terra parens, ira irritata Deorum,

Extre-

Extremam (ut perhibent) Cæo Enceladoque ſororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis,
Monſtrum horrendum, ingens: cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter, (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſurrigit aures.
Nocte volat cœli medio, terræque per umbram,
Stridens: nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes.
Tam ficti, pravique tenax, quam nuncia veri.

Virg. l. 4. Æn.

Scindentur veſtes, gemmæ frangentur & aurum,
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.

Ovid. 4. de Ponto.

FAMES.

SVperatis omnibus humanis malis, famem unam natura vinci non ſinit. *Liv. l. 5. c. 48.*

Venter præcepta non audit, poſcit, appellat. Non eſt tamen moleſtus creditor, parvo dimittitur; ſi modo das illi, quod debes, non quod potes. *Sen. ep. 21.*

Quæſitamque Famem lapidoſo vidit in antro,
Vnguibus & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent,
Oſſa ſub incurvis extabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus, & a ſpinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

Ovid. 8. Metam.

Jeju-

Jejunus ſtomachus raro vulgaria temnit.
Horat. l. 2. Sat. 2.

FATVM.

FAtum divina lex, per quod inevitabiles cogitationes Dei atque incepta complentur. *Apul. l. 1. dogm. Plat.*

Fatum nihil aliud, quam ſeries implexa cauſarum. *Sen. 4. de benef. c. 7.*

Regitur fatis mortale genus,
Nec ſibi quisquam ſpondere poteſt
Firmum & ſtabile: perque caſus
Volvitur varios, ſemper nobis
Metuenda dies. Sen. in Octav.

Fata regunt Orbem, certa ſtant omnia lege,
Longaque per certos ſignantur tempora curſus.
Manil. l. 4.

FLETVS. LACRIMÆ.

NOn vides, qualem vitam nobis rerum natura promiſerit, quæ primum naſcentium omen fletum eſſe voluit? Hoc principio edimur, huic omnis ſequentium annorum ordo conſentit. *Sen. Conſolat. ad Polyb. c. 23.*

Hominem ſcire nihil ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci: breviterque non aliud naturæ ſponte, quam flere. *Plin. præf. l. 5.*

Nunquam lacrimæ opprimuntur imperio, ſed etiam irritantur. Nulla flendi major eſt cauſa, quam flere non poſſe *Sen. l. 4. controv. 1.*

Neve puellarum lacrimis moveare caveto:
Vt flerent, oculos erudiere ſuos.
Ovid. 2. de remed. am.

Nil moveor lacrimis, iſta ſum captus ab arte,
Semper ab inſidiis Cynthia flere ſoles.
Propert. l. 3, el. 24.

Fleque

Fleque meos caſus, eſt quædam flere voluptas,
Expletur lacrimis, egeriturque dolor.
Ovid. l. 4. Triſt.
Nec tua ſi fletu ſcindentur verba, nocebit:
Interdum lacrimæ pondera vocis habent.
Idem 3. de Ponto.
Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet.
Manil. l. 4. Aſtron.

FIDES.

FIdes, libertas, amicitia, præcipua humani animi bona. *Tac. 1. hiſt. 15.*

Paucis carior fides, quam pecunia fuit. *Salluſt. bello Jugurth. c.* 16.

Famæ & fidei damna majora, quam quæ æſtimari poſſint. *Liv. l. 3. cap. ult.*

Non bove mactato cœleſtia Numina gaudent,
Sed, quæ præſtanda eſt, & ſine teſte fide.
Ovid. ep. 18.
Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.
Idem ep. 16.
Quantum quisque ſua numorum continet arca,
Tantum habet & fidei. Juven. Sat. 3.

FORMA. PVLCHRITVDO.

IN Galbam eloquentia clarum, ſed quem habitûs corporis deſtruebat, M. Lollii vox circumferebatur: Ingenium Galbæ male habitat. *Macrob. l. 2. Saturn. c. 6.*

Nimia eſt miſeria, pulchrum eſſe hominem nimis. *Plaut. mil. glor.*

Ageſilaus ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, ſic maleficam nactus eſt in corpore, exiguus, & claudus altero pede. *Corn. Nep. in vita.*

Erra-

Errare mihi viſus eſt, qui dixit:

Gratior eſt pulchro veniens e corpore virtus.

Nullo enim honeſtamento eget: ipſa & magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat. Certe Claranum noſtrum cœpi intueri; formoſus mihi videtur, & tam rectus corpore, quam eſt animo. Poteſt ex caſa vir magnus exire: poteſt ex deformi humilique corpuſculo, formoſus animus ac magnus. — Claranus mihi videtur in exemplar editus; ut ſcire poſſemus, non deformitate corporis fœdari animum, ſed pulchritudine animi corpus ornari. *Sen. ep. 66.*

Nec faciem, nec te pigeat laudare capillos,
Et teretes digitos, exiguumque pedem.
Delectant etiam caſtas præconia formæ;
Virginibus curæ eſt, grataque forma ſua.
Laudatas oſtendit avis Iunonia pennas,
Si tacitus ſpectes, illa recondit opes.

Ovid. 1. de arte.

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Vt velox celeri pede laberis.
Non ſic vere novo prata decentia
Æſtatis calidæ diſpoliat vapor,
Sævit ſolſtitio cum medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis.
Langueſcunt folia lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt roſæ.
Vt fulgor teneris qui radiat genis,
Momento rapitur, nullaque non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax. Sen. in Hippol.

Forma

Forma bonum fragile eſt, quantumq; accedit ad años
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.
Nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent.
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.

Ovid. l. 2. de arte.

Faſtus ineſt pulchris, ſequitur ſuperbia formam.

Idem l. 1. Faſt.

FORTITUDO ANIMI.

MAgnitudinis animi, & fortitudinis proprium, nil extimeſcere, omnia humana deſpicere, nihil quod homini accidere poteſt, intolerandum putare. *Cic. l. 3. Offic. c. 26.*

Fortitudini fortuna adjumento eſſe ſolet. *Aut. ad Heren. l. 3.*

Magna illa laus & admirabilis videri ſolet, tuliſſe caſus ſapienter adverſos, non fractum eſſe fortuna, retinuiſſe in rebus aſperis dignitatem. *Cic. l. 2. de Orat. c. 75.*

Rebus anguſtis animoſus atque
Fortis appare: ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela. Hor. l. 2. Od. 10.

Omne ſolum forti patria eſt, ut piſcibus æquor,
Ut volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Ovid. l. 1. Faſt.

Quemcunque fortem videris, miſerum negos.

Sen. in Herc. Fur.

FORTUNA.

QUis Fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum caſus ſatis mirari queat? quis non diverſa præſentibus, contrariaque exſpectatis, aut ſperet, aut timeat? *Vellej. Pat. l. 2. c. 75.*

O fragilem hominum ſpem, fragilemque fortu-

 nam,

nam,& inaneis noſtras contentiones; quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur, quam portum conſpicere potuerunt. *Cic. 3. de Orat. c. 2.*

Perſæpe ſapientiſſimis viris accidit, ut, quemadmodum gubernatores optimi, vim tempeſtatis, ſic illi fortunæ impetum, ſuperare non poſſint. *Idem l. 1. ad Q. Frat. ep. 1.*

Quam multos militiæ morbus eripuit: quosdam ne ad ruinam domus ſuæ accurrerent, inimicus vadimonio tenuit: ne in piratarum manus pervenirent, quidam naufragio conſecuti ſunt. *Sen. 6. de Benef. c. 9.*

Fortes non modo fortuna adjuvat, ut eſt in veteri proverbio, ſed multo magis ratio. *Cic. 2. Tuſcul. cap. 4.*

Fragilis & caduca felicitas eſt, & omnis fortunæ blandientis cum periculo nitor: & ſine cauſa ſæpe fluit, & ſine ratione deſtituit. *Sen. l. 2. controv. 9.*

Non ſolum ipſa fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerunque efficit cæcos, quos complexa eſt. *Cic. de Amic. c. 15.*

Nihil eſt tam contrarium rationi & conſtantiæ, quam fortuna. *Cic. 2. de Divinat. c. 7.*

O Fortuna, ut nunquam perpetuo es bona. *Ter. in Hecyra.*

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

Horat. l. 3. Carm. Od. 29.

Iniqua

Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit: nemo ſe tuto diu
Periculis offerre tam crebris poteſt:
Quem ſæpe tranſit caſus, aliquando invenit.
Sen. in Herc. Fur.
—— *Ex humili magna ad faſtigia rerum*
Extollit, quoties voluit fortuna jocari.
Juv. Sat. 3.
Quicquid in altum fortuna tulit,
Ruitura levat: modicis rebus
Longius ævum eſt. Sen. in Agam.
Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hora fidem.
Ovid. l. 4. de Ponto.
Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus Fortuna Deam, cœloque locamus.
Juven. Sat. 10.
Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
Sen. in Medea.
Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.
Juven. Sat. 7.

FULMEN.

FUlmina futura portendunt: nec unius tantum aut alterius rei ſigna dant, ſed ſæpe totum fatorum ſequentium ordinem nunciant, & quidem decretis evidentibus, longeque clarioribus, quam ſi ſcriberentur. *Sen. 2. Nat. Quæſt. c. 32.*
—— *Namque Diespiter,*
Igni coruſco nubila dividens
Plerumque per purum tonanteis
Egit equos, volucremque currum.
Hor. l. 1. Od. 34.

Cœlum ipſum petimus ſtultitia: neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.
Horat. l. 1. Od. 3.

FVTVRVM.

QVid dementius autem, quam angi futuris, nec ſe tormento reſervare, ſed accerſere ſibi miſerias, & admovere? quas optimum eſt differre, ſi diſcutere non poſſis. *Sen. ep. 74.*

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetque ſi mortalis ultra
Fas trepidat. Horat. l. 3. Od. 29.

Quid ſit futurum cras, fuge quærere, &
Quem ſors dierum cunque dabit, lucro
Appone. Idem l. 1. Od. 9.

GAVDIVM. LÆTITIA.

CVm ratione animus movetur placide atque conſtanter, tum illud Gaudium dicitur: cum autem & inaniter & ſuffuſe animus exultat, tum illa lætitia geſtiens, vel nimia dici poteſt: quam ita definiunt Stoici, ſine ratione elationem. *Cic. 4. Tuſcul. c. 6.*

Tunc beatum eſſe te judica, cum tibi ex te gaudium omne naſcitur: cum in his, quæ homines eripiunt, optant, cuſtodiunt, nihil inveneris, non dico, quod malis, ſed quod velis. *Sen. ep. 124.*

Hoccine eſt credibile aut memorabile, tanta vecordia innata cuiquam ut ſiet, ut malis gaudeant, atque ex incommodis alterius, ſua comparent ut commoda? *Terent. in Andr.*

Quin etiam lacrimas natura mentis indices de-

dit:

dit: quæ, aut erumpunt dolore, aut lætitia manant. *Quintil. l. 11. c. 3.*

Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium? proh Jupiter! nunc eſt profecto interfici cum perpeti me poſſum, ne hoc gaudium contaminet vita aliqua ægritudine. *Terent. Eunuch.*

Gaudia principium, noſtri ſunt, Phoce, doloris.

Ovid. 7. Metam.

Flebile principium melior fortuna ſecuta eſt. Id. ib.

Nil adeo fortuna gravis miſerabile fecit,
Vt minuant nulla gaudia parte malum.
Nulla dies adeo eſt auſtralibus humida nimbis,
Non intermiſſis ut fluat imber aquis.

Idem 4. de Ponto.

Genius.

Genius autem ita nobis aſſiduus obſervator appoſitus eſt, ut ne puncto quidem temporis longius abſcedat, ſed ab utero matris exceptos, ad extremum vitæ diem comitetur. *Cenſor. de D. N. c. 3.*

Genium potiſſimum ſuo quisque natali veneramur. *Id. c. 2.*

Genus. Nobilitas.

Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. *Sen. ep. 44.*

Sæpe evenit, ut & humili loco nati, ad ſummam dignitatem conſurgant; & generoſiſſimarum imaginum fœtus, in aliquod devoluti dedecus, acceptam a majoribus lucem, in tenebras convertant. *Val. Max. l. 3. c. 4.*

Quidam avitas, paternasque flagitiis obruerunt imagines: quidam ignobiles nati, poſteris fecere genus: in illis non ſervaſſe quod acceperant,

maximum dedecus: in his, quod nemo dederat, feciſſe laudabile. *Sen. l. 1. contov.*

— *Virtute decet, non ſanguine niti.*
Claud. de 4. Conſul. Hon.

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto. Ovid. l. 2. Metam.

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictosque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, humeroque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis naſoque carentem?
Juven. Sat. 8.

Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant,
Vtcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.
Hor. l. 4. Od. 4.

GLORIA.

GLoria eſt ſolida quædam res, & expreſſa, non adumbrata. Ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute; ea virtuti reſonat tanquam imago: quæ, quia recte factorum plerunque comes eſt, non eſt bonis viris repudianda. *Cic. 3. Tuſc.*

Virtutem neceſſario gloria, etiamſi tu id non agas, conſequitur. *Id. 1. Tuſc.*

Cato, eſſe quam videri bonus malebat: ita, quo minus gloriam petebat, eo magis illum adſequebatur. *Salluſt. Catil. c. 54.*

Gloria eſt illuſtris ac pervulgata multorum & magnorum, vel in ſuos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. *Cic. pro Marcel.*

Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quis-

quiſque maxime gloria ducitur. *Id. ad Quir. poſt red.*

Vera gloria radices agit,atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter tanquam floſculi decidunt,nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum. *Idem l. 2. Offic.*

Is mihi videtur ampliſſimus, qui ſua virtute in altiorem locum pervenit,non qui aſcendit per alterius incommodum & calamitatem. *Idem pro Roſc. Am.*

Artibus ingenuis quæſita eſt gloria multis.
Ovid. l. 2. de Ponto.

Ardua per præceps gloria vadit iter.
Id. l. 4. Triſt.

Excitat Auditor ſtudium,laudataque Virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.
Idem 4. de Ponto.

GRAMMATICA.

GRammaticus non erubeſcit ſolœciſmum, ſi ſciens facit: erubeſcit,ſi neſciens. *Sen. ep. 95.*

Grammatici cuſtodes Latini ſermonis. *Id. ib.*

Quo minus ſunt ferendi, qui artem Grammaticam ut tenuem ac jejunam cavillantur: quæ, niſi Oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quicquid ſuperſtruxeris, corruet: neceſſaria pueris, jucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes,& quæ vel ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis, quam oſtentationis. *Quintil. l. 1. c. 4.*

GRATITVDO.

EſT animi ingenui, cui multum debeas, ei plurimum velle debere. *Cic. l. 2. ep. 6.*

Ad reddendam gratiam & virtute opus eſt, & tempore,& facultate,& adſpirante fortuna. *Sen. 3. de benef. c. 2.*

Male agit, qui famæ, non conſcientiæ gratus eſt. *Id. l. 6. de benef. c. ult.*

Pauper vir bonus, erit in ſumma inopia gratus: & cum omnia illi deerunt, ſupererit animus. *Idem 4. de benef. c. 10.*

Nimis grati & perverſe illi ſunt, qui adverſi aliquid amico optant, ut beneficio locus ſit. *Idem l. 6. de Benef. c. 25.*

Oſtendam hunc animum, cum primum tempus advenerit: interim Dii teſtes ſunt. *Id. l. 6. de Benef. cap. 41.*

Quidam fugitive agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non eſt iſta verecundia, ſed inficiandi genus. Ingratus eſt, qui remotis arbitris agit gratias. *Id. l. 2. de Benef. c. 23.*

Dii (ſi qua eſt cœlo pietas, quæ talia curet)
Perſolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita. Virgil. 2. Æn.

Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt: gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Auſon. in epigram.

Hæc mihi ſemper erunt imis infixa medullis,
Perpetuusque animæ debitor hujus ero.
Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deſeret oſſa rogo,
Quam ſubeant animo meritorum oblivia noſtro,
Et longa pietas excidat iſta die.

Ovid. 1. Triſt.

HISTORIA.

Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis. Cic. 2. de Orat. c. 9.

Quis neſcit eſſe primam hiſtoriæ legem, ne quid

quid falſi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat? ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis. *Id. ib: c. 15.*

Græcis hiſtoriis plerunque Poëticæ ſimilis eſt licentia. *Quintil. l. 2. c. 4.*

Nec vero ſum inſcius, eſſe utilitatem in hiſtoria, non modo voluptatem. *Cic. 5. de Fin. c. 19.*

Interea Muſis animus dum mollior inſtet,
Et quæ mox imitere legas; nec deſinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetuſtas.
Claudian. de 4. Conſul. Honor.

Homicidium.

NUllus eſt tam vilis ſanguis, ut non manus inquinet. *Quintil. declam. 291.*

Non pudet homines mitiſſimum genus, gaudere ſanguine alterno; bella gerere, gerendaque liberis tradere; cum inter ſe etiam mutis ac feris pax ſit. *Sen. ep. 95.*

Ut jugulent homines ſurgunt de nocte latrones;
Ut teipſum ſerves, non expergiſcere? Horat. l. 1. ep.

Homo.

QVid eſt homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum. *Sen. Conſol. ad Marciam c. 11.*

Homo ſum, humani nihil a me alienum puto. *Terent. Heaut.*

Quod ſi quomodo eſt natura, ſic judicio, homines, humani ut ait Poëta, nihil a ſe alienum putarent, coleretur jus æque ab omnibus. *Cic. 1. de leg. cap. 12.*

Ab homine homini quotidianum periculum. Adverſus hoc te expedi, hoc intentis oculis in-

Pulvis & umbra ſumus.
Quis ſcit an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Dî ſuperi.
Horat. l. 4. Od. 7.

HONESTUM.

AD mercedem pii ſumus, ad mercedem impii. Honeſta, quamdiu aliquid illis ſpei ineſt, ſequimur, in contrarium tranſituri, ſi plus ſcelera promittant. *Sen. ep. 115.*

Nunquam in rerum honeſtarum certamine ſuperari turpe eſt, dummodo arma non projicias, & victus quoque velis vincere. Non omnes ad bonum propoſitum easdem afferunt vires, easdem facultates, eandem fortunam: quæ optimorum quoque conſiliorum duntaxat exitus temperat. Voluntas ipſa rectum petens laudanda eſt, etiamſi illam alius gradu velociter anteceſſit. *Idem 5. de Benef. c. 2.*

HONOR.

Virtutis uberrimum alimentum eſt honos. *Val. Max. l. 2. c. 6.*

Id ego arbitror præcipue in honore obſervandum, quem qui laborioſe exoraverit, ſibi debet unam gratiam, quod impetrarit, qui vero ſine moleſtia ambitus adeptus eſt, duplam gratiam præbentibus debet: & quod non petierit, & quod acceperit. *Apul. l. 3. Florid.*

Non facile invenies multis e millibus unum,
Virtutem pretium qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non movet, & gratis pœnitet eſſe probum.
Ovid. 2. de Ponto el. 3.

Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dumq; thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Virg. Ecl. 5.

In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicitias, pauper ubique jacet.
Ovid. l. 1. Faſt.

HOSPITALITAS.

REcte a Theophraſto eſt laudata Hoſpitalitas: eſt enim, ut mihi quidem videtur valde decorum, patere domos hominum illuſtrium, illuſtribus hoſpitibus: idque etiam Reipubl. eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere, in urbe noſtra non egere. *Cic. 2. Offic. c. 18.*

Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes.
Ovid. l. 5. Triſt.

Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus.
Idem l. 1. Metam.

HOSTIS.

IN univerſo genere bellorum, ſupra omnia ducitur, hoſtium conſuetudinem explorare diligenter, ac noſſe. *Veget. l. 4. c. 27.*

Præcipue cavendum videtur, ne adverſariorum dolo atque perjuriis, decipiatur provincialium incauta ſimplicitas. Frequentius enim conventionum pacisque ſimulatio, credulis, quam arma nocuerunt. *Id l. 3. c. 3.*

HUMANITAS.

SVnt quorum mentes etiam nocentium ſupplicia confundant, qui ad omnium ſanguinem palleſcant, ignotorum quoque miſeriis illacriment. Sunt contra, qui ne ſuorum quidem miſereantur.

Mihi mite pectus, & mollis affectus ad omnem calamitatum conſpectum tremit. *Quintil. declam. 9.*

IGNAVIA.

NEc quicquam apud Indorum Gymnoſophiſtas æque laudo, quam quod torporem animi, & otium oderunt. Igitur ubi menſa poſita, priusquam edulia apponantur, omnes adoleſcentes ex diverſis locis & officiis ad dapem conveniunt. Magiſtri perrogant, quod factum a lucis ortu ad iſtud diei bonum fecerint. Qui nihil habet adferre cur prandeat, impranſus ad opus foras extruditur. *Apul. l. 1. Florid.*

Cernis ut ignavum corrumpat otia corpus,
Vt capiant vitium, ni moveantur aquæ.

Ovid. 1. de Ponto el. 6.

Vidi ego jactatas mota face creſcere flammas;
Et rurſus nullo concutiente, mori.

Idem.

IMAGINES.

NOctu ambulabat in publico Themiſtocles, quod ſomnum capere non poſſet: quærentibusq; reſpondebat, Miltiadis trophæis ſe e ſomno ſuſcitari. *Cic. 4. Tuſc. c. 19.*

Prudentiſſimo viro (T. Manlio Torquato) ſuccurrebat, effigies majorum cum titulis ſuis idcirco in prima ædium parte poni ſolere, ut eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur. *Val. Max l. 5. c 8.*

Effigies hominum non ſolebant exprimi, niſi aliqua illuſtri cauſa perpetuitatem merentium. *Plin. l. 34. c. 4.*

Quidni ego magnorum virorum & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Quid-

Quidni illos honoris cauſa ſemper appellem? Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. Si Conſulem videro aut Prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet, faciam: equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam. Quid ergo? Marcum Catonem utrumque, & Lælium Sapientem, & Socratem cum Platone, & Zenonem, Cleanthemque, in animum meum ſine dignatione ſumma recipiam? Ego vero illos veneror, & tantis nominibus ſemper asſurgo. *Sen. ep. 64.*

IMITATIO.

Hic eſt fructus legendi, æmulari ea, quæ in aliis probes, & quæ maxime inter aliorum dicta mireris, in aliquem uſum tuum opportuna derivatione convertere. *Macrob. l. 5. Saturn. c. 1.*

Neceſſe eſt, aut ſimiles, aut diſſimiles bonis ſimus. Similem natura præſtat, frequenter imitatio. *Quintil. l. 10. c. 2.*

Semper tu hoc facito, cogites id optimum eſſe, tute ut ſis optimus; ſi id nequeas, ſaltem ut optimis ſis proximus. *Plaut. Trin.*

Ante omnia imitatio per ſe ipſa non ſufficit, quia pigri eſt ingenii, contentum eſſe iis, quæ ſunt ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis, quæ ſine exemplo fuerunt, ſi homines nihil niſi quod jam cognoviſſent, faciendum ſibi aut cogitandum putaſſent? Nempe nihil fuiſſet inventum. *Quintil. l. 10. c. 2.*

Vis curſu pedibusq; gloriari?
Tigrim vince levemque paſſerinum.
Nulla eſt gloria præterire aſellos.

Martial. l. 12. Epigr.

IMPRO-

IMPROVISA.

VIdentur omnia repentina graviora. *Cic. 3. Tuſc. cap. 13.*

Maxime commovent, quæ contra ſpem exſpectationemque evenerunt. *Sen. 2. de Ira c. 30.*

Præcogitati mali mollis ictus venit. *Id. ep. 76.*

Quicquid exſpectatum eſt diu, levius accidit. *Id. ep. 78.*

Illud etiam ingenii magni eſt, præcipere cogitatione futura, & aliquando ante conſtituere quid accidere poſſit in utramque partem, & quid agendum ſit, cum quid evenerit: nec committere, ut aliquando dicendum ſit; Non putaram. *Cic. 1. Offic. c. 23.*

Audimus aliquando voces imperitorum, dicentium: Neſciebam hoc mihi reſtare. Sapiens ſcit ſibi omnia reſtare: quicquid factum eſt, dicit: Sciebam. *Sen. ep. 76.*

IMPUDENTIA.

EGo illum periiſſe duco, cui quidem periit pudor. *Plaut. in Bacchid.*

Quod unum habebant in malis bonum, perdunt peccandi verecundiam. Laudant enim ea, quibus erubeſcebant, & vitio gloriantur. *Sen. de vita beata c. 12.*

IMPUNITAS.

QVis ignorat maximam eſſe illecebram peccandi, impunitatis ſpem? *Cic. pro Milone.*

Impunitatis cupido, magnis ſemper conatibus adverſa. *Tacit. 15. Annal.*

Effrænatus furor alitur impunitate diuturna. *Cic. pro Sextio,*

Infantia.

Jam primum ſuus cuique filius, ex caſta parente natus, non in cella emtæ nutricis,ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat,tueri domum,& inſervire liberis. — At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus ſervis plerunque viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus. Horum fabulis & erroribus, teneri ſtatim & rudes animi imbuuntur. *Quintil. dial. de Orator.*

Sic conſolamur cruſtulo pueros, ſic infantium fletum infuſo lacte compeſcimus. *Sen. ep. 99.*

At tu putas naturam fœminis mammarum ubera quaſi quosdam nævulos venuſtiores, non liberorum alendorum, ſed ornandi pectoris cauſa dediſſe. Sic enim pleræque iſtæ prodigioſæ mulieres,fontem illum ſanctiſſimum corporis,generis humani educatorem, arefacere,& extinguere cum periculo quoque averſi corruptique lactis laborant: tanquam pulchritudinis ſibi inſignia devenuſtet. *Agell. l. 12. c. 1.*

Tum porro puer, ut ſævis projectus ab undis
Navita,nudus humi jacet infans indigus omni
Vitali auxilio,cum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris Natura profundit,
Vagituque locum lugubri complet,ut æquum eſt,
Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.

Lucret. l. 5. de nat. rer.

Infernus.

Omnia proclivia ſunt,facile deſcenditur. Itaq; quamvis podagricus eſſet,momento temporis pervenit ad januam ditis,ubi jacebat , ut ait

Horatius, bellua centiceps, ſeſe movens, villoſque horrendos excutiens. *Sen. in ludo de morte Claudii Cæſ.*

Cuncta mœrore horrida,
Ipſaque morte pejor eſt mortis locus.

Sen. in Hercul. Fur.

Saxum ingens volvunt alii, radiiſque rotarum
Diſtricti pendent, ſedet æternumque ſedebit,
Infelix Theſeus, Phlegyaſque miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per umbras:
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Impoſuit, fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invaſit natæ, vetitos hymenæos.
Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

Virgil. 6. Æn.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, adverſo recubans immanis in antro.

Idem ibid.

Nemo ad id ſero venit, unde nunquam
Cum ſemel venit, potuit reverti.

Sen. in Hercul. Fur.

Noxia mille modis lacerabitur umbra, tuaſque
Æacus in pœnas ingenioſus erit.

Ovid. l. 15. Metam.

INGENIVM.

QVod in pomis eſt, itidem, inquit Accius, eſſe ajunt in ingeniis: quæ dura & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia & jucunda. Sed, quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, atque in principio ſunt uvida,

uvida, non matura mox fiunt, ſed putrida. Relinquendum igitur viſum eſt ingenio, quod dies atq; ætas mitificet. *Agell. l.13. c.2.*

Odi puerulos præcoci ſapientia. *Apul. Apol. 2.*

Vt Dii immortales nullam didicere virtutem, cum omni editi; & pars naturæ eorum eſt, eſſe bonos: ita quidam ex hominibus egregiam ſortiti indolem, in ea quæ tradi ſolent perveniunt ſine longo magiſterio, & honeſta complexi ſunt, cum primum audierunt. Vnde iſta tam rapacia virtutis ingenia, vel ex ſe fertilia? At illis aut hebetibus & obtuſis, aut mala conſuetudine obſeſſis, diu rubigo animorum effricanda eſt. *Sen. ep. 95.*

Vt ſæpe ſumma ingenia in occulto latent. *Plaut. Capt.*

Poteſt ex caſa vir magnus exire; poteſt & ex deformi humilique corpuſculo, formoſus animus ac magnus. *Sen. ep. 65.*

Adde quod ingenium longa rubigine læſum
Torpet, & eſt multo quam fuit ante minus.

Ovid 5. Triſt. el. 12.

Ore puer, puerique habitu, ſed corde ſagaci
Æquabat ſenium, atque aſtu ſuperaverat annos.

Sil. Ital. l. 8.

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Ovidius.

INGRATITVDO.

MVlta ſunt genera ingratorum, ut furum, homicidarum: quorum una culpa eſt, cæterum in partibus varietas magna. Ingratus eſt, qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit: ingratus eſt, qui diſſimulat: ingratus, qui non reddit:

maximum dedecus: in his, quod nemo dederat, feciſſe laudabile. *Sen. l. 1. controv.*

— *Virtute decet, non ſanguine niti.*
Claud. de 4. Conſul. Hon.

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto. Ovid. l. 2. Metam.

Stemmata quid faciunt, quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictosque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, humeroque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis naſoque carentem?
Juven. Sat. 8.

Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant,
Vtcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.
Hor. l. 4. Od. 4.

GLORIA.

GLoria eſt ſolida quædam res, & expreſſa, non adumbrata. Ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute; ea virtuti reſonat tanquam imago: quæ, quia recte factorum plerunque comes eſt, non eſt bonis viris repudianda. *Cic. 3. Tuſc.*

Virtutem neceſſario gloria, etiamſi tu id non agas, conſequitur. *Id. 1. Tuſc.*

Cato, eſſe quam videri bonus malebat: ita, quo minus gloriam petebat, eo magis illum adſequebatur. *Salluſt. Catil. c. 54.*

Gloria eſt illuſtris ac pervulgata multorum & magnorum, vel in ſuos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. *Cic. pro Marcel.*

Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quis-

quiſque maxime gloria ducitur. *Id. ad Quir. poſt red.*

Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum. *Idem l. 2. Offic.*

Is mihi videtur ampliſſimus, qui ſua virtute in altiorem locum pervenit, non qui aſcendit per alterius incommodum & calamitatem. *Idem pro Roſc. Am.*

Artibus ingenuis quæſita eſt gloria multis.
Ovid. l. 2. de Ponto.

Ardua per præceps gloria vadit iter.
Id. l. 4. Triſt.

Excitat Auditor ſtudium, laudataque Virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.
Idem 4. de Ponto.

GRAMMATICA.

Grammaticus non erubeſcit ſolœciſmum, ſi ſciens facit: erubeſcit, ſi neſciens. *Sen. ep. 95.*

Grammatici cuſtodes Latini ſermonis. *Id. ib.*

Quo minus ſunt ferendi, qui artem Grammaticam ut tenuem ac jejunam cavillantur: quæ, niſi Oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quicquid ſuperſtruxeris, corruet: neceſſaria pueris, jucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes, & quæ vel ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis, quam oſtentationis. *Quintil. l. 1. c. 4.*

GRATITUDO.

Est animi ingenui, cui multum debeas, ei plurimum velle debere. *Cic. l. 2. ep. 6.*

Ad reddendam gratiam & virtute opus eſt, & tempore, & facultate, & adſpirante fortuna. *Sen. 3. de benef. c. 2.*

Male agit, qui famæ, non conſcientiæ gratus eſt. *Id. l. 6. de benef. c. ult.*

Pauper vir bonus, erit in ſumma inopia gratus: & cum omnia illi deerunt, ſupererit animus. *Idem 4. de benef. c. 10.*

Nimis grati & perverſe illi ſunt, qui adverſi aliquid amico optant, ut beneficio locus ſit. *Idem l. 6. de Benef. c. 25.*

Oſtendam hunc animum, cum primum tempus advenerit: interim Dii teſtes ſunt. *Id. l. 6. de Benef. cap. 41.*

Quidam fugitive agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non eſt iſta verecundia, ſed inficiandi genus. Ingratus eſt, qui remotis arbitris agit gratias. *Id. l. 2. de Benef. c. 23.*

Dii (ſi qua eſt cœlo pietas, quæ talia curet)
Perſolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita. Virgil. 2. Æn.

Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt: gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.
Auſon. in epigram.

Hæc mihi ſemper erunt imis infixa medullis,
Perpetuusque animæ debitor hujus ero.
Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit & in tepido deſeret oſſa rogo,
Quam ſubeant animo meritorum olivia noſtro,
Et longa pietas excidat iſta die.
Ovid. 1. Triſt.

HISTORIA.

Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis. *Cic. 2. de Orat. c. 9.*

Quis neſcit eſſe primam hiſtoriæ legem, ne quid

quid falſi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat? ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis. *Id. ib. c. 15.*

Græcis hiſtoriis plerunque Poëticæ ſimilis eſt licentia. *Quintil. l. 2. c. 4.*

Nec vero ſum inſcius, eſſe utilitatem in hiſtoria, non modo voluptatem. *Cic. 5. de Fin. c. 19.*

Interea Muſis animus dum mollior inſtet,
Et quæ mox imitere legas; nec deſinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetuſtas.
Claudian. de 4. Conſul. Honor.

HOMICIDIUM.

NUllus eſt tam vilis ſanguis, ut non manus inquinet. *Quintil. declam. 291.*

Non pudet homines mitiſſimum genus, gaudere ſanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere; cum inter ſe etiam mutis ac feris pax ſit. *Sen. ep. 95.*

Ut jugulent homines ſurgunt de nocte latrones,
Ut teipſum ſerves, non expergiſcere? Horat. l. 1. ep.

HOMO.

QUid eſt homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum. *Sen. Conſol. ad Marciam c. 11.*

Homo ſum, humani nihil a me alienum puto. *Terent. Heaut.*

Quod ſi quomodo eſt natura, ſic judicio, homines, humani ut ait Poëta, nihil a ſe alienum putarent, coleretur jus æque ab omnibus. *Cic. 1. de leg. cap. 12.*

Ab homine homini quotidianum periculum. Adverſus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere.

tuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur, anteqam ſurgat: crepant ædificia, antequam corruant: prænunciat fumus incendium: ſubita eſt ex homine pernicies, & eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Erras, ſi iſtorum tibi qui occurrunt, vultibus credis. Hominum effigies habent, animos ferarum. *Sen. ep.103.*

Nulli (animantium) vita fragilior, (quam homini,) nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confuſior, nulli rabies acrior. Denique cætera animantia in ſuo genere probe degunt; congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentum morſus non petit ſerpentes: nec maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diverſa genera ſæviunt. At hercule homini plurima ex homine ſunt mala. *Plin. Præf. l. 7.*

Eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo. Quod cum ita ſit, quæ tandem poteſt eſſe propior certiorve cognatio? *Cic. 1. de Leg. c.8.*

Inter bonos viros ac Deum amicitia eſt, conciliante virtute amicitiam dico, imo etiam neceſſitudo, & ſimilitudo. *Sen. de Provid. c.1.*

Falſo queritur de natura ſua genus humanum, quod imbecilla atque ævi brevis, forte potius, quam virtute regatur. Nam contra reputando, neque majus aliud, neque præſtabilius invenias, magisque naturæ induſtriam hominum, quam vim aut tempus deeſſe. Sed dux atque imperator vitæ mortalium animus eſt: qui abunde pollens, potensque, & clarus eſt, *Salluſt. de bello Jugurth. c. 1.*

Animal

Digitized by Google

Animal hoc providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum eſt a ſupremo Deo. Solum eſt enim ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis & cogitationis, cum cætera ſint omnia expertia. *Cic. l. 1. de Leg. c. 7.*

Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura, niſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur. *Sen. ep. 95.*

Denique cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi.
Lucret. l. 2.

Sed jam ſerpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exſpiravit aper, majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam: ſævis inter ſe convenit urſis.
Aſt homini ferrum lethale incude nefanda
Produxiſſe parum eſt. Juv. Sat. 15.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.
Ovid. l. 1. Metam.

—— *Ad ſidera mittit,*
Sidereos oculos, propiusque aſpectat Olympum,
Contentus manet, & cœlum ſcrutatur in alto,
Cognatumque ſequens corpus, ſe quærit in aſtris.
Manil. l. 4. Aſtron.

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi,
Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtisque ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.
Virg. l. 3. Georg.

Pul-

Pulvis & umbra ſumus.
Quis ſcit an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Dî ſuperi.

Horat. l. 4. Od. 7.

HONESTVM.

AD mercedem pii ſumus, ad mercedem impii. Honeſta, quamdiu aliquid illis ſpei ineſt, ſequimur, in contrarium tranſituri, ſi plus ſcelera promittant. *Sen. ep. 115.*

Nunquam in rerum honeſtarum certamine ſuperari turpe eſt, dummodo arma non projicias, & victus quoque velis vincere. Non omnes ad bonum propoſitum easdem afferunt vires, easdem facultates, eandem fortunam: quæ optimorum quoque conſiliorum duntaxat exitus temperat. Voluntas ipſa rectum petens laudanda eſt, etiamſi illam alius gradu velociter anteceſſit. *Idem 5. de Benef. c. 2.*

HONOR.

Virtutis uberrimum alimentum eſt honos. *Val. Max. l. 2. c. 6.*

Id ego arbitror præcipue in honore obſervandum, quem qui laborioſe exoraverit, ſibi debet unam gratiam, quod impetrarit, qui vero ſine moleſtia ambitus adeptus eſt, duplam gratiam præbentibus debet: & quod non petierit, & quod acceperit. *Apul. l. 3. Florid.*

Non facile invenies multis e millibus unum,
Virtutem pretium qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non movet, & gratis pœnitet eſſe probum.

Ovid. 2. de Ponto el. 3.

Dulc

Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dumq; thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Virg. Ecl. 5.

In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicitias, pauper ubique jacet.

Ovid. l. 1. Faſt.

Hospitalitas.

REcte a Theophraſto eſt laudata Hoſpitalitas: eſt enim, ut mihi quidem videtur valde decorum, patere domos hominum illuſtrium, illuſtribus hoſpitibus: idque etiam Reipubl. eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere, in urbe noſtra non egere. *Cic. 2. Offic. c. 18.*

Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes.

Ovid. l. 5. Triſt.

Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus.

Idem l. 1. Metam.

Hostis.

IN univerſo genere bellorum, ſupra omnia ducitur, hoſtium conſuetudinem explorare diligenter, ac noſſe. *Veget. l. 4. c. 27.*

Præcipue cavendum videtur, ne adverſariorum dolo atque perjuriis, decipiatur provincialium incauta ſimplicitas. Frequentius enim conventionum pacisque ſimulatio, credulis, quam arma nocuerunt. *Id l. 3. c. 3.*

Humanitas.

SVnt quorum mentes etiam nocentium ſupplicia confundant, qui ad omnium ſanguinem palleſcant, ignotorum quoque miſeriis illacriment. Sunt contra, qui ne ſuorum quidem miſereantur.

Mihi

Mihi mite pectus, & mollis affectus ad omnem calamitatum conſpectum tremit. *Quintil. declam. 9.*

IGNAVIA.

NEc quicquam apud Indorum Gymnoſophiſtas æque laudo, quam quod torporem animi, & otium oderunt. Igitur ubi menſa poſita, priusquam edulia apponantur, omnes adoleſcentes ex diverſis locis & officiis ad dapem conveniunt. Magiſtri perrogant, quod factum a lucis ortu ad iſtud diei bonum fecerint. Qui nihil habet adferre cur prandeat, impranſus ad opus foras extruditur. *Apul. l. 1. Florid.*

Cernis ut ignavum corrumpat otia corpus,
Vt capiant vitium, ni moveantur aquæ.

Ovid. 1. de Ponto el. 6.

Vidi ego jactatas mota face creſcere flammas;
Et rurſus nullo concutiente, mori.

Idem.

IMAGINES.

NOctu ambulabat in publico Themiſtocles, quod ſomnum capere non poſſet: quærentibusq; reſpondebat, Miltiadis trophæis ſe e ſomno ſuſcitari. *Cic. 4. Tuſc. c. 19.*

Prudentiſſimo viro (T. Manlio Torquato) ſuccurrebat, effigies majorum cum titulis ſuis idcirco in prima ædium parte poni ſolere, ut eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur. *Val. Max l. 5. c* 8.

Effigies hominum non ſolebant exprimi, niſi aliqua illuſtri cauſa perpetuitatem merentium. *Plin. l. 34. c. 4.*

Quidni ego magnorum virorum & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? Quid-

Quidni illos honoris cauſa ſemper appellem? Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. Si Conſulem videro aut Prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet, faciam: equo deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam. Quid ergo? Marcum Catonem utrumque, & Lælium Sapientem, & Socratem cum Platone, & Zenonem, Cleanthemque, in animum meum ſine dignatione ſumma recipiam? Ego vero illos veneror, & tantis nominibus ſemper asſurgo. *Sen. ep. 64.*

IMITATIO.

Hic eſt fructus legendi, æmulari ea, quæ in aliis probes, & quæ maxime inter aliorum dicta mireris, in aliquem uſum tuum opportuna derivatione convertere. *Macrob. l. 5. Saturn. c. 1.*

Neceſſe eſt, aut ſimiles, aut diſſimiles bonis ſimus. Similem natura præſtat, frequenter imitatio. *Quintil. l. 10. c. 2.*

Semper tu hoc facito, cogites id optimum eſſe, tute ut ſis optimus; ſi id nequeas, ſaltem ut optimis ſis proximus. *Plaut. Trin.*

Ante omnia imitatio per ſe ipſa non ſufficit, quia pigri eſt ingenii, contentum eſſe iis, quæ ſunt ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis, quæ ſine exemplo fuerunt, ſi homines nihil niſi quod jam cognoviſſent, faciendum ſibi aut cogitandum putaſſent? Nempe nihil fuiſſet inventum. *Quintil. l. 10. c. 2.*

Vis curſu pedibusq; gloriari?
Tigrim vince levemque paſſerinum.
Nulla eſt gloria præterire aſellos.

Martial. l. 12. Epigr.

IMPRO-

IMPROVISA.

VIdentur omnia repentina graviora. *Cic. 3. Tuſc. cap. 13.*

Maxime commovent, quæ contra ſpem exſpectationemque evenerunt. *Sen. 2. de Ira c. 30.*

Præcogitati mali mollis ictus venit. *Id. ep. 76.*

Quicquid exſpectatum eſt diu, levius accidit. *Id. ep. 78.*

Illud etiam ingenii magni eſt, præcipere cogitatione futura, & aliquando ante conſtituere quid accidere poſſit in utramque partem, & quid agendum ſit, cum quid evenerit: nec committere, ut aliquando dicendum ſit: Non putaram. *Cic. 1. Offic. c. 23.*

Audimus aliquando voces imperitorum, dicentium: Neſciebam hoc mihi reſtare. Sapiens ſcit ſibi omnia reſtare: quicquid factum eſt, dicit: Sciebam. *Sen. ep. 76.*

IMPUDENTIA.

EGo illum periiſſe duco, cui quidem periit pudor. *Plaut. in Bacchid.*

Quod unum habebant in malis bonum, perdunt peccandi verecundiam. Laudant enim ea, quibus erubeſcebant, & vitio gloriantur. *Sen. de vita beata c. 12.*

IMPUNITAS.

QVis ignorat maximam eſſe illecebram peccandi, impunitatis ſpem? *Cic. pro Milone.*

Impunitatis cupido, magnis ſemper conatibus adverſa. *Tacit. 15. Annal.*

Effrænatus furor alitur impunitate diuturna. *Cic. pro Sextio,*

INFANTIA.

JAm primum ſuus cuique filius, ex caſta parente natus, non in cella emtæ nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat, tueri domum, & inſervire liberis. — At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus ſervis plerunque viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus. Horum fabulis & erroribus, teneri ſtatim & rudes animi imbuuntur. *Quintil. dial. de Orator.*

Sic conſolamur cruſtulo pueros, ſic infantium fletum infuſo lacte compeſcimus. *Sen. ep. 99.*

At tu putas naturam fœminis mammarum ubera quaſi quosdam nævulos venuſtiores, non liberorum alendorum, ſed ornandi pectoris cauſa dediſſe. Sic enim pleræque iſtæ prodigioſæ mulieres, fontem illum ſanctiſſimum corporis, generis humani educatorem, arefacere, & extinguere cum periculo quoque averſi corruptique lactis laborant: tanquam pulchritudinis ſibi inſignia devenuſtet. *Agell. l. 12. c. 1.*

Tum porro puer, ut ſævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet infans indigus omni
Vitali auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris Natura profundit,
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum eſt,
Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.

Lucret. l. 5. de nat. rer.

INFERNVS.

OMnia proclivia ſunt, facile deſcenditur. Itaq; quamvis podagricus eſſet, momento temporis pervenit ad januam ditis, ubi jacebat, ut ait

Horatius, bellua centiceps, ſeſe movens, villoſque horrendos excutiens. *Sen. in ludo de morte Claudii Cæſ.*

Cuncta mœrore horrida,
Ipſaque morte pejor eſt mortis locus.

Sen. in Hercul. Fur.

Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Diſtricti pendent, ſedet æternumque ſedebit,
Infelix Theſeus, Phlegyasque miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per umbras:
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Impoſuit, fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invaſit natæ, vetitos hymenæos.
Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

Virgil. 6. Æn.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, adverſo recubans immanis in antro.

Idem ibid.

Nemo ad id ſero venit, unde nunquam
Cum ſemel venit, potuit reverti.

Sen. in Hercul. Fur.

Noxia mille modis lacerabitur umbra, tuasque
Æacus in pœnas ingenioſus erit.

Ovid. l. 13. Metam.

INGENIVM.

QVod in pomis eſt, itidem, inquit Accius, eſſe ajunt in ingeniis; quæ dura & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia & jucunda. Sed, quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, atque in principio ſunt

uvida,

uvida, non matura mox fiunt, ſed putrida. Relinquendum igitur viſum eſt ingenio, quod dies atq; ætas mitificet. *Agell. l.13. c.2.*

Odi puerulos præcoci ſapientia. *Apul. Apol. 2.*

Vt Dii immortales nullam didicere virtutem, cum omni editi; & pars naturæ eorum eſt, eſſe bonos: ita quidam ex hominibus egregiam ſortiti indolem, in ea quæ tradi ſolent perveniunt ſine longo magiſterio, & honeſta complexi ſunt, cum primum audierunt. Vnde iſta tam rapacia virtutis ingenia, vel ex ſe fertilia? At illis aut hebetibus & obtuſis, aut mala conſuetudine obſeſſis, diu rubigo animorum effricanda eſt. *Sen. ep. 95.*

Vt ſæpe ſumma ingenia in occulto latent. *Plaut. Capt.*

Poteſt ex caſa vir magnus exire; poteſt & ex deformi humilique corpuſculo, formoſus animus ac magnus. *Sen. ep. 65.*

Adde quod ingenium longa rubigine læſum
Torpet, & eſt multo quam fuit ante minus.

Ovid 5. Triſt. el. 12.

Ore puer, puerique habitu, ſed corde ſagaci
Æquabat ſenium, atque aſtu ſuperaverat annos.

Sil. Ital. l. 8.

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Ovidius.

Ingratitudo.

MVlta ſunt genera ingratorum, ut furum, homicidarum: quorum una culpa eſt, cæterum in partibus varietas magna. Ingratus eſt, qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit: ingratus eſt, qui diſſimulat: ingratus, qui non reddit:

ingratiſſimus omnium qui oblitus eſt. Illi enim ſi non ſolvunt, tamen debent; & extat apud illos veſtigium certe meritorum, intra malam conſcientiam concluſorum. Hic nunquam fieri gratus poteſt, cui totum beneficium elapſum eſt. *Sen. 3. de Benef. c. 1.*

Deſine de quoquam quicquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri poſſe putare tuum:
Omnia ſunt ingrata. Catullus epigr. 74.

INIVRIA. INIVSTITIA.

Accipere, quam facere præſtat injuriam. *Cic. 5. Tuſcul. c. 19.*

Si is, qui non defendit injuriam, neque propulſat a ſuis, cum poteſt, injuſte facit; qualis habendus eſt is, qui non modo non repellit, ſed etiam adjuvat injuriam? *Cic. 3. Offic. c. 18.*

Magni animi eſt, injurias deſpicere *Sen. 2. de Ira cap 32.*

Quod quisque fecit, patitur: autorem ſcelus
Repetit, ſuoque premitur exemplo nocens.
Sen. Herc. Fur.

Circumretit enim vis atque injuria quemque:
Atque unde exorta eſt, ad eum plerunque revertit.
Lucret, l. 5.

INNOCENTIA.

Rem difficilem optas humano generi, innocentiam. *Sen. de conſt. Sap.*

Innocens is dicitur, non qui leviter nocet, ſed, qui nihil nocet. *Cic. 5. Tuſc. c. 14.*

Sed non ſemper judicum culpa eſt, cum innocens damnatus erit. Aliquando teſtis corrumpitur: aliquando parum diligenter cauſa defenditur: aliquando reo nocet & ipſa fiduciæ. *Quintil. Decl. 266.*

Innocentia apud Græcos uſitatum nomen nullum habet, ſed habere poteſt ἀβλάβειαν. Nam, eſt innocentia affectio talis animi, quæ noceat nemini. *Cic. 3. Tuſc. c. 8.*

Conſcia mens recti, famæ mendacia ridet:
Sed nos in vitium credula turba ſumus.

Ovid. l. 4. Faſtor.

Integer vitæ, ſceleriſque purus,
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida ſagittis,
Fuſce, pharetra.
Sive per Syrtes iter æſtuoſas,
Sive facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes. Hor. l. 1. Od. 22.

Insania. Stultitia.

OMnes ſtulti ſunt ſine dubio miſerrimi; maxime quod ſtulti ſunt, miſerius enim ſtultitia quid poſſumus dicere? *Cic. de Nat. Deor. c. 9.*

Si quis furioſo præcepta det, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo in publico ſe gerere, quomodo in privato, erit ipſo quem monebit inſanior. Bilis nigra curanda eſt, & ipſa furoris cauſa removenda. *Sen. ep. 94.*

Non tu ſcis, Bacchæ bacchanti ſi velis adverſarier, ex inſana inſaniorem facies. *Plaut. in Amphitr.*

Virtus, eſt vitium fugere, & ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe. Horat. l. 1. Epiſt.

Interitus Rerum Omnium.

QVi mundum naſci dicit, per hoc ipſum & deficere ſignificat, quia deficit omne quod naſcitur. *Quintil. l. 5. Inſtit. c. 10.*

Quid immmortale manus mortales fecerint? Septem illa miracula, & ſi qua his multo mirabiliora ſequentium annorum exſtruxit ambitio, aliquando ſolo æquata viſentur. Ita eſt, nihil perpetuum, pauca diuturna ſunt. *Sen. Conſol. ad Polyb. cap.* 20.

Terrena omnia, mutationes & converſiones, poſtremo interitus habent. *Apul. de Mundo.*

Vt appareat, quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc ſeneſcere, nunc interire. *Vellej. l.* 2. *c.* 11.

Nihil tam magnum eſt, quod perire non poſſit. *Sen* 6. *de Benef. c.* 31.

Nihil ſemper floret, ætas ſuccedit ætati. *Cic. Philip.* 11.

Certis eunt cuncta temporibus: naſci debent, creſcere, extingui. Quæcunque vides ſupra nos currere, & hæc quibus innixi atque impoſiti ſumus, veluti ſolidiſſimis, carpentur ac deſinent. Nulli non ſua ſenectus eſt. *Sen. ep.* 71.

Cœli regia concidet,
Certos atque obitus trahet,
Atque omnes pariter Deos
Perdet mors aliqua, & chaos,
Et mors fata noviſſima,
In ſe conſtituit ſibi.

Sen. in Herc. Oet.

—— *Omnia verti*
Cernimus, atque alias aſſumere robora gentes
Concidere has. Ovid. 15. Metam.

—— *Multosque per annos*
Suſtentata ruet moles, & machina mundi.

Lucret. l. 5.

INTERPRES.

SI tibi quædam videbuntur obſcuriora, cogitare debebis, nullam artem literis ſine interprete, & ſine aliqua exercitatione percipi poſſe. *Cic. l. 7. ep. 19.*

Nec tamen exprimi verbum e verbo neceſſe erit, ut interpretes indiſerti ſolent, cum ſit verbum, quod idem declaret, magis uſitatum. Equidem ſoleo etiam, quod uno Græci, ſi aliter non poſſum, idem pluribus verbis exponere. *Macrob. in ſomn. Scip. l. 2. c. 4.*

INVIDIA.

ODium & invidia apud multos valent. *Tacit. l. 3. Ann. c. 10.*

Difficillimum inter mortales eſt, gloria invidiam vincere. *Salluſt. in bello Jugurth.*

Raro ulli homini contigit, ut felicitas ejus effugeret invidiam. *Sen. Conſol. ad Polyb. c. 21.*

Vitium parvis magniſque civitatibus commune, ignorantia recti, & invidia. *Tac. in Agric. c. 1.*

Acerrimus longe eſt omnium modus invidiæ: nec minus virium opus eſt in ea comprimenda, quam in excitanda. *Cic. 2. de Orat.*

Periculoſa res eſt invidia, magnos viros oppreſſit. *Sen. l. 1. controv. 8.*

Nolo habere bona, niſi quibus populus inviderit. *Petron. in Sat.*

Aſſidua eminentis fortunæ comes invidia, altisſimiſque adhæret. *Vellej. Pat. l. 2. c. 40.*

Sæpe etiam Superioribus invidetur vehementer, & eo magis ſi intolerantius ſe jactant, & æquabilitatem omnis juris, præſtantia dignitatis, aut fortuna ſua tranſeunt. *Cic. 2. de Orat. c. 5.*

Præſentia invidia, præterita veneratione proſequimur, & his nos obrui, illis inſtrui credimus. *Vellej. Pat. l. 2. Hiſt. c. 92.*

Sic vero invidiam effugies, ſi te non ingeſſeris oculis, ſi bona tua non jactaveris, ſi ſcieris in ſinu gaudere. *Sen. ep. 105.*

Aurea bulla geſtamen erat triumphantium, quam in triumpho præ ſe gerebant, incluſis intra eam remediis, quæ crederent adverſus invidiam valentiſſima. *Macrob. l. 1. Saturn. c. 6.*

Non inuſitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates neque in terris morabor
Longius, invidiaque major
Terras relinquam. Horat. l. 2. Carm. Od. 20.

—— *Livor poſt fata quieſcit;*
Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honos.
Ergo etiam cum me ſupremus adusserit ignis,
Vivam, parsque mei magna ſuperſtes erit.
Ovid. 1. Amor. el. ult.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis, quærimus invidi.
Horat. l. 3. Od. 24.

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris;
Vicinumque pecus grandius uber habet.
Ovid. l. 1. de arte.

Summa petit livor, perflant altiſſima venti,
Summa petunt dextra fulmina miſſa Jovis.
Idem de Remed. Amor.

Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum. Horat. l. 1. ep. 2.
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,

Pecto-

Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt, niſi quem viſi movere dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo,
Succeſſus hominum: carpitque & carpitur una,
Suppliciumq; ſuum eſt. Ovid. l. 2. Metam.
Macerat invidia, ante oculos illum eſſe potentem,
Illum adſpectari, claroque incedere honore:
Ipſi ſe in tenebris volvi, cœnoque queruntur.
Lucret. l. 3.
Livor iners vitium, mores non exit in altos,
Vtque latens ima vipera ſerpit humo.
Ovid. 3. de Ponto. el. 3.

Joci.

MEmoriam malorum, joci venuſtate frangamus. *Sym. l. 3. ep. 39.*

Duplex omnino eſt jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum, quo genere non modo Plautus noſter, & Atticorum antiqua comœdia, ſed etiam Philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt, multaque multorum facete dicta. *Cic. 1. Offic. c. 29.*

Si quid dictum eſt per jocum, non æquum eſt id te ſerio prævortier. *Plaut. Amphitr.*

Innocuos cenſura poteſt permittere luſus:
Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt.
Martial. l. 1. epigr. 5.

Ira.

QVidam e ſapientibus Viris, iram dixerunt brevem inſaniam, æque enim impotens ſui eſt, decoris oblita, neceſſitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi conſiliisq;

præcluſa, vanis agitata cauſis, ad diſpectum æqui verique inhabilis, ruinis ſimillima, quæ, ſuper id quod oppreſſere, franguntur. *Sen. l. 1. de Ira, c. 1.*

Quid eſt enim, quo non progrediatur eodem ira, quo furor? Itaque iratos proprie dicimus exiſ-ſe de poteſtate, id eſt, de conſilio, de ratione, de mente. *Cic. 4. Tuſc. c. 36.*

Quædam ſunt iræ, quæ intra clamorem conſidant, quædam ſævæ manu. *Sen. 1. de Ira c. 4.*

An eſt quidquam ſimilius inſaniæ, quam ira? quam bene Ennius initium dixit inſaniæ. *Cic. 4. Tuſc. c. 23.*

Omnes homines qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt. *Salluſt. in Catilin. c. 51.*

Dicendum eſt, feras ira carere, & omnia præter hominem. Nam, cum ſit inimica rationi, nuſquam tamen naſcitur, niſi ubi rationi locus eſt. *Sen. 1. de Ira c. 3.*

Fregerat unus ex ſervis Vedii Pollionis cryſtallinum, rapi eum Vedius juſſit, nec vulgari quidem periturum morte: murænis objici jubebatur, quas ingens piſcina continebat. *Idem 3. de Ira c. 40.*

Omnes qui iſtinc veniunt, ita de tua virtute, humanitate, integritate, commemorant, ut in tuis ſummis laudibus excipiant unam iracundiam: quod vitium, cum in hac privata quotidianaque vita levis eſſe animi atque infirmi videtur: tum vero nihil eſt tam deforme, quam ad ſummum imperium, etiam acerbitatem naturæ adjungere. *Cic. l. 1. ad Q. Fr. ep. 2.*

Iracundiſſimi, infantes, ſenesque & ægri ſunt, & in-

& invalidum omne natura querulum eſt. *Sen. 1. de Ira c. 13.*

Vinum incendit iram, quia calorem auget, pro cujusque natura. *Idem 2. de Ira c. 19.*

Ipſam iracundiam, fortitudinis quaſi cotem eſſe dicebant Academici. *Cic. 4. Academ. quæſt. c. 44.*

Non eſt magnus animus, quem incurvat injuria. Aut potentior te, aut imbecillior læſit. Si imbecillior, parce illi; ſi potentior, tibi. *Sen. 3. de Ira c. 5.*

Te illud admoneo, ut ſi hoc plene vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundia quam providere ratio potuit ne occuparetur, te ante componas, quotidie meditere, reſiſtendum eſſe iracundiæ: cumque ea maxime animum moveat, tum tibi eſſe diligentiſſime linguam continendam: quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quam omnino non iraſci. *Cic. l. 1. ep. 1. ad Q. Fr.*

Vt ſcias non eſſe ſanos, quos ira poſſedit, ipſum illorum habitum intuere. Nam, ut furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant & micant oculi, multus oro toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine; labra quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus mugitusque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, magnasque minas agens, fœda viſu, & horrenda facies, depravantium ſe, atque intumeſcentium. *Sen. 1. de Ira c. 1.*

Mode-

Moderari animo & orationi, cum ſis iratus, aut etiam tacere, & tenere in ſua poteſtate motum animi & dolorem, etſi non eſt perfectæ ſapientiæ, tamen non eſt mediocris ingenii. *Cic. l. 1. epiſt. 1. ad Q. Fr.*

Maximum remedium iræ, dilatio eſt; ut primus fervor ejus relangueſcat, & caligo quæ premit mentem, aut reſideat, aut minus denſa ſit. Quædam ex his, quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantum dies, molliet: quædam ex toto evaneſcent. *Sen. l. 3. de Ira c. 12.*

Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſævius angue micant.
I procul hinc, dixit, non eſt mihi tibia tanti,
Vt vidit vultus Pallas in amne ſuos.
Vos quoque ſi media ſpeculum ſpectetis in ira,
Cognoſcat faciem vix ſatis ulla ſuam.

Ovid. 3. de arte.

Improviſi adſunt, hic torre armatus obuſto,
Stipitis hic gravidi nodis. Quod cuiq; repertum
Rimanti telum ira facit. Virgil. 7. Æn.
In jaculum quodcunque ferit, dementia mutat,
Omnibus armatur rabies pro cuſpide ferri,
Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnere ſævit,
Pro telo geritur, quicquid ſuggeſſerit ira.

Claud. epigr. 10.

Vince animos iramque tuam, qui cætera vincis.

Ovid. ep. 3. Heroid.

Ira furor brevis eſt, animum rege, qui niſi paret,
Imperat, hunc frænis, hunc tu compeſce catena.

Horat. l. 1. Ep.

Ne

—— *Ne fræna animo permitte calenti,*
Da ſpatium, tenuemq; moram: male cuncta miniſtrat
Impetus. Statius l. 8. Thebaid.

Ira, quæ tegitur, nocet,
Profeſſa perdunt odia vindictæ locum.
Sen. in Medea.

Judex, Judicium.

LEgum miniſtri, Magiſtratus; legum interpretes, Judices. *Cic. pro Cluent.*

At neque contra Rempubl. neque contra jusjurandum, ac fidem, amici cauſa vir bonus faciet: ne ſi judex quidem erit de ipſo amico. Ponit enim perſonam amici, cum induit judicis. Tantum dabit amicitiæ, ut veram amici cauſam eſſe malit: ut orandæ liti tempus, quod per leges licet, accommodet. Cum vero jurato ſententia dicenda ſit, meminerit Deum ſe adhibere teſtem, id eſt, ut arbitror, mentem ſuam, qua nihil homini dedit Deus ipſe divinius. Itaque præclarum a majoribus accepimus morem rogandi judicis, ſi eum teneremus, *Quæ ſalva fide facere poſſit. Cic.* 3. *Offic. cap.* 10.

Illud eſt hominis magni, Judices, atque ſapientis, cum illam, judicandi cauſa, tabellam ſumſerit, non ſe putare eſſe ſolum, neque ſibi, quodcunque concupierit, licere: ſed habere in conſilio legem, religionem, æquitatem, fidem: libidinem autem, odium, invidiam, metum, cupiditatesque omnes amovere, maximiq; æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam a Diis immortalibus accepimus, quæ a nobis divelli non poteſt; quæ, ſi optimorum conſiliorum atque factorum teſtis in omni vita nobis erit, ſine ullo metu, & ſumma cum honeſtate vivemus. *Cic. pro Cluent.*

Vt

Vt quæque res turpiſſima eſt,ſic maxime & maturiſſime judicanda eſt : at ea, in qua exiſtimationis periculum eſt,tardiſſime judicatur. *Cic.pro Cæcinna.*

Judicis eſt ſemper in cauſis verum ſequi,patroni,nonnunquam veriſimile, etiamſi minus ſit verum,defendere.*Id.2.Offic.c.14.*

Tu es judex,ne quid accuſandus ſis,vide. *Ter. in Heauton.*

Ergo judicium nihil eſt,niſi publica merces,
Atque Eques in cauſa qui ſedet,emta probat.
Petron. in Satyr.

Dicam,ſi potero,male verum examinat omnis
Corruptus judex. Horat. l.2. Sat. 2.

Qui ſtatuit aliquid,parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit,haud æquus eſt.
Sen. in Medea.

Judex honeſtum prætulit utili, &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu,& per obſtantes catervas
Explicuit ſua victor arma. Hor.l.4.Od. 9.

JVS. JVRISPRVDENTIA.

NIhil eſt in civitate tam diligenter, quam jus civile retinendum. Etenim, hoc ſublato, nihil eſt, quare exploratum cuiquam poſſit eſſe, quod ſuum aut quid alienum ſit. *Cic.pro Cæcinna.*

Quid enim eſt jus civile ? quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia poſſit. Quod,ſi non modo oppreſſum, ſed etiam deſertum, aut negligentius adſervatum erit , nihil eſt, quod quisquam ſeſe habere certum , aut a patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. *Id.ib.*

Domi

Domi militiæque boni mores colebantur, concordia maxima, minima avaritia erat. Jus bonumque apud eos, non legibus magis, quam natura valebat. *Salluſt. in Catil. c. 9.*

Quædam jura non lege, ſed natura nobis attributa. *Sen. l. 9. controv.*

Exiſtunt ſæpe injuriæ, calumnia quadam, & nimis callida, ſed malitioſa juris interpretatione. Ex quo illud, ſummum jus, ſumma injuria, factum eſt jam tritum ſermone proverbium. *Cic. 1. Offic. c. 10.*

Eſt non modo liberale, paulum nonnunquam de jure ſuo decedere, ſed interdum etiam fructuoſum. *Idem ib. c. 15.*

Verum illud Chreme dicunt; Jus ſummum, ſæpe ſumma eſt malitia. *Ter. Heauton.*

Nam, cum permulta præclare legibus eſſent conſtituta, ea jureconſultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata ſunt. *Cic. pro Muræna.*

Jus eſt in armis, opprimit leges pudor.
Sen. in Herc. Fur.

Jura inventa metu injuſti fateare neceſſe eſt,
Tempora ſi faſtosque velis evolvere mundi.
Hor. l. 1. Sat. 3.

—— *Neque enim lex juſtior ulla eſt,*
Quam necis artifices arte perire ſua.
Ovid. l. 1. de arte.

—— *Ubi non eſt pudor,*
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides.
Inſtabile regnum eſt. Sen. Thyeſt.

Justitia. Justus.

Juſtitia eſt habitus animi, communi utilitate conſervata, ſuam cuique tribuens dignitatem. *Cic. 2. de Invent. c. 53.*

Juſti-

Juſtitia omnium eſt domina & regina virtutum. *Idem 3. Offic. c. 6.*

Nihil eſt profecto præſtabilius, quam plane intelligi, nos ad juſtitiam eſſe natos: neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe jus. *Idem 1. de legib. c. 10.*

Juſtitiæ tanta vis eſt, ut nec illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere. —— Quin etiam leges latronum eſſe dicuntur, quibus pareant, quas obſervent. *Idem 2. de Offic.*

Victa jacet Pietas, & virgo cæde madentes
Vltima cœleſtûm terras Aſtræa reliquit.
Ovid. l. 1. Metam.

Juſtum & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida: neque Auſtriæ
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ. Hor. l. 3. Od. 3.

Juſtitia utilibus rectum præponere ſuadet,
Communesque ſequi leges, injuſtaque nunquam
Largiri ſociis. Claudian. l. 2. de laud. Stilic.

LABOR.

NEmo eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe vivere: ſed iidem laborant in eis, quæ ſciunt nihil omnino ad ſe pertinere. *Cic. de Seneɛt. cap. 7.*

Generoſos animos labor nutrit. *Sen. ep. 31.*

Qui e nuce nucleum eſſe vult, frangit nucem. *Plaut. in Curcul.*

Nihil

Nihil agendo homines male agere diſcunt. *Colum.l.11. c.11.*

Nusquam nec opera ſine emolumento, nec emolumentum fere ſine impenſa opera eſt. Labor voluptasque diſſimillima natura, ſocietate quadam inter ſe naturali ſunt juncta. *Liv.l.5.*

Magna pars vitæ elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. *Sen. ep. 1.*

Næ illi falſi ſunt, qui diverſiſſimas res pariter expectant, ignaviæ voluptatem, & præmia virtutis. *Salluſt. Jugurth.*

Vegeta & ſtrenua ingenia, quo plus receſſus ſumunt, hoc vehementiores impetus edunt. *Val. Max. l.3.c.6.*

Danda eſt remiſſio animis; meliores acrioresq; requieti ſurgent. Vt fertilibus agris non eſt imperandum; cito enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus, aſſiduus labor frangit. Vires recipient paulum reſoluti & remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum, animorum hebetatio quædam & langor. *Sen. de tranquil. an. c.15.*

Ingenium eſt omnium hominum a labore proclive ad libidinem. *Ter. in Andr.*

Vita humana prope uti ferrum eſt. Ferrum ſi exerceas, conteritur: ſi non exerceas, tamen rubigo interficit. Item homines exercendo videmus conteri. Si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitatio. *Agel. l 11 c.2.*

Conſuetudo laborum, perpeſſionem dolorum efficit faciliorem. *Cic. 2. Tuſc.*

Dum vires animi ſinunt tolerate labores,
Jam veniet tacito curva ſenecta pede.
Ovid. l. 3. de arte.
Dum licet, & veros etiam nunc editis annos,
Diſcite, eunt anni more fluentis aquæ.
Idem ibid.
At tu dum primi floret tibi temporis ætas,
Vtere, nam tardo labitur illa pede.
Tibullus.
Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos,
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes.
Claud. in Nupt. Honorii.
—— *Labor omnia vincit*
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.
Virg. 1. Georg.
Nullum a labore me reclinat otium.
Vrget diem nox, & dies noctem, neqne eſt
Levare tenta ſpiritu præcordia.
Horat. l. 1. Epod.
Poſt multa virtus opera laxari ſolet.
Sen. in Hercul. Fur.
Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit, & alſit.
Hor. in arte.
Quod caret alterna requie, tolerabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaque membra levat.
Ovid. Ep. 4. Heroid.

LAVS.

ALia ſunt in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, divitiæ, cæteraque quæ fortuna dat, aut extrinſecus, aut corpori, non habent

habent in ſe veram laudem: quæ deberi virtuti una putatur. *Cic. 2. de Orat.*

Aliud eſt laus, aliud laudatio. Hæc, & vocem exigit. Itaque nemo dicit laudem funebrem, ſed laudationem, cujus officium oratione conſtat. Cum dicimus aliquem laude dignum, non verba illi benigna hominum, ſed judicia promittimus. *Sen. ep. 102.*

Themiſtoclem illum ſummum Athenis virum, dixiſſe ajunt, cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem libentiſſime audiret? ejus, a quo ſua virtus optime prædicaretur. *Cic. pro Archia.*

Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ. *Id. ib.*

Placet Hector ille Nævianus, qui non tantum laudari ſe lætatur, ſed etiam a laudato viro. *Cic. l. 5. epiſt. 12.*

Suum cuique decus poſteritas rependit. *Tac. 4. Annal.*

Cum a Catone noſtro laudabar, vel reprehendi me a cæteris facile patiebar. *Cic. in Orat. ad Brut. cap. 13.*

—— *An erit qui velle recuſet*
Os populi meruiſſe, & cedro digna locutus,
Linquere nec ſcombros metuentia carmina, nec thus?
Perſ. Sat. 1.

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces,
Dulce tamen venit ad manes, cum gloria vitæ
Durat apud ſuperos, nec edunt oblivia laudem.
Sil. Ital. l. 13.

Reſpue quod non es, tollat ſua munera cerdo,
Tecum habita, & noris, quam ſit tibi curta ſupellex.
Perſius Sat. 4.

...alem commendes etiam atq; etiam aſpice, ne mox,
...tiant aliena tibi peccata pudorem.

...l. 1. Epiſt.

...a es, novimus: & puella, verum eſt,
...dives, quis enim poteſt negare?
...dum te nimium, Fabulla, laudas,
...dives, neque bella, nec puella es.

M...tial. l. 1. epigr. 65.

LECTIO. LIBRI.

...brorum iſtic inopiam eſſe quereris. Non re-...rt quam multos, ſed quam bonos habeas. Le-...certa prodeſt, varia delectat. Qui, quo deſti-...it pervenire vult, unam ſequatur viam, non ...r multas vagetur. Non ire iſtud, ſed errare ... *Sen. ep. 45.*

...bros Numæ Pompilii Græcos, quia aliqua ex ...e ad ſolvendam religionem pertinere exiſti-...antur, L. Petillius Prætor urbanus ex autori-...e Senatus, per victimarios, igne facto, in con-...u populi cremavit. *Val. Max. l. 1. c. 1.*

...ſtrahit animum librorum multitudo. Itaque ...legere non poſſis, quantum habueris, ſat eſt ...re, quantum legas. Sed, modo, inquis, hunc ...um evolvere volo, modo illum. Faſtidientis ...machi eſt, multa deguſtare: quæ, ubi varia ſunt ...verſa, inquinant, non alunt. Probatos itaque ...er lege: &, ſi quando ad alios divertere libu-...ad priores redi. *Sen. ep. 2.*

...diorum, quæ liberaliſſima impenſa eſt, tam-...tionem habebo, quamdiu modum. Quo mi-...merabiles libros, & bibliothecas, quarum ...us, vix tota vita ſua indices perlegit? One-...centem turba, non inſtruit: multoque ſa-tius

tius eſt, paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. Quadringenta millia librorum Alexandriæ arſerunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum: alius laudaverit, ſicut Livius, qui *elegantiæ Regum curæque egregium id opus*, ait fuiſſe. Non fuit elegantia illud, aut cura, ſed ſtudioſa luxuria: imo ne ſtudioſa quidem, quoniam non in ſtudium, ſed in ſpectaculum comparaverant: ſicut plerisque ignaris etiam ſervilium literarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt. Paretur itaque librorum quantum ſatis eſt, nihil in apparatum. *Idem de tranquil. an. cap.9.*

Inter cuncta leges, & percunctabere doctos,
Qua ratione queas, traducere leniter ævum:
Ne te ſemper inops agitet, vexetque cupido,
Ne pavor & rerum mediocriter utilium ſpes.
Horat. l.1. Epiſt.

Interea Muſis animus dum mollior inſtat,
Et quæ mox imitere legas, nec deſinat unquam,
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos evolve duces, aſſueſce futuræ
Militiæ, Latium retro te confer in ævum.
Claud. de 4. Conſ. Honorii.

LEGES.

EST enim Lex nihil aliud, niſi recta, a Numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibens contraria. *Cic. Philip.*11.

Sicut ante morbos neceſſe eſt cognitos eſſe, quam remedia eorum; ſic cupiditates prius natæ ſunt, quam leges, quæ iis modum facerent. *Liv. l.34.*

Lex eſt recti præceptio, pravique depulſio. *Cic. 2. de Nat. Deor.*

Vſu probatum eſt, leges egregias, exempla honeſta, apud bonos ex delictis aliorum gigni. *Tac. 15. Annal. c. 20.*

Multo eſt indignius in ea civitate, quæ legibus contineatur, diſcedi a legibus. Hoc enim vinculum eſt hujus dignitatis, qua fruimur in Republ. hoc fundamentum liberalitatis, hic fons æquitatis. Mens, & animus, & conſilium, & ſententia civitatis, poſita eſt in legibus. Vt corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine lege, ſuis partibus, ut nervis, ac ſanguine, & membro, uti non poteſt. *Cic. pro Cluent.*

Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc libidine, ſine probro, ſcelere, eoq; ſine pœna aut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honeſta ſuopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis incedebat, provenere dominationes, multosque apud populos æternum manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquam Regum pertæſum, leges maluerunt. *Tac. 3. Ann. c. 26.*

Romani fruſtra interdicta quæ vetuerant, cernentes, nullas potius, quam irritas eſſe leges maluerunt. *Plin. l. 36. c. 3.*

Ego ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, ſed perpetuæ utilitatis cauſa in æternum latæ ſunt, nullam abrogari debere fateor, niſi quam aut uſus coarguit, aut ſtatus aliquis Reipubl. inutilem fecit. *Liv. l. 34. c. 6.*

Leges miſeræ etiam ad parietes ſunt fixæ clavis ferreis, ubi malos mores adfigi nimio fuerat æquius. *Plaut. in Trin.*

In

In corruptiſſima Republica plurimæ leges. *Tac. 3. Annal. c.27.*

Quid faciant leges, ubi ſola pecunia regnat?
Aut, ubi paupertas vincere nulla poteſt?

Petron. in Satyr.

LIBERALITAS.

Liberalitas non quia liberis debetur, ſed quia a libero animo proficiſcitur, ita nominata eſt. *Sen. de vita beata c.24.*

Sæpe idoneis hominibus indigentibus, de re familiari impertiendum eſt. *Cic. l.2. Offic. c.15.*

Non eſt magni animi qui de alieno liberalis eſt, ſed ille, qui quod alteri donat, ſibi detrahit. *Sen. l.1. de Clem. c. 20.*

Cauſa largitionis eſt, ſi aut neceſſe eſt, aut utile. In his autem ipſis mediocritatis regula optima eſt. *Cic. l. 2. Offic. c.17.*

Donabit Sapiens aut bonis, aut eis quos facere poterit bonos. Donabit ſummo cum conſilio, digniſſimos eligens: ut qui meminerit, tam expenſorum, quam acceptorum rationem eſſe reddendam. *Sen. de vita beata c.33.*

Liberalitatis duo ſunt maxime probabiles fontes, verum judicium, & honeſta benevolentia. Nam, cum ab his oritur, tunc demum ei ratio conſtat. *Val. Max. l. 4. c.8.*

Multi patrimonia effuderunt, inconſulte largiendo. *Cic. 2. Offic. c.15.*

Donabit Sapiens ex recta & probabili cauſa. Nam, inter turpes jacturas malum munus eſt. Habebit ſinum facilem, non perforatum, ex quo multa exeant, nihil excidat. Errat, ſi quis exiſtimat facilem rem eſſe donare. Plurimum iſta res ha-

bet difficultatis, ſi modo conſilio tribuitur, non caſu & impetu ſpargitur. *Sen. de vita beata c. 23.*

Nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit: nec ita reſeranda, ut pateat omnibus: modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminiſſe debemus id, quod a noſtris hominibus ſæpe uſurpatum, jamque in proverbii conſuetudinem venit: Largitionem fundum non habere. *Cic. l. 2. Offic. c. 15.*

Extra fortunam eſt, quicquid donatur amicis,
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Martial. l. 5. epigr. 42.

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes: ſed largior imbre,
Sueverat innumeras hominum ditare catervas,
Quippe velut denſo currentia munera nimbo,
Cernere erat ſemper populis undare penates,
Aſſiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos,
Aurea dona vomens. Claud. in Cons. Olyb. & Prob.

LIBERI.

PAr eſt in omnes liberos, eademque pietas, ſed habet in aliquo plerunque proprias indulgentiæ cauſas. & ſalva charitatis æqualitate, eſt quiddam, per quod tacito mentis inſtinctu, ſingulos rurſus tanquam unicos amemus. Hunc primus naſcendi locus, illum gratiorem prior fecit infantia: alium lætior vultus, & blandior oſculis amplexibusque facies, quosdam magis ſeveritas probitasque commendat, in quibusdam diliguntur impatientius calamitates. *Quintil. declam. 5.*

An tu ignoras, nihil eſſe adſpectabilius homini nato quam formam ſuam? Equidem ſcio, & filiorum

rum çariores eſſe, qui ſimiles videntur. *Apul. in Apol.*

Puero opus eſt cibo, opus eſt matri autem, quæ puerum lavit: Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini largiter, ut dies noctesque potet: opus eſt igne, opus eſt carbonibus: Faſciis opus eſt, pulvinis, cunis, incunabulis: Oleo opus eſt, farina puero opus eſt: opus eſt totam diem. Nunquam hoc uno die efficietur opus, quin opus ſemper ſiet. *Plaut. in Truc.*

Similes parentibus ac majoribus ſuis filii plerunque creduntur: & nonnunquam ad honeſte turpiterque vivendum, inde cauſæ fluunt. *Quint. l. 5. c. 10.*

Nec vero me fugit, quam ſit acerbum, parentum ſcelera filiorum pœnis lui. Sed hoc præclare legibus comparatum eſt, ut caritas liberorum, amiciores parentes Reipubl. redderet *Cic. epiſt. ad Brut. 12.*

Optima hereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior, gloria virtutis rerumque geſtarum. *Id. l. 1. Offic.*

Neque eſt boni, neque liberalis parentis, quem procrearit & eduxerit, eum non & veſtire & ornare *Idem l. 2. de Orat. c. 28.*

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis, patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Horat. l. 4. Od. 4.

Redit ad autores genus,
Stirpemque primam degener ſanguis refert.

Sen. in Hippol.

LIBERTAS.

OMnes homines natura libertati ſtudent, & conditionem ſervitutis oderunt. *Cæs. l. 3. de bello Gal.*

Libertatem nemo bonus, niſi cum anima ſimul amittit. *Salluſt. Conjur. Catil. c.33.*

Quid tam populare, quam libertas? quam non ſolum ab hominibus, verum etiam a beſtiis expeti, atq; omnibus rebus anteponi videtis. *Cic. Agrar. 2.*

Pro libertate magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. *Cic. 1. Offic. c. 20.*

Fallitur, egregio quisquis ſub Principe credit
Servitium, nunquam libertas gratior extat,
Quam ſub Rege pio. Claudian. l. 3. de laud. Stilic.
Quisnam igitur liber? Sapiens, ſibique imperioſus,
Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent:
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores.
Fortis, & in ſeipſo totus teres, atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari,
In quem manca ruit ſemper fortuna.
Horat. l. 2. Sat. 7.

LICENTIA.

IN maxima fortuna minima licentia eſt. *Salluſt. in Catil. c. 51.*

Magnitudinem fortunæ ſuæ peccandi licentia metiebatur, quicquid liberet, pro licito judicans. *Vellej. Pat. l. 2. c. 100. de Julia.*

In petulantiam & audaciam erumpit male diſpenſata libertas. *Sen. 1. de Benef. c. 10.*

Deteriores omnes ſumus licentia. *Ter. Heaut.*

Verum, nimia illa licentia profecto evadet in aliquod magnum malum. *Idem in Adel.*

Nemo

Nemo ſatis credit, tantum delinquere, quantum
Permittas, adeo indulgent ſibi latius ipſi.

Juven. Sat. 14.

Quod licet ingratum eſt, quod non licet, acrius urit.

Ovid. l. 2. El.

Cui peccare licet, peccat minus. Ipſa poteſtas
Semina nequitiæ languidiora facit.
Nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.

Idem l. 3.

Id facere laus eſt, quod decet, non quod licet.

Sen. in Octav.

—— Sed comprime motus,
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Claud. de 4. Conſul. Honor.

LINGUA.

LIngua vinclis de pectore, imo ac de corde aptis movenda, & quaſi gubernanda. *Agel. l. 1. c. 15.*

Crede mihi diſtant mores a carmine noſtro:
Vita verecunda eſt, muſa jocoſa mea eſt.

Ovid. l. 2. Triſt.

Vivendum eſt recte, cum propter plurima, tum his
Præcipue cauſis, ut linguas mancipiorum
Contemnas. Nam lingua mali pars peſſima ſervi.

Juven. Sat. 9.

LIS. CONTENTIO.

COmes æris alieni atque litis, eſt miſeria. *Plin. l. 7. c. 32.*

Stultitia eſt cui bene eſſe licet, eum prævorti litibus. *Plaut. Perſ.*

Neceſſe eſt contentioſius loquaris, quod probare

bare non poſſis: & affirmationem ſumat ex homine, quod non habet ex veritate. *Quintil. declam.* 18.

LITERÆ. EPISTOLA.

EPiſtolæ proprium eſt, ut is ad quem ſcribitur, de iis rebus quas ignorat, certior fiat. *Cic. l.* 1. *ad Q. Fr. ep.* 1.

Quod frequenter mihi ſcribis, gratias ago. Nam, quo uno modo potes, te mihi oſtendis. Nunquam epiſtolam tuam accipio, ut non protinus una ſimus. Si imagines nobis amicorum abſentium jucundæ ſunt, quæ memoriam renovant, & deſiderium abſentiæ, falſo atque inani ſolatio levant: quanto jucundiores ſunt literæ, quæ vera amici abſentis veſtigia, veras notas afferunt? Nam, quod in conſpectu dulciſſimum eſt, id amici manus, epiſtolæ impreſſa, præſtat agnoſcere. *Sen. ep.* 40.

LOCVS.

MOvemur neſcio quo pacto locis ipſis, in quibus eorum quos diligimus, aut admiramur, adſunt veſtigia. Me quidem ipſæ illæ noſtræ Athenæ non tam operibus magnificis, exquiſitisq; antiquorum artibus delectant, quam recordatione ſummorum virorum, ubi quisque habitare, ubi ſedere, ubi disputare ſit ſolitus. *Cic.* 2. *de leg. c.* 2.

Non tantum corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, ſic ne inter popinas quidem. *Sen. ep.* 51.

Miſce ſtultitiam conſiliis brevem,
Dulce eſt deſipere in loco. Horat. l. 4. Od. 12.
Difficile eſt tamen hic remis utaris an aura
Dicere, conſilium resque locusque dabunt.
Ovid. l. 1. Triſt.

Sen-

Singula quæque locum teneant ſortita decenter.
Hor. de arte. poët.

LOQVACITAS.

TAcita bona eſt mulier ſemper, quam loquens. *Plaut. in Rud.*

Non minus magna virtus eſt ſcire deſinere, quam ſcire dicere. *Sen. l. 9. Controv.*

Nonne ſatius eſt mutum eſſe, quam quod nemo intelligat dicere? *Cic. 3. Philip.*

Plus oportet ſervum ſcire, quam loqui. *Plaut in Moſtel.*

Quid eſt tam furioſum, quam verborum vel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia, neque ſcientia? *Cic. l. 1. de Orat. c. 12.*

Fœmina id tantum tacere poteſt, quod neſcit. *Portius Latro apud Sen.*

Eximia eſt virtus, præſtare ſilentia rebus,
At contra gravis eſt culpa, tacenda loqui.
Ovid. 2. de Arte.

Quid de quoque viro, & cui dicas ſæpe videto:
Percontatorem fugito, nam garrulus idem eſt:
Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures,
Et ſemel emiſſum, volat irrevocabile verbum.
Horat. de Arte.

Vel citius flammas mortales ore tenebunt,
Quam ſecreta tegant. Petron. in Sat.

Arcanum neque tu ſcrutaberis ullius unquam,
Commiſſumque teges, & vino tortus, & ira.
Horat. l. 1. Epiſt.

LVCRVM. QVÆSTVS.

CVi homini Dii propitii ſunt, objiciunt aliquid lucri. *Plaut. in Perſ.*

Impro-

Improbantur ii quæſtus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, & fœneratorum. Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. *Cic. 1. Offic. c. 42.*

Immenſa multitudo, aperto, quodcunque eſt, mari, hoſpitalique litorum omnium appulſu navigat: ſed lucri, non ſcientiæ gratia. *Plin. l. 2. c. 46.*

Ad ſuum quemque hominem quæſtum eſſe æquum eſt callidum. *Plaut. in Aſinar.*

Non ego omnino lucrum omne eſſe utile homini exiſtimo. Scio ego multos jam lucrum luculentos homines reddidit. Eſt etiam ubi profecto damnum præſtat facere quam lucrum. Odi ego aurum, multa multis ſæpe ſuaſit perperam. *Plaut. in Capt.*

Lucra petens habili tauros adjungit aratro,
Et durum terræ ruſticus urget opus.
Lucra petituros freta perque patentia ventis
Ducunt inſtabiles ſidera certa rates.

Tibul. l. 1. el. 9.

LVCTVS.

Diutius accuſare fata poſſumus, ſtant dura, & inexorabilia. Nemo illa convicio, nemo fletu, nemo cauſa movet. Nihil unquam parcunt illi, nec remittunt. Proinde parcamus lacrimis nihil proficientibus. *Sen. Conſol. ad Polyb.*

Et infinito dolore, cum aliquem ex cariſſimis amiſeris, affici, ſtulta indulgentia eſt, & nullo, inhumana duritia. Optimum inter pietatem & rationem temperamentum eſt, & ſentire deſiderium, & opprimere. *Id. Conſol. ad Helviam.*

Servandus itaque tibi in hac re tuus mos eſt, ne quid

quid committas, quod minus aliterve factum velis. *Idem ad Marciam c.4.*

Mittit luctus ſigna futuri
Mens, ante ſui præſaga mali
Inſtat nautis fera tempeſtas,
Cum ſine vento tranquilla tument. Sen. Thyeſt.

LVXVRIA. LVXVS.

II demum penates, ea civitas, id regnum, æterno in gradu facile ſtabit, ubi minimum virium Veneris, pecuniæque cupido ſibi vendicaverit. Nam, quo iſtæ generis humani certiſſimæ peſtes penetraverint, ibi infamia dominatur. *Val. Max. l. 4. c. 3.*

Sperat ſe poſſe quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere, atque conſumere, *Cic. pro Roſc.*

—— *Prodiga rerum*
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu.
Lucan. l. 4.

—— *Aſpice, late*
Florentes quondam luxus quas verterit urbes!
Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.
Sil. Ital. l. 15.

MATRIMONIVM.

Q*Vam male inæquales veniunt ad aratra juvenci,*
Quam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor eſt, ſed onus ſpecies læſura ferentes.
Si qua voles apte nubere, nube pari.
Ovid. ep. 9. Heroid.

Nec regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt.
Sen. in Agamem.

Nubere ſi qua volet, quamvis properabitis ambo,
Differ, habent parvæ commoda magna moræ.
Ovid. l. 3. Faſt. *Feli-*

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulſus querimoniis,
Suprema citius ſolvet amor die.

Horat. l. 1. Od. 13.

Non bene cum ſociis Regna, Venusque manent.

Ovid. l. 3. de Arte.

MEDICINA. MEDICVS.

MEdicinæ apud ægros uſus, apud ſanos etiam honor eſt. *Sen. 1. de Clem. c. 2.*

Aſclepiades officium eſſe medici dixit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet. *Celſus l. 3. c. 4.*

Nec ulla dura videtur curatio, cujus ſalutaris effectus eſt. *Sen. 1. de Ira c. 5.*

Quædam ejus conditionis ſunt, ut effectum præſtare debeant: quibusdam pro effectu eſt, omnia attentaſſe, ut efficerent. Si omnia fecit, ut ſanaret, peregit medicus partes ſuas. *Idem 6. de Benef. c. 13.*

Medici quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum præſtant. *Idem 1. de Ira c. 6.*

Curando fieri quædam majora videmus,
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

Ovid. l. 3. de Ponto.

Helleborum fruſtra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas: venienti occurrite morbo.

Perſ. Sat. 3.

Ubi turpis eſt medicina, ſanari piget. Sen. Oedip.

Inventum medicina meum eſt, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Ovid. 1. Metam. de Apolline.

Omnes humanos ſanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem.

Propert. l. 2. el. 5.

Non

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.
Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodoſam neſcit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Ovid. l. 1. de Ponto.

Vidi ego quod fuerat primo ſanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.

Idem l. 1. de rem. am.

Mediocritas.

Vetera ſunt præcepta Sapientum, qui jubent ſe noſcere, & nihil nimis. *Cic. l. 3. de Fin.*

Arbitror adprime in vita eſſe utile, Vt ne quid nimis. *Ter. in Andr.*

Eſt etiam bonarũ rerũ ſua medietas. *Plin. l. 5. c. 32.*

In omnibus fere rebus mediocritas eſt optima. *Cic. 4. Tuſc. c. 20.*

Difficillimum eſt, ex ſapientia modum tenere. *Tacit. in Agric. c. 3.*

In omnibus rebus videndum eſt, quatenus. Etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium, quam parum. *Cic. in Brut. c. 8.*

Quicquid exceſſit modum,
Pendet inſtabili loco. Sen. in Oedipo.

Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti. Horat. l. 2. Od. 10.

Quiſquis medium defugit iter
Stabili nunquam tramite curret. Sen. in Oetæo.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Horat. l. 1, Sat. 1.

—— *Hi mores, hæc duri immota Catonis*
Secta fuit, ſervare modum, finemque tenere.
Lucan. l. 2.
Virtus eſt medium vitiorum utrinque redactum.
Horat. l. 1. Epiſt.
Sed dum volucres vincere feras
Icarus audet; patriasque puer
Deſpicit alas, Phœboque volat
Proximus, ipſe dedit ignoto
Nomina Ponto. Sen. in Oetæo.

MEMORIA.

VT excuſem tibi imbecillitatem tuam, imprimis fragilis eſt memoria, & rerum turbæ non ſufficit. Neceſſe eſt, quantum recipit, emittat, & antiquiſſima recentiſſimis obruat. *Sen. 6. de Benef. cap. 28.*

Quæcunque apud memoriam aut puer, aut juvenis depoſui, quaſi recentia, & modo audita ſine cunctatione profert. At ſi qua illi intra proximos annos commiſi, ſic perdidit & amiſit, ut etiam ſi ſæpius ingerantur, totiens tanquam nova audiam. *Idem in præf. controv.*

Quicquid frequens cogitatio exercet ac renovat, memoriæ nunquam ſubducitur, quæ nihil perdit, niſi ad quod non ſæpe reſpexit. *Id. 3. de Benef. cap. 2.*

Quædam res ſemel perceptæ hærent, quædam non eſt ſatis didiciſſe, intercidit enim eorum ſcientia, niſi continuetur. *Sen. 3. de Benef. c. 5.*

Vſus me genuit, mater peperit Memoria.
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.
Afranius apud Agel. l. 13. c. 8.

MEN-

Mendacium.

PEſſimum humanarum mentium malum eſt, quod ſemper avidius nefanda finguntur: nec usquam ſe majus operæ pretium putant maligni facere ſermone, quam cum incredibilia quaſi deprehenſa narrantur. *Quintil. declam. 18.*

O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias, facile ſe per ſeipſam defendit. *Cic. pro Cæl.*

Nullum tam impudens mendacium eſt, ut teſte careat. *Plin. l. 8. c. 22.*

Tenue eſt mendacium, perlucet ſi diligenter inſpexeris. *Sen. ep. 79.*

Mendaci homini, ne verum quidem dicenti, credere ſolemus. *Cic. l. 2. de Divin. c. 7.*

Multis ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibusdam obtenditur, unius cujusque natura: frons, oculi, vultus, perſæpe mentiuntur, oratio vero ſæpiſſime. *Cic. ad Q. Fr. l. 1. ep. 5.*

Mendacem memorem eſſe oportet. *Liv. l. 34.*

Natura ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas veri videndi. *Cic. l. 1. Tuſc. c. 19.*

Nihil eſt Antipho, quin male narrando poſſit depravarier. *Ter. in Phorm.*

Obſequium amicos, veritas odium parit. *Ter. in Andr.*

Quid Romæ faciam, mentiri neſcio, librum
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere: motus
Aſtrorum ignoro, funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum: ranarum viſcera nunquam
Inſpexi; ferre ad nuptam quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norint alii. Juven. Sat. 3.

MENS. ANIMUS.

COgita,in te, præter animum,nihil eſſe mirabile,cui magno,nihil eſt magnum. *Sen.ep.8.*

Neque generoſior ſpiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum mens poteſt, niſi ingenti flumine literarum inundata. *Petron.in Satyr.*

Quid intereſt inter naturam ? Noſtri melior pars animus eſt : in illo nulla pars extra animum. Totus ratio eſt. *Sen.præf. l.1.nat.quæſt.*

Noſtra omnis vis in animo & corpore ſita eſt. Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur: alterum nobis cum Diis,alterum cum belluis commune eſt. *Salluſt.Catil. c.1.*

Humanus animus decerptus ex mente divina, cum nullo alio, niſi cum ipſo Deo, ſi hoc fas eſt dictu,comparari poteſt. *Cic.5.Tuſc.c.13.*

Dux atque imperator vitæ mortalium, animus eſt. *Salluſt.Jugurth. c.1.*

Animo nihil non eodem quo intendit momento,pervium eſt; ſideribus velocior, quorum poſt multa ſecula futuros curſus antecedit. *Sen. 2. de Benef.c.29.*

Conſcia mens,ut cuique ſua eſt,ita concipit intra
Pectora,pro facto ſpemque metumque ſuo.
Ovid.l.1.Faſt.

MERCATURA.

MErcatorem ſtrenuum ſtudioſumq; rei quærendæ exiſtimo : verum periculoſum & calamitoſum. *Cato de R.R.in pr.*

Emere,ut mox vendas,ſordidum eſt. *Cic.2.Offic. c.42.*

Man-

Mangones quicquid eſt quod diſplicet, aliquo lenocinio abſcondunt. *Sen. ep. 80.*

Mercator non cogitat quantum auxilii allaturus mihi, ſed quantum lucrum ſibi. *Sen. 6. de Benef. c. 14.*

Pretium cujusque rei pro tempore eſt. *Id. ibid.*

Metus.

CAvendum eſt, ne timendo magis timere cogamur. *Cic. 2. fam. ep. 21.*

Nec quisquam amat, quos timet. *Sen. 4. de Benef. cap. 19.*

Plerique inter mortis metum, & vitæ tormenta, miſeri fluctuant, & vivere nolunt, & mori neſciunt. *Idem ep. 4.*

Circumcidenda duo ſunt, & futuri timor, & incommodi memoria. Hoc ad me jam non pertinet: illud, nondum. *Idem ibid.*

—— *Multos in ſumma pericula miſit*
Venturi timor ipſe mali. Lucan. l. 7.
Ipſa quies rerum, mundique ſilentia terrent:
Aſtraque & effuſis ſtellatis crinibus æther.
Val. Flaccus l. 2.
Prona eſt timori ſemper in pejus fides.
Sen. Herc. Fur.

Miles. Militia.

VTilius eſt fortes eſſe milites, quam grandes. *Veget. l. 1. c. 6.*

Gallorum corpora intolerantiſſima laboris atq; æſtus fluere, primaque eorum prælia plus quam virorum, poſtrema minus quam fœminarum eſſe. *Liv. l. 10. c. 28.*

Centurio omnem artem didicerit armaturæ, vigilans, ſobrius, agilis, magis ad facienda quæ ei imperantur, quam ad loquendum paratus. *Veget. l. 2. c. 14.*

Principiis obſta, ſero medicina paratur.
Cum mala per longas invaluere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas.
Ovid. 1. de Rem. Am.

MORES.

NAm ſera nunquam eſt ad bonos mores via:
Quem pœnitet peccaſſe, pæne eſt innocens.
Sen. in Agámem.

Munditiæ placeant, fuſcentur corpora Campo:
Sit bene conveniens, & ſine labe toga.
Linguaque ne rigeat; careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonſura capillos:
Sit coma, ſit docta barba reſecta manu.
Et nihil emineant, & ſint ſine ſordibus ungues:
Inque cava nullus ſtet tibi nare pilus.
Nec male odorati ſit triſtis anhelitus oris:
Nec lædant nares, virque paterque gregis.
Ovid. 1. de Arte.

MORS.

MVltas rerum natura mortis vias aperuit, & multis itineribus fata decurrunt: & hæc eſt conditio miſerrima humani generis, quod naſcimur uno modo, multis morimur: laqueus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille aliæ mortes inſidiantur huic miſerrimæ vitæ. *Sen. 3. Controv.*

Nihil melius æterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. *Id. ep. 70.*

In morte id optimum, quod illam ſibi quisque præſtare poteſt. *Plin. l. 78. c. 1.*

Pectus mortale nunquam magis divinum eſt, quam ubi mortalitatem ſuam cogitat, & ſcit in hoc

hoc natum hominem, ut vita defungeretur: nec domum hoc eſſe corpus, ſed hoſpitium, & quidem breve hoſpitium; quod relinquendum eſt, ubi te gravem eſſe hospiti videas. *Sen. ep.* 120.

Magna res eſt hæc, & diu diſcenda, cum adventat hora illa inevitabilis, æquo animo abire. *Idem epiſt.* 30.

Inter ipſa altaria, & ſolemnes ſacrificantium ritus, dum optatur vita, mortem condiſcite. *Idem de Provid. c.* 6.

Dum ſuppetit vita, enitamur, ut mors, quam pauciſſima, quæ abolere poſſit, inveniat. *Plin. l.* 2. *epiſt.* 50.

Vivere tota vita diſcendum eſt, & quod magis fortaſſe miraberis, tota vita diſcendum eſt mori. *Sen. de brev. vit. c.* 7.

Nos corpus tam putre ſortiti, nihilominus æterna proponimus, & in quantum poteſt ætas humana protendi, tantum ſpe occupamus, nulla contenti pecunia, nulla potentia. Quid hac re fieri impudentius, quid ſtultius poteſt? nihil ſatis eſt morituris, imo morientibus. *Id. ep.* 120.

Dum reſpicimus, quod ajunt, verſamusque nos, jam mortalitas aderit. *Id.* 3 *de Ira.*

Quid eſt novi, hominem mori? cujus tota vita nihil aliud, quam ad mortem iter eſt. *Idem Conſol. ad Polyb.*

Mortem nulla diligentia evitat, nulla felicitas domat, nulla potentia vincit. *Id. l.* 2. *quæſt. nat. c. ult.*

Mors omnes æque vocat. Iratis Diis propitiisque moriendum eſt. *Sen.* 2. *nat. quæſt. c.* 59.

Mortem quidem omnibus natura propoſuit, crudelitatem mortis, & dedecus, virtus propulſare ſolet. *Cic. Philip.* 4.

Quisquis aliquem queritur mortuum eſſe, queritur hominem fuiſſe. Omnes eadem conditio devinxit: cui naſci contigit, mori reſtat. *Sen. ep. 99.*

Incertum eſt, quo loco te mors exſpectet. Itaq; tu illam omni loco exſpecta. *Idem ep. 27.*

Erras, ſi in navigatione tantum exiſtimas, minimum eſſe, quo a morte vita diducitur: in omni loco æque tenue intervallum eſt. Non ubique ſe mors tam prope oſtendit, ubique tam prope eſt. *Id. ep. 49.*

Non idem univerſis finis eſt. Alium in medio curſu vita deſerit; alium in ipſo aditu relinquit; alium in extrema ſenectute fatigatum jam, & exire cupientem, vix emittit: alio quidem atq; alio tempore, omnes tamen in eundem locum tendimus. *Sen. Conſol. ad Polyb. c.* 30.

Nemo tam imperitus eſt, ut neſciat ſibi quandoque moriendum: tamen, cum prope acceſſerit, tergiverſatur, tremit, plorat. Nonne tibi videbitur ſtultiſſimus omnium, qui fleverit, quod ante mille annos non vixerat? æque ſtultus eſt, quod poſt annos mille non vivet. Hæc paria ſunt: non eris, non fuiſti. *Id. ep. 77.*

Everſis omnibus rebus, cum conſilio profici nihil poſſit, una ratio videtur, quicquid evenerit, ferre moderate: præſertim cum omnium rerum mors ſit extremum. *Cic. l. 6. ep. 21.*

Mors miſera non eſt, aditus ad mortem eſt miſer. *Quintil. l. 8. c 5.*

Epicuri dictum eſt: Meditare, utrum commodius ſit, vel mortem tranſire ad nos, vel nos ad eam. *Sen. ep.* 26.

Cum apud Xenophontem legiſſet C. Julius

Cæſar, Cyrum ultima valetudine mandaſſe quædam de funere ſuo, aſpernatus tam lentum mortis genus, ſubitam ſibi, celeremque optavit. *Sueton. in vita.*

Mors habet neceſſitatem fati: aut, ſi ante oppetenda eſt, oppetatur cum gloria. *Cic. Philip.* 12.

O mors laudanda fortibus, expetenda miſeris, non recuſanda felicibus. *Quintil. 4. declam.*

Dies iſte, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt. *Sen. ep. 102.*

Si quid obtigerit, æquo animo, paratoque moriar. Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti. *Cic. in 4. Catilin.*

Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis; & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſum, cui, quicquid patimur, intextum eſt, & ſic alloquamur Jovem, cujus gubernaculo moles iſta dirigitur, quemadmodum Cleanthes noſter, verſibus diſertiſſimis alloquitur, quos mihi in noſtrum ſermonem mutare permittitur, Ciceronis viri diſertiſſimi exemplo. Si placuerint boni conſules: ſi diſplicuerint, ſcies me in hoc ſequutum Ciceronis exemplum.

Duc me parens, celſique dominator poli,
Quocunque placuit: nulla parendi mora eſt.
Aſſum impiger; fac nolle; comitabor gemens:
Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt.
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

Sic

Sic vivamus, ſic loquamur, paratos nos inveniat atque impigros Fatum. Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit: at contra ille puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi male exiſtimat; & emendare mavult Deos, quam ſe. *Sen. ep. 107.*

Non naſci longe optimum eſt, nec in hos ſcopulos incidere vitæ: proximum autem, ſi natus ſis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugére violentiam fortunæ. *Cicero.*

Socrates dicebat, animos hominum eſſe divinos, iisque cum e corpore exceſſiſſent, aditum ad cœlum patere. *Id. de Amicit.*

Optimi cujusque animus in morte facillime evolat, tanquam e cuſtodia, vinculisque corporis. *Idem ib.*

Iniquum eſt queri de eo, quod uni accidit, & omnibus reſtat. *Sen. ep. 99.*

Non hoc præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignavo quæſitu: ſed, quæ voluerit, meminiſſe, quæ mandaverit, exſequi. *Tac. 2. An. cap. 71.*

Omnem crede diem, tibi diluxiſſe ſupremum,
Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora.
Hor. l. 1. ep. 4.

Quam varia lethi genera trahunt
Carpuntque turbam! pontus, & ferrum, & doli.
Sen. in Hipp.

Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urna: ſerius, ocyus
Sors exitura. Hor. l. 2. Od. 3.

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli juſſo ceſſare licet,

Nulli

Nulli ſcriptum proferre diem.
Recipit populos urna citatos. Sen. in Herc. Fur.
Pallida mors, æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sexti:
Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia. Horat. l. 1. Od. 4.
Ad generum Cereris, ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.
Juven. Sat. 10.
Mors & fugacem perſequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoq; tergo. Hor. l. 3. Od. 2.
—— *Mors ſola fatetur,*
Quantula ſunt hominum corpuſcula. Juv. Sat. 10.
At vobis male ſit, malæ tenebræ
Orci, omnia bella devoratis.
Catull. car. 3.
—— *Multi ad fatum*
Venere ſuum, dum fata timent.
Sen. in Oedip.
—— *Tibi mors paramur,*
Sis licet ſegnis, properamus ipſi,
Prima quæ vitam dedit hora, carpſit.
Idem in Herc. Fur.
Mors miſera non eſt, commori cum quo velis.
Idem in Agamemn.
Una tamen ſpes eſt, quæ me ſolatur in iſtis,
Hæc fore morte mea, non diuturna mala.
Ovid. l. 4. Triſt. el. 6.
Soles occidere & redire poſſunt:
Nobis, cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda. Catull. epigr. 5.
Deſi-

Deſine, Paule, meum, lachrimis urgere ſepulchrum:
Panditur ad nullas janua nigra preces.
Quum ſemel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato ſtant adamante viæ.

Propert. l. 4. Epigram.

Eripere vitam nemo non homini poteſt,
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.

Sen. in Theba.

MVLIER.

VXor Antonii Fulvia, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultuque miſcebat. *Vell. Pat. l. 2. c. 74.*

Impotens natura, & indomitum animal fœmina. *Liv. l. 34. c. 2.*

Multum loquaces merito omnes habemur, nec mutam profecto repertam ullam eſſe hodie dicunt mulierem, ullo in ſeculo. *Plaut. in Aulul.*

Imo certe novi ingenium mulierum; nolunt ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro. *Ter. in Eun.*

Mulier recte olet, ubi nihil olet. *Plaut in Moſtel.*

—— *Varium & mutabile ſemper*
Fœmina. Virg. 4. Æn.

Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus inſtruxit dolis,
Sed vim negavit, ut ne inexpugnabilis
Eſſet, ſed ægras frangeret vires timor.

Sen. in Octav.

MVTVVM.

SI quis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum. Cum jam repetas, inimicũ amicum beneficio invenis tuo. Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio; vel illud, quod credi-

crediderís, perdas, vel illum amicum amiſeris. *Plaut. in Trin.*

Præſertim, ut nunc ſunt mores, eo res rediit; ſi quis quid reddit, magna habenda eſt gratia. *Terent. in Phorm.*

Nunc ſi depoſitum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigioſa fides, & Thuscis digna tabellis,
Quæque coronata luſtrari debeat agna.
Juven. Sat. 13.

NATIVITAS.

PArentibus, & Diis immortalibus, & patriæ nos primum natura conciliat. Eodem enim tempore, & ſuſcipimur in lucem, & hoc cœleſti ſpiritu augemur, & certam in ſedem civitatis ac libertatis adſcribimur. *Cic. de harusp. resp.*

Thraciæ illa natio, merito ſibi ſapientiæ laudem vendicaverit, quæ natalem hominum flebiliter excipiebat, exequias cum hilaritate celebrans. Sine ullis doctorum præceptis, verum conditionis noſtræ habitum pervidit. *Val. Max. l. 2. c. 6.*

Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras
Quisquis ades, lingua, vir, mulierq; fave.
Vrantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener a terra divite mittit Arabs.
Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores,
Cui decorent ſanctas florea ſerta comas.
Tibul. l. 2. el. 2.

NATURA.

QVis vero opifex, præter naturam, qua nihil poteſt eſſe callidius, tantam ſolertiam perſequi potuiſſet in ſenſibus? *Cic. 2. de Nat. Deor.*

Quod enim aliud eſt natura, quam Deus, & divina

——— *Hi mores, hæc duri immota Catonis*
Secta fuit, ſervare modum, finemque tenere.
Lucan. l. 2.

Virtus eſt medium vitiorum utrinque redactum.
Horat. l. 1. Epiſt.

Sed dum volucres vincere feras
Icarus audet; patriasque puer
Deſpicit alas, Phœboque volat
Proximus, ipſe dedit ignoto
Nomina Ponto. Sen. in Oetæo.

MEMORIA.

VT excuſem tibi imbecillitatem tuam, imprimis fragilis eſt memoria, & rerum turbæ non ſufficit. Neceſſe eſt, quantum recipit, emittat, & antiquiſſima recentiſſimis obruat. *Sen. 6. de Beneſ. cap. 28.*

Quæcunque apud memoriam aut puer, aut juvenis depoſui, quaſi recentia, & modo audita ſine cunctatione profert. At ſi qua illi intra proximos annos commiſi, ſic perdidit & amiſit, ut etiam ſi ſæpius ingerantur, totiens tanquam nova audiam. *Idem in præf. controv.*

Quicquid frequens cogitatio exercet ac renovat, memoriæ nunquam ſubducitur, quæ nihil perdit, niſi ad quod non ſæpe reſpexit. *Id. 3. de Beneſ. cap. 2.*

Quædam res ſemel perceptæ hærent, quædam non eſt ſatis didiciſſe, intercidit enim eorum ſcientia, niſi continuetur. *Sen. 3. de Beneſ. c. 5.*

Vſus me genuit, mater peperit Memoria.
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.
Afranius apud Agel. l. 13. c. 8.

Mendacium.

PEſſimum humanarum mentium malum eſt, quod ſemper avidius nefanda finguntur: nec usquam ſe majus operæ pretium putant maligni facere ſermone, quam cum incredibilia quaſi deprehenſa narrantur. *Quintil. declam.18.*

O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias, facile ſe per ſeipſam defendit. *Cic. pro Cæl.*

Nullum tam impudens mendacium eſt, ut teſte careat. *Plin. l. 8. c.22.*

Tenue eſt mendacium, perlucet ſi diligenter inſpexeris. *Sen. ep. 79.*

Mendaci homini, ne verum quidem dicenti, credere ſolemus. *Cic. l.2. de Divin. c.7.*

Multis ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibusdam obtenditur, unius cujusque natura: frons, oculi, vultus, perſæpe mentiuntur, oratio vero ſæpiſſime. *Cic. ad Q. Fr. l. 1. ep. 5.*

Mendacem memorem eſſe oportet. *Liv. l.34.*

Natura ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas veri videndi. *Cic. l.1. Tuſc. c.19.*

Nihil eſt Antipho, quin male narrando poſſit depravarier. *Ter. in Phorm.*

Obſequium amicos, veritas odium parit. *Ter. in Andr.*

Quid Romæ faciam, mentiri neſcio, librum
Si malus eſt, nequeo laudare, & poſcere: motus
Aſtrorum ignoro, funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum: ranarum viſcera nunquam
Inſpexi; ferre ad nuptam quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norint alii. Juven. Sat. 3.

MENS. ANIMVS.

COgita, in te, præter animum, nihil eſſe mirabile, cui magno, nihil eſt magnum. *Sen. ep. 8.*

Neque generoſior ſpiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum mens poteſt, niſi ingenti flumine literarum inundata. *Petron. in Satyr.*

Quid intereſt inter naturam ? Noſtri melior pars animus eſt : in illo nulla pars extra animum. Totus ratio eſt. *Sen. præf. l. 1. nat. quæſt.*

Noſtra omnis vis in animo & corpore ſita eſt. Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur : alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune eſt. *Salluſt. Catil. c. 1.*

Humanus animus decerptus ex mente divina, cum nullo alio, niſi cum ipſo Deo, ſi hoc fas eſt dictu, comparari poteſt. *Cic. 5. Tuſc. c. 13.*

Dux atque imperator vitæ mortalium, animus eſt. *Salluſt. Jugurth. c. 1.*

Animo nihil non eodem quo intendit momento, pervium eſt; ſideribus velocior, quorum poſt multa ſecula futuros curſus antecedit. *Sen. 2. de Benef. c. 29.*

Conſcia mens, ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemque metumque ſuo.

Ovid. l. 1. Faſt.

MERCATVRA.

MErcatorem ſtrenuum ſtudioſumq; rei quærendæ exiſtimo : verum periculoſum & calamitoſum. *Cato de R. R. in pr.*

Emere, ut mox vendas, ſordidum eſt. *Cic. 2. Offic. c. 42.*

Man-

Mangones quicquid eſt quod diſplicet, aliquo lenocinio abſcondunt. *Sen. ep. 80.*

Mercator non cogitat quantum auxilii allaturus mihi, ſed quantum lucrum ſibi. *Sen. 6. de Benef. c. 14.*

Pretium cujusque rei pro tempore eſt. *Id. ibid.*

Metus.

Cavendum eſt, ne timendo magis timere cogamur. *Cic. 2. fam. ep. 21.*

Nec quisquam amat, quos timet. *Sen. 4. de Benef. cap. 19.*

Plerique inter mortis metum, & vitæ tormenta, miſeri fluctuant, & vivere nolunt, & mori neſciunt. *Idem ep. 4.*

Circumcidenda duo ſunt, & futuri timor, & incommodi memoria. Hoc ad me jam non pertinet: illud, nondum. *Idem ibid.*

—— *Multos in ſumma pericula miſit*
Venturi timor ipſe mali. Lucan. l. 7.

Ipſa quies rerum, mundique ſilentia terrent:
Aſtraque & effuſis ſtellatis crinibus æther.
Val. Flaccus l. 2.

Prona eſt timori ſemper in pejus fides.
Sen. Herc. Fur.

Miles. Militia.

Utilius eſt fortes eſſe milites, quam grandes. *Veget. l. 1. c. 6.*

Gallorum corpora intolerantiſſima laboris atq; æſtus fluere, primaque eorum prælia plus quam virorum, poſtrema minus quam fœminarum eſſe. *Liv. l. 10. c. 28.*

Centurio omnem artem didicerit armaturæ, vigilans, ſobrius, agilis, magis ad facienda quæ ei imperantur, quam ad loquendum paratus. *Veget. l. 2. c. 14.*

Nulla fides pietasque viris, qui caſtra ſequuntur,
Venalesque manus : ibi fas, ubi maxima merces.
Lucan. l. 10.

MISERIA.

MAgis Deos miſeri, quam beati colunt. *Sen. epiſt.8.*

Sed quis in adverſis beneficiorum ſervat memoriam? aut quis ullam calamitoſis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? *Vellej. Pat. l.2.c. 53.*

Eſt autem hoc ipſum ſolatii loco, inter multos dolorem ſuum dividere: qui quia diſpenſatur inter plura, exigua debet apud te parte ſubſidere. *Sen. ad Polyb.*

Quemcunque miſerum videris, hominem ſcias.
Sen. in Herc. Fur.

Nunquam eſt ille miſer, cui facile eſt mori,
Id. in Hercul. Oet.

Quod nimis miſeri volunt,
Hoc facile credunt. Id. in Hercul. Fur.
Proprium hoc miſeros ſequitur vitium,
Nunquam rebus credere lætis.
Rideat felix fortuna licet,
Tamen afflictos gaudere piget. Id. in Thyeſte.
Dulce mœrenti populus dolentûm
Dulce lamentis reſonare gentes.
Lentius luctus lacrimæque mordent,
Turba quas fletu ſimili frequentat.
Ferre quam ſortem patiuntur omnes,
Nemo recuſat. Id. in Troade.

MISERICORDIA.

NVlla de virtutibus tuis plurimis, nec gratior nec admirabilior miſericordia eſt. Homines enim

enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam ſalute hominibus danda. *Cic. de Cæſare, in orat. pro Ligario.*

—— Tantum miſerere, preceſque
Supplicis exaudi, tibi enim ſuccumbimus uni.

Ovid. l. 13, Metam.

—— Pedibus admoveor tuis,
Miſerere matris, & preces placidus pias,
Patienſque recipe, quoque te celſum altius
Superi levarunt, mitius lapſos preme.

Sen. in Troade.

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Virg. l. 1. Æn.

MORA.

SCelera impetu; bona conſilia mora valeſcunt. *Tac. 1. Hiſt. c. 32.*

Mora, lentum præcipitis mali remedium. *Sen. 3. de Ira c. 1.*

Plerunque ſera pro nullis ſunt. *Quintil. decl. 12.*

Serum eſt cavendi tempus, in mediis malis.

Sen. in Thyeſte.

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.

Lucan. l. 2. bel. civ.

Quod ratio nequit, ſæpe ſanavit mora.

Sen. in Agamem.

Longa mora eſt nobis omnis, quæ gaudia differt:
Da veniam faſſæ, non patienter amo.

Ovid. Ep. 18. Heroid.

Omniſque nimium longa properanti mora eſt.

Sen. in Agmem.

Differ, habent parvæ commoda magna moræ.

Ovid. l. 3. Faſtor.

Principiis obſta, ſero medicina paratur.
Cum mala per longas invaluere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas.
Ovid. 1. de Rem. Am.

MORES.

NAm ſera nunquam eſt ad bonos mores via:
Quem pœnitet peccaſſe, pæne eſt innocens.
Sen. in Agamem.

Munditiæ placeant, fuſcentur corpora Campo:
Sit bene conveniens, & ſine labe toga.
Linguaque ne rigeat; careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonſura capillos:
Sit coma, ſit docta barba reſecta manu.
Et nihil emineant, & ſint ſine ſordibus ungues:
Inque cava nullus ſtet tibi nare pilus.
Nec male odorati ſit triſtis anhelitus oris:
Nec lædant nares, virque paterque gregis.
Ovid. 1. de Arte.

MORS.

MVltas rerum natura mortis vias aperuit, & multis itineribus fata decurrunt: & hæc eſt conditio miſerrima humani generis, quod naſcimur uno modo, multis morimur: laqueus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille aliæ mortes inſidiantur huic miſerrimæ vitæ. *Sen. 3. Controv.*

Nihil melius æterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. *Id. ep. 70.*

In morte id optimum, quod illam ſibi quiſque præſtare poteſt. *Plin. l. 78. c. 1.*

Pectus mortale nunquam magis divinum eſt, quam ubi mortalitatem ſuam cogitat, & ſcit in

hoc

hoc natum hominem, ut vita defungeretur: nec domum hoc eſſe corpus, ſed hoſpitium, & quidem breve hoſpitium; quod relinquendum eſt, ubi te gravem eſſe hospiti videas. *Sen. ep.* 120.

Magna res eſt hæc, & diu diſcenda, cum adventat hora illa inevitabilis, æquo animo abire. *Idem epiſt.* 30.

Inter ipſa altaria, & ſolemnes ſacrificantium ritus, dum optatur vita, mortem condiſcite. *Idem de Provid. c.* 6.

Dum ſuppetit vita, enitamur, ut mors, quam pauciſſima, quæ abolere poſſit, inveniat. *Plin. l.* 2. *epiſt.* 50.

Vivere tota vita diſcendum eſt, & quod magis fortaſſe miraberis, tota vita diſcendum eſt mori. *Sen. de brev. vit. c.* 7.

Nos corpus tam putre ſortiti, nihilominus æterna proponimus, & in quantum poteſt ætas humana protendi, tantum ſpe occupamus, nulla contenti pecunia, nulla potentia. Quid hac re fieri impudentius, quid ſtultius poteſt? nihil ſatis eſt morituris, imo morientibus. *Id. ep.* 120.

Dum reſpicimus, quod ajunt, verſamusque nos, jam mortalitas aderit. *Id.* 3 *de Ira.*

Quid eſt novi, hominem mori? cujus tota vita nihil aliud, quam ad mortem iter eſt. *Idem Conſol. ad Polyb.*

Mortem nulla diligentia evitat, nulla felicitas domat, nulla potentia vincit. *Id. l.* 2. *quæſt. nat. c. ult.*

Mors omnes æque vocat. Iratis Diis propitiisque moriendum eſt. *Sen.* 2. *nat. quæſt. c.* 59.

Mortem quidem omnibus natura propoſuit, crudelitatem mortis, & dedecus, virtus propulſare ſolet. *Cic. Philip.* 4.

Quiſquis aliquem queritur mortuum eſſe, queritur hominem fuiſſe. Omnes eadem conditio devinxit: cui naſci contigit, mori reſtat. *Sen. ep. 99.*

Incertum eſt, quo loco te mors exſpectet. Itaq; tu illam omni loco exſpecta. *Idem ep. 27.*

Erras, ſi in navigatione tantum exiſtimas, minimum eſſe, quo a morte vita diducitur: in omni loco æque tenue intervallum eſt. Non ubique ſe mors tam prope oſtendit, ubique tam prope eſt. *Id. ep. 49.*

Non idem univerſis finis eſt. Alium in medio curſu vita deſerit; alium in ipſo aditu relinquit; alium in extrema ſenectute fatigatum jam, & exire cupientem, vix emittit: alio quidem atq; alio tempore, omnes tamen in eundem locum tendimus. *Sen. Conſol. ad Polyb. c.* 30.

Nemo tam imperitus eſt, ut neſciat ſibi quandoque moriendum: tamen, cum prope acceſſerit, tergiverſatur, tremit, plorat. Nonne tibi videbitur ſtultiſſimus omnium, qui fleverit, quod ante mille annos non vixerat? æque ſtultus eſt, quod poſt annos mille non vivet. Hæc paria ſunt: non eris, non fuiſti. *Id. ep. 77.*

Everſis omnibus rebus, cum conſilio proficiin nihil poſſit, una ratio videtur, quicquid evenerit, ferre moderate: præſertim cum omnium rerum mors ſit extremum. *Cic. l. 6. ep. 21.*

Mors miſera non eſt, aditus ad mortem eſt miſer. *Quintil. l. 8. c 5.*

Epicuri dictum eſt: Meditare, utrum commodius ſit, vel mortem tranſire ad nos, vel nos ad eam. *Sen. ep.* 26.

Cum apud Xenophontem legiſſet C. Julius Cæſar

Cæſar, Cyrum ultima valetudine mandaſſe quædam de funere ſuo, aſpernatus tam lentum mortis genus, ſubitam ſibi, celeremque optavit. *Sueton. in vita.*

Mors habet neceſſitatem fati: aut, ſi ante oppetenda eſt, oppetatur cum gloria. *Cic. Philip.* 12.

O mors laudanda fortibus, expetenda miſeris, non recuſanda felicibus. *Quintil. 4. declam*

Dies iſte, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt. *Sen. ep. 102.*

Si quid obtigerit, æquo animo, paratoque moriar. Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti. *Cic. in 4. Catilin.*

Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis; & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſum, cui, quicquid patimur, intextum eſt, & ſic alloquamur Jovem, cujus gubernaculo moles iſta dirigitur, quemadmodum Cleanthes noſter, verſibus diſertiſſimis alloquitur, quos mihi in noſtrum ſermonem mutare permittitur, Ciceronis viri diſertiſſimi exemplo. Si placuerint boni conſules: ſi diſplicuerint, ſcies me in hoc ſequutum Ciceronis exemplum.

Duc me parens, celſique dominator poli,
Quocunque placuit: nulla parendi mora eſt.
Aſſum impiger; fac nolle; comitabor gemens:
Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt.
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

Sic

Sic vivamus, ſic loquamur, paratos nos inveniat atque impigros Fatum. Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit: at contra ille puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi male exiſtimat; & emendare mavult Deos, quam ſe. *Sen. ep. 107.*

Non naſci longe optimum eſt, nec in hos ſcopulos incidere vitæ: proximum autem, ſi natus ſis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugére violentiam fortunæ. *Cicero.*

Socrates dicebat, animos hominum eſſe divinos, iisque cum e corpore exceſſiſſent, aditum ad cœlum patere. *Id. de Amicit.*

Optimi cujusque animus in morte facillime evolat, tanquam e cuſtodia, vinculisque corporis. *Idem ib.*

Iniquum eſt queri de eo, quod uni accidit, & omnibus reſtat. *Sen. ep. 99.*

Non hoc præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignavo quæſitu: ſed, quæ voluerit, meminiſſe, quæ mandaverit, exſequi. *Tac. 2. An. cap. 71.*

Omnem crede diem, tibi diluxiſſe ſupremum,
Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora.
Hor. l. 1. ep. 4.

Quam varia lethi genera trahunt
Carpuntque turbam! pontus, & ferrum, & doli.
Sen. in Hipp.

Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urna: ſerius, ocyus
Sors exitura. Hor. l. 2. Od. 3.

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli juſſo ceſſare licet,

Nulli

Nulli ſcriptum proferre diem.
Recipit populos urna citatos. Sen. in Herc. Fur.
Pallida mors, æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sexti:
Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia. Horat. l. 1. Od. 4.
Ad generum Cereris, ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.
Juven. Sat. 10.
Mors & fugacem perſequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoq; tergo. Hor. l. 3. Od. 2.
—— *Mors ſola fatetur,*
Quantula ſunt hominum corpuſcula. Juv. Sat. 10.
At vobis male ſit, malæ tenebræ
Orci, omnia bella devoratis.
Catull. car. 3.
—— *Multi ad fatum*
Venere ſuum, dum fata timent.
Sen. in Oedip.
—— *Tibi mors paramur,*
Sis licet ſegnis, properamus ipſi,
Prima quæ vitam dedit hora, carpſit.
Idem in Herc. Fur.
Mors miſera non eſt, commori cum quo velis.
Idem in Agamemn.
Vna tamen ſpes eſt, quæ me ſolatur in iſtis,
Hæc fore morte mea, non diuturna mala.
Ovid. l. 4. Triſt. el. 6.
Soles occidere & redire poſſunt:
Nobis, cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda. Catull. epigr. 5.

Deſi-

Deſine, Paule, meum, lachrimis urgere ſepulchrum:
Panditur ad nullas janua nigra preces.
Quum ſemel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato ſtant adamante viæ.

Propert. l. 4. Epigram.

Eripere vitam nemo non homini poteſt,
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.

Sen. in Theba.

MULIER.

VXor Antonii Fulvia, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultuque miſcebat. *Vell. Pat. l. 2. c. 74.*

Impotens natura, & indomitum animal fœmina. *Liv. l. 34. c. 2.*

Multum loquaces merito omnes habemur, nec mutam profecto repertam ullam eſſe hodie dicunt mulierem, ullo in ſeculo. *Plaut. in Aulul.*

Imo certe novi ingenium mulierum; nolunt ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro. *Ter. in Eun.*

Mulier recte olet, ubi nihil olet. *Plaut in Moſtel.*

—— *Varium & mutabile ſemper*
Fœmina. Virg. 4. Æn.

Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus inſtruxit dolis,
Sed vim negavit, ut ne inexpugnabilis
Eſſet, ſed ægras frangeret vires timor.

Sen. in Octav.

MUTUUM.

SI quis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum. Cum jam repetas, inimicũ amicum beneficio invenis tuo. Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio: vel illud, quod credi-

crediderit, perdas, vel illum amicum amiſeris. *Plaut. in Trin.*

Præſertim, ut nunc ſunt mores, eo res rediit; ſi quis quid reddit, magna habenda eſt gratia. *Terent. in Phorm.*

Nunc ſi depoſitum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigioſa fides, & Thuſcis digna tabellis,
Quæque coronata luſtrari debeat agna.

Juven. Sat. 13.

NATIVITAS.

PArentibus, & Diis immortalibus, & patriæ nos primum natura conciliat. Eodem enim tempore, & ſuſcipimur in lucem, & hoc cœleſti ſpiritu augemur, & certam in ſedem civitatis ac libertatis adſcribimur. *Cic. de harusp. resp.*

Thraciæ illa natio, merito ſibi ſapientiæ laudem vendicaverit, quæ natalem hominum flebiliter excipiebat, exequias cum hilaritate celebrans. Sine ullis doctorum præceptis, verum conditionis noſtræ habitum pervidit. *Val. Max. l. 2. c. 6.*

Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras
Quisquis ades, lingua, vir, mulierq; fave.
Vrantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener a terra divite mittit Arabs.
Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores,
Cui decorent ſanctas florea ſerta comas.

Tibul. l. 2. el. 2.

NATURA.

QVis vero opifex, præter naturam, qua nihil poteſt eſſe callidius, tantam ſolertiam perſequi potuiſſet in ſenſibus? *Cic. 2. de Nat. Deor.*

Quod enim aliud eſt natura, quam Deus, & divina

vina ratio, toti mundo, & partibus ejus inſerta. *Sen. 4. de Benef. c. 7.*

Vis Jovem naturam vocare? non peccabis. Eſt enim ex quo nata ſunt omnia, cujus ſpiritu vivimus. *Id. 2. Nat. Quæſt. c. 45.*

In contemplatione naturæ, nihil poſſit videri ſupervacuum. *Plin. l. 11. c. 2.*

Ergo naturam unam & comunem omnium exiſtimo: ſed fortisſimum quemq; generoſiſſimum eſſe. *Marius apud Salluſt. in Jugurth.*

Nec illud præcipio, ut aliquid naturæ neges: contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit. *Sen. Epiſt. 119.*

Nihil parens illa rerum omnium ſine ingentibus cauſis genuit. *Idem l. 29. c. 4.*

Non enim dat natura virtutem; ars eſt bonum fieri. *Sen. ep. 90.*

Naturam expellas furca: tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim veſtigia victrix.
Hor. l. 1. ep. 10.

Nec ſpecies ſua cuiq; manet, rerumq; novatrix
Ex aliis alias reparat natura figuras.
Ovid. l. 15. Metam.

Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicet.
Juven. Sat. 14.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem,
Teſta diu. Horat. l. 1. Epiſt.

—— *Tamen ad mores natura recurrit*
Damnatos, fixa & mutari neſcia. Juven. Sat. 13.

NAVIGATIO.

HOminis non ſapientis inventa ſunt navigia, quibus amnes, quibusq; maria tranſimus, aptatis ad excipiendum ventorum impetum velis,

lis,& additis a tergo gubernaculis, quæ huc atq; illuc curſum navigii torqueant:& exemplum a piſcibus tractum eſt,qui cauda reguntur,& levi ejus in utrumq; momento, velocitatem ſuam flectunt. *Sen. Epiſt. 90.*

Negotii ſibi qui volet vim parare, navem & mulierem hæc duo comparato. Nam nullæ magis res duæ plus negotii habent,ſorte ſi acceperis exornare. Neque unquam ſatis hæ duæ res ornantur,neque eis ulla ornandi ſatis ſatietas eſt. *Plaut. in Pœn.*

O fortunate, neſcis quid mali præterieris, qui nunquam es ingreſſus mare. *Ter. in Hec.*

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat,qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus,nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſtes Hyadas,nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Adriæ
Major,tollere ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum,&
Infames ſcopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abſcidit
Prudens,oceano diſſociabili
Terras,ſi tamen impia
Non tangenda rates tranſiliunt vada.

Hor. l. 1. Carm. Od. 3.

Ah,pereat,quicunque rates & vela paravit
Primus,& invito gurgite fecit iter.

Propert. l. 1. el. 17.

Mm *Inunc*

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confiſus ligno, digitis a morte remotus
Quattuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.
Juven. Sat. 12.
Franguntur remi, tum prora avertit, & undis
Dat latus, inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi ſummo in fluctu pendent. Virg. 1. Æn.
Et mea cymba ſemel vaſta percuſſa procella,
Illum, quo læſa eſt, horret adire locum.
Ovid. 1. Triſt. el. 1.
Audax nimium qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque ſuas poſt terga videns,
Animam levibus credidit auris.
Dubioque ſecans æquora curſu,
Potuit tenui fidere ligno
Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto. Sen. in Medea.

NECESSITAS.

NEceſſitas enim quædam virtutis eſt deſperatio. *Veget. l. 4. c. 25.*

Subeatur ergo iſta quantacunque eſt indignitas, & pareatur neceſſitati, quam ne Dii quidem ſuperant. *Liv. l. 9. c. 4,*

Neceſſitas eſt, quæ navigia jactu exonerat; neceſſitas eſt, quæ ruinis incendia opprimit; neceſſitas eſt lex temporis. *Seneca.*

Multum contra juſtitiam neceſſitas valet. *Quintil. declam. 260.*

Vis malorum etiam feras omnia experiri cogit. *Plin. l. 8. c. 16.*

Et metus hinc abſit: cupias, quodcunque neceſſe eſt.
Lucan. l. 4.

NOMI-

Nomina Rerum.

AN hoc dubium eſt, quin neque verborum tanta copia ſit, non modo in noſtra lingua, quæ dicitur eſſe inops, ſed ne in alia quidem ulla, res ut omnes ſuis certis ac propriis vocabulis nominentur? *Cic. pro Cæcin.*

Multis inventis nomina deſunt. *Plin. l. 25. c. 2.*

Jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amiſimus: quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur. *Salluſt. in Catil. c. 51.*

Mihi crede, falſis magna nominibus placent.
Sen. in Thyeſte.

Notitia Sui Ipsius.

PHiloſophia una nos, cum cæteras res omnes, tum quod eſt difficillimum, docuit, ut noſmetipſos noſceremus: cujus præcepti tanta vis eſt, tanta ſcientia eſt, ut ea non homini cuipiam, ſed Delphico Deo tribueretur. *Cic. 1. de Leg. c. 22.*

Illud γνῶθι σεαυτὸν noli putare ad arrogantiam minuendam ſolum eſſe dictum, verum etiam ut bona noſtra norimus. *Id. ad Q. Fr.*

Nimirum idem omnes fallimur, neque eſt quisquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Poſſis. Suus cuique attributus eſt error.
Sed, non videmus manticæ quod in tergo eſt.
Catul. epigr. 22.

—— *E cœlo deſcendit* γνῶθι σεαυτόν,
Figendum, & memori tractandum pectore, ſive
Conjugium quæras, vel ſacri in parte Senatus
Eſſe velis. Juven. Sat. 11.

NOVITAS.

NEmo eo usque tardus & hebes & demiſſus in terram eſt, ut ad divina non erigatur, ac tota mente conſurgat: utiq; ubi novum aliquod e cœlo miraculum fulſit. Nam, quamdiu ſolita decurrunt, magnitudinem rerum conſuetudo ſubducit. Ita enim compoſiti ſumus, ut nos quotidiana, etiamſi admiratione digna ſunt, tranſeant: contra, minimarum quoque rerum, ſi inſolitæ prodierunt, ſpectaculum fiat dulce. *Sen. 7. nat. quæſt. c. 1.*

Eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum.

Ovid. l. 3. de Ponto.

NUTRIX.

IN omni domo nudi ac ſordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excreſcunt Germani. Sua quemq; mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac ſervum nullis educationis deliciis dignoſcas. *Tacit. de mor.*

Natum de ſe continuo impatientius complexa, quam reliquæ parentes, non in nutrices, nec in miniſteria ſepoſuit: ſuis aluit uberibus, ſuo fovit amplexu. *Quintil. decl. 18.*

OBLIVIO.

AVferat omnia irrita oblivio, ſi poteſt: ſi non, utcunque ſilentium tegat. *Liv. l. 28.*

Dediſcit animus ſero, quod didicit diu.

Sen. in Troade.

Non ego, ſi biberes ſecuræ pocula lethes,
Excidere hæc credam pectore poſſe tuo.

Ovid. l. 2. de Ponto.

OBSCOENITAS.

LOnge recedendum ab omni obſcœnitate & verborũ & ſenſuum. Quædam ſatius eſt cauſæ detri-

detrimento tacere, quam verecundiæ, dicere. *Sen. l. 1. controv. 2.*

OBSIDIO.

SCiendum eſt, obſidendi duas eſſe ſpecies. Vnam, cum adverſarius opportunis locis, præſidiis ordinatis, continuis inſultibus impugnat obſeſſos. Alteram, cum vel aqua prohibet incluſos, vel deditionem ſperat a fame, quando omnes prohibuerit commeatus. Hoc enim conſilio, ipſe otioſus ac tutus, fatigat inimicum. *Veget. l. 4. c. 7.*

OCCASIO.

VIrtus eſt, ubi occaſio admonet, diſpicere. *Plaut. in Perſa.*

In tempore ad eam veni, quod rerum omnium eſt primum. *Ter. Heaut.*

Non tam præſentis, ſed vigilantis eſt, occaſionem obſervare properantem. Itaq; hanc circumſpice, hanc ſi videris, prende. *Sen. ep. 22.*

Hoc certe delinquis, quod non exſpectas ſuum cujusq; rei tempus: quod, æque peccat, qui non ſequitur, quam qui antecedit. *Id. 6. de Benef. c. 40.*

Rem tibi quam noſces aptam dimittere noli:
Fronte capillata eſt, poſt hæc occaſio calva.

Dion. Cato l. 2. Diſt.

Aditum nocendi perfido præſtat dies.

Sen. in Oedip.

OTIVM.

DAnda eſt remiſſio animis: meliores acrioresq; requieti ſurgent. Vt fertilibus agris non eſt imperandum, cito enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus, aſſiduus labor frangit. Vires recipient paulum reſoluti, & remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate labo-

rum, animorum hebetatio quædam & languor. *Sen. de Tranquil. an. c. ult.*

Omnibus quidem prodeſt ſubinde animum relaxare. Excitatur enim otio vigor: & omnis triſtitia, quæ continuatione pertinacis ſtudii adducitur, feriarum hilaritate diſcutitur. *Sen. præf. l. 1. controv.*

Otia corpus alunt, animus quoq; paſcitur illis,
Immodicus contra carpit utrumque labor.

Ovid. 1. de Ponto el. 5.

—— Vires inſtigat, alitque,
Tempeſtiva quies. Major poſt otia virtus.

Stat. l. 4. Sylv.

Sunt etiam Muſis ſua ludicra, miſta Camœnis
Otia ſunt, mellite Nepos, nec ſemper acerbi
Exercet pueros vox imperioſa Magiſtri.
Sed requies, ſtudiique vices, rata tempora ſervant,
Et ceſſare licet. Grajo Schola nomine dicta eſt,
Juſta laboriferis tribuantur ut otia Muſis.

Auſon. Idyll. 4.

Otio qui neſcit uti, plus negotii habet,
Quam cum negotium in negotio.
Nam, cui quod agat, inſtitutum eſt, nullo negotio
Id agit, ſtudet ibi, mentem atq; animum delectat ſuum.
Otioſo in otio animus neſcit, quid velit.
Hoc idem eſt, neque domi nunc nos nec militiæ ſumus.
Imus huc, hinc illuc: cum illuc ventũ eſt, ire illuc lubet.
Incerte errat animus, præter propter vitam vivitur.

Ennius apud Agel. l. 19. c. 10.

Otium Catulle tibi moleſtum eſt,
Otio exultas nimiumq; geſtis.
Otium Reges prius, & beatas
Perdidit urbes. Catullus.

Cer-

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Vt capiant vitium, ni moveantur aquæ.
Ovid l.1. de Ponto.

OCVLI.

TEnuibus multisque membranis oculos natura compoſuit, calliofis contra frigora caloresq; in extremo tunicis, quas ſubinde purificant lacrimationum ſalivis, lubricos propter incurſantia, & mobiles. *Plin. l.10. H. N. c. 37.*

Senſus interpretes ac nuncii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad uſus neceſſarios, & facti & collocati ſunt. Nam oculi tanquam ſpeculatores, altiſſimum locum obtinent: ex quo plurima conſpicientes, funguntur ſuo munere. *Cic. 2. de Nat. Deor. c. 56.*

Oculi pars corporis pretioſiſſima. *Plin. l. 11. c. 37.*

Nihil acie noſtra fallacius, non tantum in his a quibus ſubtiliter pervidendis, illam colorum diverſitas ſubmovet, ſed & in his quoque, quæ ad manum cernit. Remus integer, in tenui aqua, fracti ſpeciem reddit. *Sen. 1. Nat. quæſt. c. 3.*

Etſi quocunq; in loco quisq; eſt, idem eſt ei ſenſus & eadem acerbitas, ex interitu rerum & publicarum, & ſuarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec avertere a miſeriis cogitationem ſinunt. *Cic. l. 6. ep. 1.*

Qui legente alio ediſcit, in parte tardatur, quod acrior eſt oculorum, quam aurium ſenſus. *Quintil. l. 11. c. 2.*

Oculorum, inquit Plato, eſt in nobis ſenſus acerrimus, quibus ſapientiam non cernimus: quam illa ardenteis amores excitaret ſui, ſi videretur. *Cic. 2. de Fin. c. 16.*

Tiberius Cæſar facie fuit honeſta, in qua tamen crebri & ſubtiles tumores, cum prægrandibus oculis, & qui, quod mirum eſſet, noctu etiam, & in tenebris viderent, ſed ad breve: & cum primum a ſomno patuiſſent, demum rurſum hebeſcebant. *Sueton. in vita.*

Oculos natura nobis, ut equo & leoni ſetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. *Cic, 3. de Orat c. 59.*

Dentium, oculorum, aurium dolor, ob hoc ipſum acutiſſimus eſt, quod inter anguſta corporis naſcitur. *Sen. Ep. 78.*

Areopagitæ damnaverunt puerum, coturnicum oculos eruentem; nihil aliud judicantes, quam id ſignum eſſe pernicioſiſſimæ mentis, multisque male futuræ, ſi adoleviſſet. *Quintil. 5. Inſtit. c. 9.*

Confuſis oculis proſunt virentia, & quibusdam coloribus infirma acies acquieſcit, quorundam ſplendore præſtringitur. *Sen. 3. de Ira c. 9.*

Viſus oculorum, medicamentis acui ſolet & repurgari. *Sen. Ep. 115.*

Traditum eſt Homerum cæcum fuiſſe. At, ejus picturam, nō poëſin videmus. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ ſpecies formæ, quæ pugna, acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus eſt, ut, quæ ipſa non viderit, nos ut videremus effecerit? *Cic. 5. Tuſc.*

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem. Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane ſciunt. *Plaut. in Trucul.*

Democritum Philoſophum in monumentis hiſtoriæ Græcæ ſcriptum eſt, virum præter alios venerandum, autoritateq; antiqua præditum, luminibns

bus oculorum ſua ſponte ſe privaſſe, quia exiſtimaret, cogitationes, commentationesque animi ſui, in contemplandis naturæ rationibus, vegetiores & exactiores fore, ſi eas videndi illecebris, & oculorum impedimentis liberaſſet. *Agel.l.10.c.17.*

Dum ſpectant læſos oculi, læduntur & ipſi,
Multaque corporibus tranſitione nocent.

Ovid.l. 2. de Remed. amor.

—— *Quæque ipſe miſerrima vidi,*
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Temperet a lacrimis? Æneas apud Virg.l. 2. Æn.

Segnius irritant animos, demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator. Horat. in Arte.

ODIUM.

ITa ingenium meum eſt, inimicos ſemper oſa ſum obtuerier. *Alcmena apud Plaut.in Amphitr.*

Semper odiorum honeſtus occaſus eſt, & dum ſimultates nihil aliud habent, quam nocendi cupiditatem, ſpecioſa in melius animi mutatio eſt. *Quintil. declam.9.*

Odiorum cauſæ acriores, quia iniquæ. *Tacit. 1. Annal. c.33.*

An ullum ſupplicium gravius exiſtimas, publico odio? *Sen. 3. de Benef. c. 17*

OMEN.

OMinum obſervatio contactu aliquo religionis innexa eſt: quoniam non fortuito motu, ſed divina providentia conſtare creduntur. *Valer. Max. l. 1. c. 5.*

Neque ſolum Deorum voces Pythagorei obſervaverunt, ſed etiam hominum, quæ vocant, omina. Quæ, majores noſtri, quia valere cenſebant,

idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque eſſet, præfabantur. *Cic. 1. de Divinat. c. 45.*

Auſpicia quædam & omina, pro certiſſimis obſervabat Auguſtus. Si mane ſibi calceus perperam, ac ſiniſter pro dextro induceretur, ut dirum: ſi terra marive ingrediente ſe longinquam profectionem, forte roraſſet, ut lætum, maturique & proſperi reditus. *Sueton. in vita.*

L. Paulus Conſul iterum cum ei bellum, ut cum Rege Perſa gereret, obtigiſſet, ut ea ipſa die domum ad veſperam rediit, filiolam ſuam Tertiam, quæ tum erat admodum parva, oſculans, animadvertit triſticulam. Quid eſt inquit, mea Tertia, quid triſtis es? Mi pater, inquit, Perſa periit. Tum ille arctius puellam complexus, accipio omen, inquit, mea filia. Erat autem mortua catella eo nomine. *Cic. 1. de Divinat. c. 46.*

Ergo mirabar, quod dudum ſcapulæ geſtibant mihi, hariolari quæ occœperunt, ſibi eſſe in mundo malum. *Plaut. in Aſin.*

O quoties ingreſſus iter, mihi triſtia dixi,
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem.

Tibul. l. 1. el. 3.

ORDO.

ORdo eſt maxime, qui memoriæ lumen affert. *Cic. 2. de Orat. c. 86.*

Quis dubitet nihil eſſe pulchrius in omni ratione vitæ, diſpoſitione atque ordine? *Idem apud Columel l. 12. R. R. c. 2.*

OSCULUM.

NEc Numidæ Reges vituperandi, qui more gentis ſuæ nulli, mortalium oſculum ferebant.

bant. Quicquid enim in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe convenit. *Val. Max. l. 2. c. 6.*

Atticæ, quoniam (quod optimum in pueris eſt) hilarula eſt, meis verbis ſuavium des. *Cic. ad At. l. 16. ep. 11.*

Sine te exorem, ſine te prendam auriculis, ſine dem ſuavium. *Plaut. in Pœn.*

In oculis animus inhabitat: hos cum oſculamur, animum ipſum videmur attingere. *Plin. l. 11. c. 37.*

Quid P. Mænius? quam ſeverum pudicitiæ cuſtodem egit? In libertum namque, gratum admodum ſibi animadvertit, qui eum nubilis jam ætatis filiæ ſuæ oſculum dediſſe cognoverat: cum præſertim non libidine, ſed errore lapſus videri poſſet. Cæterum amaritudine pœnæ, teneris adhuc puellæ ſenſibus, caſtitatis diſciplinam ingenerari magni æſtimavit: eique tam triſti exemplo præcepit, ut non ſolum virginitatem illibatam, ſed etiam oſcula ad virum ſincera proferret. *Val. Max. l. 6. c. 1.*

Baſia me capiunt, blandas imitata columbas.
Martial. l. 11. epigr. 105.

—— *Natusq; parenti*
Oſcula comprenſis auribus eripiet.
Tibul. l. 2. el. 5.

Olli ſubridens hominum ſator atq; Deorum
Oſcula libavit natæ. Virg. l. 1. Æn.

Non ego ſi merui, dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus.
Tibul. l. 1. el. 2.

Dul-

——— *Dulces ocurrent oſcula nati*
Præripere, & tacita pectus dulcedine tangent.
Lucret. l. 3.

PARSIMONIA.

PArſimonia eſt ſcientia vitandi ſumtus ſupervacuos : aut ars, re familiari utendi. *Sen. de Benef. c. 34.*

Tiberius Cæſar, ut parſimoniam publicam exemplo quoque juvaret, ſolemnibus ipſe cœnis pridiana ſæpe ac ſemeſa obſonia appoſuit, dimidiatumque aprum; affirmans, omnia eadem habere, quæ totum. *Sueton. in vita.*

Optimum & in privatis familiis, & in Repub. duco eſſe parſimoniam. *Cic. 4. de Rep. apud Nonium.*

O Dii immortales, non intelligunt homines, quam magnum vectigal ſit parſimonia. *Cic. in Parad. ult.*

Feſto die ſi quid prodegeris, profeſto egere liceat, niſi peperceris. *Plaut in Aulul.*

Divitiæ grandes homini ſunt vivere parce
Æquo animo. Lucret. l. 5. de Nat. rer.

PARENTES.

Θεὺς τίμα, γονέας αἰδοῦ. Deos honora, parentes reverere. *Solon apud Laërt. l. 1.*

Nulla vi verborum, nulla ingenii facultate exprimi poteſt, quantum opus ſit, quam laudabile, quamque nunquam a memoria hominum exiturum, poſſe hoc dicere: Parentibus meis parui, ceſſi imperio eorum, ſive æquum ſive iniquum fuit, obſequentem ſubmiſſumque me præbui. Ad hoc unum contumax fui, ut beneficiis vincerer. *Sen. 3. de Benef. c. ult.*

Hic

Hic ſolus major affectus eſt quam filios amare, filii miſereri. *Quintil declam.* 5.

Parentes objurgare liberos nonnunquam blande, nonnunquam minaciter ſolent, aliquando admonere etiam verberibus. Nunquid aliquis ſanus filium ad primam offenſam exheredat? niſi magnæ & multæ injuriæ patientiam evicerint, niſi plus eſt, quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium ſtylum. *Sen.* 1. *de Clem. c.* 14.

Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium, ſua ſponte recte facere, quam alieno metu. Hoc pater ac dominus intereſt: hoc qui nequit, fateatur ſe neſcire imperare liberis. *Ter. in Adelph.*

Matres omnes filiis in peccato adjutrices, & auxilio in paterna injuria ſolent eſſe. *Idem in Heaut.*

Qui mentiri aut fallere inſueverit patrem, aut audebit, tanto magis audebit cæteros. *Idem in Adelph.*

Eja age chare Pater, cervici imponere noſtræ.
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit:
Quo res cunque cadunt, unum & commune periclum,
Una ſalus ambobus erit. Virg. 2. Æn.

PATRIA.

AC, ſi nos id, quod maxime debet, noſtra patria delectat, cujusq; rei tanta eſt vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam, in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulũ affixam, ſapientiſſimus vir im̃ortalitati anteponeret, quo amore tandem inflam̃ati eſſe debemus in ejusmodi patriam, quæ una in omnibus terris domus eſt virtutis, imperii, dignitatis? *Cic. l.* 1. *de Orat.*

Certum eſt omnia licere pro patria. *Quintil. declam.* 369.

Quid

Quid ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater? ſilebitne filius? imo vero obſecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet, accuſabit: minabitur etiam: ad extremum ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalutem anteponet ſaluti patris. *Cic. 3. Offic.*

Officia ſi civis amiſerit, hominis exerceat. Ideo magno animo nos non unius urbis mœnibus clauſimus, ſed in totius orbis commercium emiſimus, patriamque nobis mundum profeſſi ſumus: ut liceret latiorem virtuti campum dare. *Sen. de Tranquil. c. 3.*

Omne ſolum forti patria eſt, ut piſcibus æquor:
Vt volucri, vacuo quicquid in orbe patet.
Ovid. 1. Faſt.

Non dubia eſt Ithaci prudentia, ſed tamen optat,
Fumum de patriis poſſe videre focis.
Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.
Idem l. 1. de Ponto.

Jamque hoc ne dubites longævi nate parentis
Accipe, & æterno fixum ſub pectore ſerva.
Succenſere nefas patriæ, nec fœdior ulla
Culpa, ſub extremas fertur mortalibus umbras.
Sic docuere ſenes. Sil. Ital. l. 8. bel. Pun.
Dulce & decorum eſt, pro patria mori.
Horat. l. 2. Od. 2.

PAVPERTAS.

POſtquam divitiæ honori eſſe cœpere, & eas gloria, imperium, potentia ſequebantur, hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. *Salluſt. in Catil. c. 12.*

Paupertas nulli malum, niſi repugnanti. *Sen. ep. 123.*

Pau-

Pauper ſum, fateor, patior. Quod Dii dant, fero. *Euclio apud Plaut. in Aulul.*

Paupertas contenta eſt deſideriis inſtantibus ſatisfacere. Quid eſt ergo, quare tu hanc recuſes contubernalem, cujus mores, ſanus dives imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis. *Sen. ep. 17.*

Honeſta inquit Epicurus, *res eſt, læta paupertas.* Illa vero non eſt paupertas, ſi læta eſt. Cui enim cum paupertate bene convenit, dives eſt. Non enim qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum paſcat, aut fœneret? ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat. *Idem. ep. 2.*

Magnus eſt ille, qui in divitiis pauper eſt: ſed ſecurior, qui caret divitiis. *Idem ep. 20.*

Nullum crimen abeſt, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. Juven. Sat. 6.

Ingenium quondam fuerat pretioſius auro:
At nunc barbaria eſt grandis, habere nihil.
Ovid. l. 3. Amor. el. 7.

Tum variæ venere artes. Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.
Virgil. 1. Georg.

Nihil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quam quod ridiculos homines facit. Juven. Sat. 3.

—— *Tolle querelas,*
Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit uſus.
Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibusque tuis: nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.
Horat. l. 1. ep. 12.

—— *Bene paupertas*
Humili tecto contento latet.

Quæ-

Quatiunt alta ſæpe procellæ,
Aut evertit fortuna domos. Sen. in Octav.
Aſperius nihil eſt, humili, cum ſurgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet, deſævit in omnes,
Vt ſe poſſe putent. nec bellua tetrior ulla eſt,
Quam ſervi rabies, in libera colla furentis.
Claudian. l. 1. in Eutrop.

PAX.

ET nomen Pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris. Sed inter pacem, & ſervitutem plurimum intereſt. Pax eſt tranquilla libertas: Servitus, malorum omnium poſtremum, non modo bello, ſed morte etiam repellendum. *Cic. Philip. 2.*

Tentavit Sulla juſtis legibus, & æquis conditionibus bellum componere. Sed iis, quibus & peſſima & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. *Vell. Pat. l. 2. c. 25.*

—— *Pax optima rerum,*
Quas homini noviſſe datum eſt. Pax una triumphis
Innumeris potior. Pax cuſtodire ſalutem
Et cives æquare potens. Sil. Ital. l. 11.
—— *Pax candida primum*
Duxit araturos ſub juga curva boves.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ,
Funderet ut nato teſta paterna merum.
Pace bidens, vomerque vigent. Tibul. l. 1. el. ult.
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ovid. l. 2. de Arte.
Sub juga bos veniat, ſub terras ſemen aratas.
Pax Cererem nutrit, pacis alumna Ceres. Id. 2. Faſt.

PECCATVM.

PEccavimus omnes: alii gravia, alii leviora, alii ex deſtinato, alii forte impulſi, aut aliena nequitia

quitia ablati: alii in bonis conſiliis parum fortiter ſtetimus, & innocentiam inviti ac renitenter perdidimus. Nec delinquimus tantúm, ſed usque ad extremum ævi delinquemus. *Sen. 1. de Clem. c. 6.*

Nemo noſtrum non peccat: homines ſumus, non Dii. *Petron. in Sat.*

Romani veteres magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum factaque ad conſilium dirigebant, & quid, non in quantum admiſſum foret, æſtimabant. *Vell. Pat. l. 2. c. 8.*

Nunquam igitur eſt utile peccare, quia ſemper eſt turpe. *Cic. l. 3. Offic. c. 15.*

Nam illud ſemper factum eſt: nullum ſine venia placuit ingenium. Da mihi quemcunque vis magni nominis virum, dicam quid illi ætas ſua ignoverit, quid in illo ſciens diſſimulaverit. Multos dabo, quibus vitia non nocuerint, quosdam, quibus profuerint. *Sen. ep. 114.*

Hunc ipſum annulum Gygis ſi habeat ſapiens, nihil ſibi plus licere putet peccare, quam ſi non haberet. Honeſta enim bonis viris, non occulta quæruntur. *Cic. 3. Offic. c. 9.*

Namque peccatum ſemel, ut bonus quisque poſtea ſolicitius cavet, ita qui ingenio malo eſt, confidentius integrat, ac jam de cætero, quo ſæpius, eo apertius delinquit. Pudor enim velut veſtis, quanto obſoletior eſt, tanto incurioſius habetur. *Apul. in Apol.*

Quare vitia ſua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis eſt. Somnium narrare, vigilantis eſt; & vitia ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt. Expergiſcamur ergo, ut errores noſtros coarguere poſſimus. *Sen. ep. 53.*

Sic fac, inquit Epicurus, omnia, tanquam ſpectet aliquis. Prodeſt ſine dubio cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis judices. *Id. ep. 25.*

His nunc pretium eſt, qui recta, pravá faciunt. *Ter. in Phorm.*

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Juven. Sat. 8.

Turpe quid auſurus, te, ſine teſte, time.

Auſonius.

Qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet.

Sen. in Troade.

PEREGRINATIO.

MVtare te loca, & in alium de alio tranſire nolo. Primum, quia tam frequens migratio, inſtabilis animi eſt, coaleſcere otio non potes, niſi deſinas circumſpicere, & errare. Vt animum poſſis continere, prius corporis tui fugam ſiſte. Deinde, plurimum remedia continuata proficiunt. Interrumpenda non eſt quies, & vitæ prioris oblivio. *Sen. ep. 69.*

Omnis enim peregrinatio (quod ego ab adoleſcentia judicavi) obſcura & ſordida eſt iis, quorum induſtria Romæ poteſt illuſtris eſſe. *Cic. l. 2. ep. fam.*

Nusquam eſt, qui ubique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. *Sen. ep. 2.*

Ego autem hoc ſatis mirari non queo, unde hoc ſit tam inſolens domeſticarum rerum faſtidium. *Cic. 1. de Fin.*

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt:
Strenua nos exercet inertia, navibus atque

Qua-

Quadrigis petimus bene vivere, quod petis, hic eſt.
Horat. l. 1. ep. 11.

PERFECTUM.

NOn perfectum eſt quicquam, quo melius aliud eſt. *Quintil. l. 12. Inſtit. c. 1.*

Nihil eſt ſimul & inventum, & perfectum. *Cic. de Clar. Orat. c. 18.*

Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia quæ magni autores dixerint, utique eſſe perfecta. *Quintil. l. 10. Inſtit. c. 1.*

Nihil ſimplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. *Cic. l. 2. de Invent. c. 1.*

PERICULUM.

MUlti odio præſentium, & cupidine mutationis, ſuis quoque periculis lætabantur. *Tac. l. 3. Ann. c. 44.*

Non fit ſine periculo, facinus magnum & memorabile. *Ter. Heaut.*

——— *Nemo ſe tuto diu,*
Periculis offerre tam crebris poteſt:
Quem ſæpe tranſit caſus, aliquando invenit.
Sen. in Hercul. Fur.

PERIURUS.

FIdei acerrimus exactor eſt perfidus, &, mendacia perſequitur ipſe perjurus. *Sen. 2. de Ira c. 28.*

Fidem alligavit jurejurando ſuam.
Si pejerat, timere quid gravius poteſt?
Sen. in Troad.

Ah miſer, etſi quis primo perjuria celat:
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
Tibul. El. 9.

PERTVRBATIONES.

RAtio ipſa, cui fræni traduntur, tamdiu potens eſt, quamdiu diducta eſt ab affectibus: perturbatione oborta, pugna ac diſſidium inter partem voluntatis aut doloris capacem, & inter conſultantem judicantemque exiſtit. *Sen. 1. de Ira c. 7.*

Animum vincere, iram cohibere, victoriam temperare, adverſarium nobilitare, ingenio, virtute præſtantem, non modo extollere jacentem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem: hæc, qui faciat, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico. *Cic. pro M. Marcel.*

Vtrum ſatius ſit modicos habere affectus, an nullos, ſæpe quæſitum eſt. Noſtri, illos expellunt: Peripatetici temperant. Ego non video, quomodo ſalubris eſſe aut utilis poſſit, ulla mediocritas morbi. *Sen. ep. 116.*

Beati, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Vt maris igitur tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente: ſic animi quietus & placatus ſtatus cernitur, cum perturbatio nulla eſt, qua moveri queat. *Cic. 5. Tuſcul.*

—— *Duplici in diverſum traheris hamo,*
Hunccine an hunc ſequeris, ſubeas alternus oportet
Ancipiti obſequio dominos: alternus oberras.

Perſius Sat. 5.

PHILOSOPHIA. SAPIENTIA.

TAlis eſt Sapientis animus, qualis eſt mundi ſtatus ſuper lunam; ſemper illic ſerenum eſt. *Sen. ep. 59.*

Mater

Mater omnium bonarum artium, ſapientia eſt: a cujus amore Græco verbo Philoſophia nomen invenit: quia nihil a Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præſtabilius, hominum vitæ datum eſt. *Cic.* 1. *de leg. c.* 22.

Quis dubitare, mi Lucili, poteſt, quin Deorum immortalium munus ſit, quod vivimus; Philoſophiæ, quod bene vivimus, itaque tanto plus nos debere huic, quam Diis, quanto majus beneficium eſt bona vita, quam vita? Pro certo deberetur, niſi ipſam Dii Philoſophiam tribuiſſent: cujus ſcientiam nulli dederunt, facultatem vero omnibus. *Sen. ep.* 90.

O vitæ Philoſophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti: tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione junxiſti. Tu inventrix legum, tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti. Ad te confugimus, a te opem petimus: tibi nos, ut antea magna ex parte, ſic nunc penitus totosque tradimus. Eſt autem unus dies, bene & ex præceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus. *Cic.* 5. *Tuſcul.*

Nunquam in tantum convaleſcet nequitia, nunquam ſic contra virtutes conjurabitur, ut non Philoſophiæ nomen venerabile & ſacrum maneat. *Sen. ep.* 14.

Quam ſcitum eſt, ejusmodi parare in animo cupiditates, quas, cum adverſæ res ſint, paulo mederi poſſis. *Ter. in Phorm.*

Non ætate, verum ingenio, adipiſcitur ſapientia. *Plaut. in Trin.*

Sæpe eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia. *Cæcil. apud Cic. 3. Tuſc. c. 23.*

Sapiens aſſueſcit futuris malis: & quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. Audimus aliquando voces imperitorum, dicentium: Neſciebam hoc mihi reſtare. Sapiens ſcit ſibi omnia reſtare, quicquid factum eſt, dicit ſciebam. *Sen. ep. 76.*

Etiam quicunque habiti ſunt mortalium ſapientiſſimi, multa ſciſſe dicuntur, non omnia. *Colum. l. 12. de R. R. c. 57.*

Etiam morbus eſt aliquis, per ſapientiam mori. *Plin. l. 7. c. 50.*

Puto multos potuiſſe ad ſapientiam pervenire, niſi putaſſent ſe perveniſſe: niſi quædam in ſe diſſimulaſſent, quædam apertis oculis tranſiliiſſent. Non eſt enim quod nos magis aliena judices adulatione perire, quam noſtra. *Sen. de Tranquil. an. c. 1.*

Deus ipſe fuit, Deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur Sapientia, quique per artem,
Fluctibus e tantis vitam, tantisque tenebris,
In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.
Lucret. l. 5.

Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe. Horat. l. 1. Epiſt.

Quisquis plus juſto non ſapit, ille ſapit. Martialis.

PIETAS.

PLus apud bonos pietatis jura, quam omnes opes valent. *Juſtin. l. 3. c. 2.*

Præclare a Sapientibus dicitur, vultu ſæpe lædi pietatem. *Cic. pro Roſc. Amerino.*

Pecu-

Pecunia ex quo in honore eſſe cœpit, verus rerum honor cecidit, mercatoreſque & venales invicem facti, quærimus, non quale ſit quid, ſed quanti. Ad mercedem pii ſumus, ad mercedem impii. *Sen. ep. 115.*

—— O maxima rerum,
Et merito pietas homini tutiſſima virtus.
Petronius in Fragm.

POENA.

QVotiens noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu poſſint. Omnis enim pœna, non tam ad delictum pertinet, quam ad exemplum. *Quintil. declam. 27.*

In injuriis vindicandis hæc tria lex ſecuta eſt, quæ Princeps quoque ſequi debet: aut, ut eum quem punit emendet; aut, ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut, ut ſublatis malis, cæteri ſecuriores vivant. *Sen. 1. de Clem. c. 22.*

Corrigendus eſt, qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & aſpere: meliorque tam ſibi quam aliis faciendus, non ſine caſtigatione, ſed ſine ira: quis enim cui medetur, iraſcitur? *Sen. 1. de Ira c. 14.*

Non rete accipitri tenditur, neque milvio, qui malefaciunt nobis: illis, qui nihil faciunt, tenditur. *Ter. in Phorm.*

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.
Juven. Sat. 2.

Æquo animo pœnam qui meruere ferunt.
Ovid. l. 2. Elegiar.

—— —— —— Adſit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Nec ſcutica dignum, horribili ſectere flagello.
Horat. l. 1. Sat. 3.

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum eſt;
Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.
Ovid. Epiſt. 15.

POENITENTIA.

QVod ſi eſt erratum ſpe falſa atque fallaci, redeamus in viam. Optimus eſt portus pœnitenti, mutatio conſilii. *Cic. Philip. 12.*

Neque enim rectæ voluntati ſerum eſt tempus ullum. *Quintil. l. 12. Inſtit. c. 1.*

Nam, ſera nunquam eſt ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccaſſe, pæne eſt innocens.
Sen. in Agamem.

PÖESIS.

VT pictura, poëſis erit, quæ, ſi propius ſtes,
Te capiet magis, & quædam ſi longius obſtes.
Hæc amat obſcurum, volet hæc ſub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit ſemel, hæc decies repetita placebit.
Horat. in Arte.

—— Pictoribus atque Poëtis,
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.
Idem ibid.

Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poëtæ,
Aut ſimul & jucunda, & idonea dicere vitæ.
Idem ibid.

Adde quod Inſidiæ ſacris a Vatibus abſunt,
Et facit ad mores, ars quoque noſtra bonos.
Nec nos ambitio, nec nos amor urget habendi,
Contemto colitur lectus & umbra foro.
Ovid. l. 3. de Arte.

Natura fieret laudabile Carmen, an arte,
Quæſitum eſt. Ego, nec ſtudium ſine divite vena,

Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.
Horat. de Arte.
Exit in immenſum fœcunda licentia Vatum,
Obligat hiſtorica nec ſua verba fide.
Ovid. l. 3. eleg.
Scribimus indocti, doctique poëmata paſſim.
Hic error tamen, & levis hæc inſania, quantas
Virtutes habeat, ſic collige. Hor. l. 2. Epiſt.

PRÆCEPTORES.

HAnc itaque rationem Dii ſequuntur in bonis viris, quam in diſcipulis ſuis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior ſpes eſt. *Sen. de Provid. c. 4.*

Magiſtri, puerorum diſcentium patienter ferre debemus offenſationes memoriæ labentis: quæ ſubjecto uno aut altero verbo, ad contextum reddendæ rationis adducitur. *Sen 5. de Benef. c. ult.*

Dii majorem umbris, tenuem, & ſine pondere terram,
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco. Metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus. Juven. Sat. 7.
—— *Sed vos ſævas imponite leges,*
Vt præceptori verborum regula conſtet;
Vt legat hiſtorias, auctores noverit omneis,
Tanquam ungues, digitosque ſuos, ut forte rogatus,
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat,
Nutricem Anchiſæ, nomen, patriamque novercæ
Archemori: dicat, quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Vt ſi quis cera vultum facit. Idem ibid.

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum eſt,
Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.

Ovid. Epiſt. 15.

POENITENTIA.

QVod ſi eſt erratum ſpe falſa atque fallaci, redeamus in viam. Optimus eſt portus pœnitenti, mutatio conſilii. *Cic. Philip. 12.*

Neque enim rectæ voluntati ſerum eſt tempus ullum. *Quintil. l. 12. Inſtit. c. 1.*

Nam, ſera nunquam eſt ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccaſſe, pæne eſt innocens.

Sen. in Agamem.

PÖESIS.

V*T pictura, poëſis erit, quæ, ſi propius ſtes,*
Te capiet magis, & quædam ſi longius obſtes.
Hæc amat obſcurum, volet hæc ſub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit ſemel, hæc decies repetita placebit.

Horat. in Arte.

——— *Pictoribus atque Poëtis,*
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Idem ibid.

Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poëtæ,
Aut ſimul & jucunda, & idonea dicere vitæ.

Idem ibid.

Adde quod Inſidiæ ſacris a Vatibus abſunt,
Et facit ad mores, ars quoque noſtra bonos.
Nec nos ambitio, nec nos amor urget habendi,
Contemto colitur lectus & umbra foro.

Ovid. l. 3. de Arte.

Natura fieret laudabile Carmen, an arte,
Quæſitum eſt. Ego, nec ſtudium ſine divite vena,

Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Horat. de Arte.

Exit in immenſum fœcunda licentia Vatum,
Obligat hiſtorica nec ſua verba fide.

Ovid. l. 3. eleg.

Scribimus indocti, doctique poëmata paſſim.
Hic error tamen, & levis hæc inſania, quantas
Virtutes habeat, ſic collige. Hor. l. 2. Epiſt.

Præceptores.

HAnc itaque rationem Dii ſequuntur in bonis viris, quam in diſcipulis ſuis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior ſpes eſt. *Sen. de Provid. c. 4.*

Magiſtri, puerorum diſcentium patienter ferre debemus offenſationes memoriæ labentis: quæ ſubjecto uno aut altero verbo, ad contextum reddendæ rationis adducitur. *Sen. 5. de Benef. c. ult.*

Dii majorem umbris, tenuem, & ſine pondere terram,
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco. Metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus. Juven. Sat. 7.
—— *Sed vos ſævas imponite leges,*
Vt præceptori verborum regula conſtet;
Vt legat hiſtorias, auctores noverit omneis,
Tanquam ungues, digitosque ſuos, ut forte rogatus,
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat,
Nutricem Anchiſæ, nomen, patriamque novercæ
Archemori: dicat, quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Vt ſi quis cera vultum facit. Idem ibid.

PRÆMIVM.

SOlon, qui ſapiens unus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem. Is Rempubl. duabus rebus contineri dixit, præmio, & pœna. *Cic. ad Brut, ep.12.*

Eo impenditur labor ac periculum, unde emolumentum atque honos ſperatur: nihil non aggreſſuri homines, ſi magna conatis, præmia proponantur. *Liv. l.4.c.35.*

PRÆTERITA.

PRæterita mutare non poſſumus. *Cic. in Piſon.*

Præterita magis reprehendi poſſunt, quam corrigi. *Liv. l.30.c.30.*

Revocari præterita non poſſunt. *Sen. l.1. de Ira c. ult.*

Spectantur ante acta, dictaque. Ex præteritis enim æſtimari ſolent præſentia. *Quintil. l.5.c.10.*

Difficilis, querulus, laudator temporis acti,
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.

Horat. de arte Poët.

PRECES.

NOn votis, neque ſuppliciis muliebribus, auxilia Deorum parantur. Vigilando, agendo, bene conſulendo, proſpere omnia cedunt. Vbi ſocordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores. *Salluſt. in Catil. c.52.*

Sed faciles ſunt preces apud eos, qui ultro nobis viam ſalutis oſtendunt. *Cic. orat. de Haruſp. reſp.*

Haud cuivis promtum eſt, murmur humilesq; ſuſurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.

Perſ. Sat.2.

PRINCEPS.

PRincipem appellavimus Patrem Patriæ, non adulatione vana inducti, cætera enim cognomina

mina honori data ſunt. Magnos, & Felices, & Auguſtos diximus, & ambitioſæ majeſtati quicquid potuimus, titulorũ congeſſimus, illis hoc tribuentes. Patrem quidem Patriæ appellavimus, ut ſcret, ſibi datam poteſtatem patriam, quæ eſt temperatiſſime liberis conſulens, ſuaque poſt illos ponens. *Sen.1.de Clem. c.14.*

Facere recte cives ſuos Princeps optimus faciendo docet: cumque ſit imperio maximus, exemplo major eſt. *Vel.Pat.l. 2. c.126.*

Nam vita Principis cenſura eſt, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo. *Plin. in Paneg.*

Vnius Imperii corpus, unius animo regendum. *Tac.1. Ann. c.12.*

Non ſic excubiæ, nec circumſtantia tela,
Quam tutatur amor, non extorquebis amari,
Hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat.
Claudian. de 4. Conſul. Honor.

Perlucet omne regiæ vitium domus.
Sen. in Agamem.

Sancte Pater Patriæ, tibi Plebs, tibi Curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen Eques.
Ovid. 2. Faſtor.

Nec Regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt.
Sen. in Agamem.

Vos, quibus Rector maris, atque terræ,
Jus dedit magnum, necis atque vitæ:
Ponite inflatos tumidosque vultus.
Quicquid a vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne ſub regno graviore regnum eſt.
Quem dies vidit veniens ſuperbum, *Hunc*

Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Sen. in Thyeſte.
Regia, (crede mihi,) res eſt ſuccurrere lapſis.
Ovid. l. 2. de Ponto.
Tu civem, patremque geras, tu conſule cunctis.
Nec tibi, nec tua te moveant, ſed publica vota.
Claudian. de 4. Conſul. Honor.
Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros,
Conſulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus, petitur hac cœlum via.
Sen. in Octav.

PRINCIPIUM.

PRincipiis cognitis, multo facilius extrema intelliguntur. *Cic. pro. Cluent.*

Non tamen ſine uſu fuerit, introſpicere illa primo aſpectu levia, ex quibus magnarum ſæpe rerum motus oriuntur. *Tac. 4. Ann. c. 32.*

Omnium rerum magnarum a Diis immortalibus principia ducuntur. *Cic. Orat. in Vatin.*

Vt male poſuimus initia, ſic cætera ſequentur. *Idem l. 10. ep. 20. ad Att.*

Hæc, dum incipias, gravia ſunt, dumq; ignores: ubi cognoris, facilia. *Ter. Heaut.*

Non hoc credatur eſſe difficile, ſi uſus acceſſerit: nihil enim eſt, quod non aſſidua meditatio facillimum reddat. *Veget. l. 1. c. 19.*

Omne malum naſcens, facile opprimitur: inveteratum, fit plerunque robuſtius. *Cic. Philip. 5.*

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.
Ovid. 1. de Remed. am.

Helle-

Helleborum fruſtra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas: venienti occurrite morbo.
Pers. ſat. 3.
Incipe, dimidium facti eſt cœpiſſe, ſuperſit
Dimidium, rurſum hoc incipe, & efficies.
Auſon. epigr. 80.
Dimidium facti, qui cœpit, habet, ſapere aude;
Incipe. Horat. l. 1. Epiſt.

Proditio.

QVi miſereri proditoris poteſt, crudelis eſt. *Quintil. declam.* 307.

Dimicatum eſt, non magis cum hoſtibus, quam, quæ dimicatio major ac periculoſior eſt, cum proditione ac perfidia ſociorum. *Liv. l. 1. c. 28.*

Occultum jam & invidioſum malum, perfidia, latebris ſuis extrahatur. Cujus efficaciſſimæ vires ſunt, mentiri & fallere. *Val. Max. l. 9. c. 6.*

Heu heu quam brevibus pereunt ingentia cauſis!
Imperium tanto quæſitum ſanguine, tanto
Servatum, quod mille Ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor unus iners anguſto tempore vertit.
Claudian. l. 2. in Ruf.

Promissio.

NOn liberalis, ſed levis eſt, polliceri quod præſtare non poſſis. *Corn. Nep. in vita Attici.*

Promiſſa non ſervanda ſunt ea, quæ ſunt iis, quibus promiſeris, inutilia, nec ſi plus tibi noceant, quam illi proſint, cui promiſeris. *Cic. 1. Offic. c. 10.*

Scelerum promiſſio, & iis qui expectant, perniciosa eſt, & iis qui promittunt. *Id. Philip.* 8.

Pollicitis dives quilibet eſſe poteſt,
Ovid l. 1. de arte.

Multa

Multa fidem promiſſa levant, ubi plenius æquo
Laudat venales qui vult extrudere merces.

Horat. l. 2. Epiſt.

PRVDENTIA.

IStud eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt, proſpicere. *Ter. in Adelph.*

Vt medicina valetudinis, navigationis gubernatio, ſic vivendi ars eſt prudentia. *Cic. 5. de. Fin.*

Prudentiæ eſt, mundum iſtum, & omnia quæ in mundo inſunt, divinorum contemplatione deſpicere, omnemque animæ cogitationem, in ſola divina dirigere. *Macrob l. 1. in Somn. Scip.*

Eſt enim Sapientis, quicquid homini accidere poſſit, id præmeditari, ferendum modice, ſi advenerit, eſſe: majoris omnino eſt conſilii, providere ne quid tale accidat: ſed animi non minoris, fortiter ferre, ſi evenerit. *Cic. Phil. 11.*

Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda tacendaq; calles.

Pers. ſat. 4. per ironiam.

Quisnam igitur liber? ſapiens, ſibiq; imperioſus:
Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent.
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis. Horat. l. 2. Sat. 7.

Crede mihi, miſeros prudentia prima relinquit,
Et ſenſus cum re, conſiliumque fugit.

Ovid. l. 4. de Ponto.

PVDOR.

EGo illum periiſſe duco, cui quidem periit pudor. *Plaut. in Bacch.*

Cuſtos virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime conſequens, verecundia eſt. *Cic. in partit. orat.*

Pol!

Pol! pudere, quam pigere præſtat, totidem literis. *Plaut. in. Trin.*

Peccatum ſemel, ut bonus quisque poſtea ſolicitius cavet, ita qui ingenio malo eſt, confidentius integrat; ac jam de cætero, quo ſæpius, eo apertibus delinquit. Pudor enim veluti veſtis, quanto obſoletior eſt, tanto incurioſius habetur. *Apul. in Apol.*

Periere mores, jus, decus, pietas, fides,
Et, qui redire, cum perit, neſcit, pudor.
Sen. in Agam.

——— *Non revocabilis unquam*
Ceſſit ab ore pudor, propiorque implevit Erinnys.
Val. Flac. l. 7. Argonaut,

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.
Sen. in Troad.

PUERITIA.

PUeri inter ſe, quam pro levibus noxis iras gerunt. Quapropter? Quia qui eos gubernat, animum infirmum gerunt. Itidem mulieres ſunt ferme ut pueri, levi ſententia. *Ter. in Hec.*

Ætatis cujusque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibus decor naturis dandus & annis.
Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.
Horat. de arte.

Nil dictu fœdum, viſuq; hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reverentia, ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos.
Juvenal. Sat. 4.

RA-

RARITAS.

QVod voles gratum eſſe, rarum effice. *Sen.* 1. *Benef.* c. 14.

In omni arte, vel ſtudio, vel quavis ſcientia, vel ipſa virtute, optimum quodque rariſſimum eſt. *Cic.* 2. *de Fin.*

Mediocria & in turbam naſcentia, ſæpe fortuna producit: eximia vero ipſa raritate comendat. *Sen. ep.* 42.

Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Juven. ſat. 23.

Rara avis in terris, nigroque ſimillima corvo.

Idem ſat. 6.

RATIO.

IN homine optimum quid eſt? Ratio. Hac antecedit animalia, Deos ſequitur. Ratio ergò perfecta proprium hominis bonum eſt, cætera illi cum animalibus, ſatisque communia ſunt. Valet? & leones. Formoſus eſt? & pavones. Velox eſt? & equi: non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum. Corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum voluntarium? & beſtiæ, & vermes. Habet vocem? ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem mobiloremque luſciniæ? Quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta & conſummata, felicitatem hominis implevit. *Sen. ep.* 76.

Si vis tibi omnia ſubjicere, te ſubjice rationi: multos reges, ſi ratio te rexerit.. *Sen. ep.* 37.

——— *Diis proximus ille eſt,*
Quem ratio, non ira movet, qui facta rependens

Conſi-

Conſilio, punire poteſt mucrone cruento.
Claud. in Conſul. Manlii Theod.

Stat ratio contra & ſecretam gannit in aurem,
Ne liceat agere id, quod quis vitiabit agendo.
Perſ. Sat. 5.

REPREHENSIO.

QVi alterum incuſat probri, ipſum ſe intueri oportet. *Plaut. in Trucul.*

Plerique mortales ad judicandum ſatis ingenii habent, aut ſimulant: veruntamen ad reprehendenda aliena facta aut dicta, ardet omnibus animus, vix ſatis apertum os, aut lingua promta videtur, quæ meditata pectore evolvat. *Salluſt. orat. de Rep. ord.*

Eſt proprium ſtultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci ſuorum. *Cic. 3. Tuſcul. c. 30.*

Non quicquid reprehendendum, etiam damnandum. *Sen. l. 6. de Benef. c. 39.*

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur:
Cum judex alios, quod monet, ipſe facit.
Ovid. l. 6. Faſt.

In commune jubes, ſi quid, cenſesq; tenendum,
Primus juſſa ſubi, tunc obſervantior æqui
Fit populus: nec ferre vetat, cum viderit ipſum
Autorem parere ſibi. Claudian. 4. de Hon. Conſul.

REPVLSA.

SPartanus quidam, nobilitate & ſanctitate præſtans, & in petitione magiſtratus victus, maximæ ſibi lætitiæ eſſe prædicavit, quod aliquos patria ſe meliores viros haberet. Quo ſermone, repulſam honori adæquavit. *Val. Max. l. 6. c. 5.*

Sæpe non Catoni prætura, ſed præturæ Cato negatur. *Id. ibid.*

RISUS.

HEraclitus quoties prodierat, & tantum circa ſe male viventium, imo male pereuntium viderat, flebat, miſerebatur omnium, qui ſibi læti feliceſque occurrebant, miti animo; ſed nimis imbecillo: & ipſe inter deplorandos erat. Democritum contra ajunt, nunquam ſine riſu in publico fuiſſe, adeo nihil illi videbatur ſerium eorum, quæ ſerio gerebantur. *Sen. l. 2. de Ira c.* 10.

Philemonem vis riſus immoderati abſtulit. Paratas ei ficus atq; in conſpectu poſitas, aſello conſumente, puerum, ut illum abigeret, inclamavit. Qui, cum jam comeſtis omnibus ſuperveniſſet, quoniam, inquit, tam tardus fuiſti, da nunc merum aſello. Ac protinus urbanitatem dicti, crebro anhelitu cachinnorum proſecutus, ſenile guttur ſalebris ſpiritus prægravavit. *Val. Max. l. 9. c. 12.*

Lætus in præſens animus, quod ultra eſt
Oderit curare, & amara lento
Temperet riſu. Horat. l. 2. Od. 16.

RURESTRIS VITA

BEatus ille, qui procul negotiis,
Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore.
Neque excitatur claſſico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina. Horat. lib. Epod.
Non alia magis eſt libera, & vitio carens,
Ritusq; melior vita, quæ priſcos colat,
Quam quæ relictis mœnibus ſylvas amat.
Non illum amaræ mentis inflammat furor,

Qui

Qui ſe dicavit montium inſontem jugis,
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non peſtilens invidia, non fragilis favor:
Non ille regno ſervit, ac regno invidet,
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes,
Spei metusque liber, haud illum niger
Edaxque livor dente degeneri petit.
Nec ſcelera, populos atque inter urbes ſita
Novit, nec omnes conſcius ſtrepitus pavet.
Sen. in Hippol.

SALTATIO.

SCimus Muſicen noſtris moribus abeſſe a Principis perſona, ſaltare etiam in vitiis poni: quæ omnia, apud Græcos, & grata, & laude digna ducuntur. *Corn. Nep. in Epamin.*

Domitianus quæſtorium virum, quod geſticulandi ſaltandique ſtudio teneretur, movit Senatu. *Sueton. in Domit.*

SALUTATIO.

QVi domus igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante januam relinquebant, qui inter fores domus & viam medius eſſet. In eo loco qui dominum ejus domus ſalutatum venerant, priusquam admitterentur, conſiſtebant: & neque in via ſtabant, neque intra ædes erant. *Agel. l.16. c.5.*

Salutem ſcriptam dignum eſt dignis mittere. Te ſi arbitrarer dignum, miſiſſem tibi. *Plaut. in Pſeud.*

Prima ſalutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia cauſidicos.
Martial. lib. 4. epigr. 8.

Nomine quemque ſuo (nulla eſt jactura) ſaluta,
Junge tuas humiles ambitioſe manus.
Ovid. l. 2. de Arte.
Salve ſancte parens, iterum ſalvete recepti
Nequicquam cineres, animæque umbræque paternæ.
Virg. 5. Æn.

SANITAS.

PRo miraculo, & id ſolitarium reperitur exemplum, Xenophilum Muſicum centum & quinq; annis vixiſſe, ſine ullo corporis incommodo. *Plin. l.7.H.N. c.50.*

Tiberius valetudine proſperrima uſus eſt, tempore quidem principatus pæne toto, prope illæſa: quamvis a trigeſimo ætatis anno arbitratu eam ſuo rexerit, ſine adjumento conſiliove medicorum. *Sueton. in vita.*

Facile omnes cum valemus, recta conſilia ægrotis damus; tu, ſi hic ſis, aliter ſentias. *Ter. in Andr.*
Precor furorem ſiſte, teque ipſe adjuva,
Pars ſanitatis, velle ſanari fuit.
Sen. in Hippol.
Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.
Juven. Sat. 10.
Si ventri bene, ſi lateri eſt, pedibusque tuis: nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.
Horat. l. 1. epiſt. 12.

SCELUS.

DUo in omni crimine ſpectanda ſunt, animus & eventus. *Quintil. Declam. 13.*

In maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc, vindicantur; cruenta mente, pura manu. *Apul. in Florid.*

Latro eſt, etiam antequam manus inquinet: quia

quia ad occidendum jam armatus eſt, & habet ſpoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit. *Sen. l. 5. de Benef. c. 14.*

Tuta ſcelera eſſe poſſunt, ſecura non poſſunt. Prima & maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe; nec ullum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt: quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. *Sen. ep. 97.*

Itaque quisquis es, ſi ſapis,
Patiare potius ipſe, quam facias, ſcelus.

Sen. in Thebaid.

—— *Non hoſpes ab hoſpite tutus,*
Non ſocer a genero, fratrum quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti,
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Ovid. 1. Metam.

Honeſta quædam ſcelera ſucceſſus facit.

Sen. in Hippol.

Sæpe in magiſtrum ſcelera redierunt ſua.

Id. in Thyeſte.

Proſperum ac felix ſcelus,
Virtus vocatur. Id. in Herc. Fur.

Scientia.

QVid bonum eſt? rerum ſcientia. Quid malum eſt? rerum imperitia. *Sen. ep. 31.*

Tantus eſt innatus in omnibus cognitionis amor & ſcientiæ, ut nemo dubitare poſſit, quin ad eas res, hominum natura, nullo emolumento invitata rapiatur. Videmusne ut pueri, ne verberibus quidem, a contemplandis rebus, perquiren-

diſque deterreantur? ut pulſi requirant, & aliquid ſcire ſe gaudeant? *Cic. l. 5. de Fin.*

Socrates in omnibus fere ſermonibus ita diſputat, ut nihil affirmet ipſe, refellat alios: nihil ſe ſcire dicat, niſi id ipſum, eoque præſtare cæteris, quod illi, quæ neſciant, ſe ſcire putent; ipſe nihil ſe ſcire, id unum ſciat, ob eamque rem ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſſimum eſſe dictum, quod hæc eſſet una omnis ſapientia, non arbitrari ſeſe ſcire, quod neſciat. *Id. l. 1. Academ. quæſt.*

Denique nil ſciri, ſi quis putat, id quoque neſcit
An ſciri poſſit, quo nil ſe ſcire fatetur.

Lucret. l. 4. rer. nat.

SCRIPTIO. SCRIPTVM.

SEntentiam ſuam Socrates facto comprobavit, quia literam ipſe nullam reliquit; ſed ejus ingenium varioſque ſermones, immortalitati ſcriptis ſuis Plato tradidit. *Cic. 3. de orat. c. 16.*

Quid opus eſt ſeculis duratura componere? vis tu id agere, ne te poſteri taceant? morti natus es: minus moleſtiarum habet funus tacitum. Itaque occupandi temporis cauſa, in uſum tuum, non in præconium, aliquid ſimplici ſtylo ſcribe. *Sen. de Tranquil.*

Sumite materiem, veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

Horat. de arte poët.

Tabida conſumit ferrum, lapidemque vetuſtas,
Nullaque res majus tempore robur habet.
Scripta ferunt annos: ſcriptis Agamemnona noſti,
Et quiſquis contra, vel ſimul, arma tulit.

Ovid. 4. de Ponto el. 8. *Jam*

Digitized by Google

Jam liber & bicolor poſitis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodoſaque venit arundo.
Tum querimur, craſſus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha,
Dilutas querimur geminat quod fiſtula guttas.
Perſ. Sat. 3.
Currant verba licet, manus velocior illis,
Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus.
Martial. l. 19. epigr. 208.

SEDITIO.

PArva initio, unde nihil timebatur, orta ſeditio; prope urbi excidio fuit. *Tac.1.Hiſt.c.80.*

Qui parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem atque discordiam. *Cic.1.de Offic. c. 25.*

Incipiens adhuc, & nondum matura ſeditio, melioribus conſiliis flectitur. *Tac.1.Hiſt.c.31.*

Vbi domeſtica quies ſeditionum agitata fluctibus eſt, priſcæ conſuetudinis autoritas convellitur; plusque valet, quod violentia cogit, quam quod ſuadet & præcipit verecundia. *Val.Max.l.9. cap.8.*

Detegit imbelles animos, nil fortiter auſa
Seditio. Lucanus l. 5.

SENECTVS.

ESt enim quiete & pure & eleganter actæ ætatis, placida ac lenis ſenectus; & nec tamen omnes poſſunt eſſe Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedeſtres navalesque pugnas, vel bella a ſe geſta, triumphosque recordentur. *Cic. de Senect. c. 3.*

Clodius Hiſpanus vixit annos centum quinqua-

ginta quinque, dies quinq; puerorum halitu refocillatus. *Plin. l. 7. c. 48.*

Fructus ſenectutis eſt, ante partorum bonorum memoria & copia. *Cic. de Seneƈt. c. 19.*

Terentius Varro humanæ vitæ exemplum, ætatisque ſpatium nominandus: non annis quibus ſeculi tempus æquavit, quam ſtylo vivacior fuit. In eodem enim lectulo, & ſpiritus ejus, & egregiorum operum curſus extinctus eſt. *Val. Max. l. 8. c. 7.*

Mens, & ratio, & conſilium in ſenibus eſt: qui, ſi nulli fuiſſent, nullæ omnino civitates eſſent. *Cic. de Seneƈt. c. 19.*

Turpe eſt ſeni, aut ſenectutem proſpicienti, e commentario ſapere. *Sen. ep. 33.*

Apud Lacedæmonios quidem ii, qui ampliſſimum Magiſtratum gerunt, ut ſunt, ſic etiam appellantur ſenes. *Cic. de Seneƈt. c. 6.*

Jucundiſſima eſt ætas devexa jam, non tamen præceps: & illam quoque in extrema tegula ſtantem, judico habere ſuas voluptates: aut hoc ipſum ſuccedit in locum voluptatis, nullis egere. Quam dulce eſt voluptates fugaſſe, & reliquiſſe. *Sen. ep. 12.*

Si vero habet aliquod tanquam pabulum ſtudii atque doctrinæ, nihil eſt otioſa ſenectute jucundius. *Cic. de Seneƈt. c. 14.*

Poteſt exercitatio & temperantia, etiam in ſenectute conſervare aliquid priſtini roboris. *Id. ibid.*

Senibus autoritas major eſt, quod plura noſſe & vidiſſe creduntur, quod Homerus frequentiſſime teſtatur. Sed non eſt expectanda ultima

ætas

Digitized by Google

ætas, cum ſtudia præſtent, ut quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis quis ſeculis vixiſſe videatur. *Quintil. l.* 12. *c.* 4.

Non cani, non rugæ, repente autoritatem afferre poſſunt, ſed honeſte acta ſuperior ætas, fructus capit autoritatis extremos. *Cic. de Seneƈt c.* 17.

Plerisq; ſenibus ſic odioſa ſenectus eſt, ut onus ſe Ætna gravius dicant ſuſtinere. *Id. ib. c.* 2.

Cum corporibus, viget & defloreſcit animus. *Livius l.* 6. *c* 23.

Turpis & ridicula res eſt, elementarius ſenex. Juveni parandum, ſeni utendum eſt, *Sen. ep.* 36.

Ædepol ſenectus, ſi nihil quicquam aliud vitii apportet ſecum cum advenerit, unum id eſt ſatis, quod diu vivendo, multa, quæ non vult, videt. *Cic. de Seneƈt. ex Nonio.*

Iſta defectio virium, adoleſcentiæ vitiis efficitur ſæpius quam ſenectutis: libidinoſa etenim, & intemperans adoleſcentia, effœtum corpus tradit ſenectuti. *Id. ibid. c.* 9.

Confitus ſum ſenectute: onuſtum gero corpus: vires reliquere: ut ætas mala, mala merx eſt tergo. Nam res plurimas peſſimas, cum advenit, affert: quas, ſi autumem omnes, nimis longus ſermo ſit. *Plaut. in Menæch.*

Quemadmodum ex amphora, primum quod eſt ſinceriſſimum, effluit, graviſſimum quodque turbidumque ſubſidit: ſic in ætate noſtra, quod optimum, in primo eſt. *Sen. ep.* 108.

Quid eſt jucundius ſenectute, ſtipata ſtudiis juventutis? *Cic. de Seneƈt. c.* 9.

Senes & difficiles & queruli ſunt, ut ægri & convaleſcentes, & quorum aut laſſitudine, aut de-

tractione ſanguinis exhauſtus eſt color. *Sen. l. 2. de Ira c. 19.*

Nihil magis cavendum eſt ſenectuti, quam ne languori deſidiæque ſe dedat. *Cic. l. 1. Offic.*

Quid eſt turpius, quam ſenex vivere incipiens? *Sen. ep. 13.*

Nemo eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe vivere. *Cic. in Cat. Maj.*

Si timenda mors eſt, ſemper timenda eſt; quod enim tempus morti exemtum eſt? *Sen. ep. 30.*

Decrepiti ſenes, paucorum annorum acceſſionem votis mendicant, minores natu ſeipſos fingunt, mendacio ſibi blandiuntur, & tam libenter fallunt, quam ſi fata una decipiant. *Sen. de brev. vitæ c. 11.*

Ad omnia alia ætate ſapimus rectius: ſolum unum hoc vitium adfert ſenectus hominibus, attentiores ſumus ad rem omnes, quam ſat eſt. *Ter. in Adelph.*

Hic ille eſt, ſenecta ætate qui factus eſt puer. *Plaut. in Trin.*

Senilis anima in primis labris eſt, nec magna vi diſtrahitur a corpore. *Sen. ep. 30.*

—— *Letho vicina ſenectus.* Claud. l. 2. Ruf.

Multa ſenem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti.
Vel quod res omnes timide gelideq; miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, caſtigator, cenſorq; minorum.

Horat. de arte.

Inde ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata ſuos, aut, quos habet, alba capillos.

Ovid. l. 15. Metam. *Magna*

Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.

Ovid. 5. Faſtor.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato quicunque puer, licet ipſe videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos.

Juven. Sat. 13.

Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Ovid. 2 de Arte.

—— *Tarda ſenectus*
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.

Virg. 9. Æn.

Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas,
Omnia deſtruitis, vitiataque dentibus ævi,
Paulatim lenta conſumitis omnia morte.

Ovid. l. 15. Metam.

Turpe ſeni vultus nitidi, veſtesque decoræ,
Atque etiam eſt ipſum vivere turpe ſenem.
Crimen amare jocos: crimen convivia, cantus:
O miſeri, quorum gaudia crimen habent.

Corn. Gallus.

Servitus. Servus.

NEminem natura liberum facit, neminem ſervum. Impoſuit hæc fortuna poſtea ſingulis nomina. *Sen. 7. Controv.*

Servos bellorum iniquitas in prædam victoribus dedit, iisdem legibus, eadem fortuna, eadem neceſſitate natos. Ex eodem cœlo ſpiritum trahunt: nec natura illis, ſed fortuna dominum dedit *Quintil. declam.* 13.

Quid eſt Eques Romanus, aut libertinus, aut ſervus? Nomina ex ambitione aut injuria nata. *Sen. epiſt* 31.

Mors

Mors civitatibus Romanis ſemper fuit ſervitute potior. Omnis eſt enim miſera ſervitus. *Cic. Philip.* 10.

Ita ſervum par videtur frugi ſeſe inſtituere, proinde heri ut ſint, ipſe item ſit, vultum e vultu comparet. Triſtis ſit, heri ſi triſtes: hilarus ſit, ſi gaudeant. *Plaut. in Amphitr.*

Demetrio Pompejano numerus quotidie ſervorum, veluti Imperatori exercitus, referebatur. *Sen. de Tranquil. an. c.* 3.

Plus ſcire ſatius eſt, quam loqui ſervum hominem: ea ſapientia. *Plaut. in Epid.*

Reges & dominos habere debet,
Qui ſe non habet, atque concupiſcit,
Quod Reges dominiq; concupiſcunt. Mart. l. 2. Epigr.
Fallitur egregio quiſquis ſub Principe credit
Servitium, nunquam libertas gratior extat,
Quam ſub Rege pio. Claud. l. 3. de laud. Stil.

SEVERITAS.

ADhibenda eſt moderatio, quæ ſanabilia ingenia diſtinguere a deploratis ſciat. Nec promiſcuam habere ac vulgarem clementiam oportet, nec abſciſſam. Nam, tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quam nulli. Modum tenere debemus: ſed, quia difficile eſt temperamentum, quicquid æquo plus futurum eſt, in partem humaniorem præponderet. *Sen. 1. de Clem. c.* 2.

Omnia ſcire, non omnia exequi, parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem comodare: nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contentum eſſe oportet. *Tac. in Agric. c.* 19.

Cuncta imperia crudelia, magis acerba quam diuturna arbitror. — Qui benignitate & clementia

Digitized by Google

mentia imperium temperavere, his læta & candida omnia viſa, etiam hoſtes æquiores, quam aliis cives. *Salluſt. orat. 1. de Rep. ord.*

SIMILITUDO.

OMnibus in rebus, ſimilitudo eſt mater ſatietatis. *Cic. de Invent. c. 4.*

Multa ſpecie quidem vicina, re autem plurimum inter ſe diſſident. *Sen. epiſt. 120.*

Quæ ſimilia videntur, cum contuleris, diverſa ſunt. *Id. ep. 113.*

Nam ego hominem homini ſimiliorem nunquam vidi alterum, nec aqua aquæ, nec lac lacti, crede mihi, usquam ſimilius, quam hic tui eſt, tuq; hujus. *Plaut. in Menæch.*

Oderunt hilarem triſtes, triſtemque jocoſi,
Sedatum celeres, agilem gnavumque remiſſi.

Horat. l. 1. Epiſt.

Scilicet ingeniis aliqua eſt concordia junctis,
Et ſervat ſtudii fœdera quisque ſui.
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ navita puppis amat.

Ovid. l. 2. de Ponto.

SIMPLICITAS.

QVod verum, ſimplex, ſincerumque, id, naturæ hominis aptiſſimum. *Cic. 1. Offic. c. 4.*

In hac tam inſana hominum ambitione, tot calumniatoribus in deterius recta torquentibus, parum tuta ſimplicitas eſt. *Sen. de Tranquil. c. 3.*

Simplicitas ac liberalitas, ni adſit modus, in exitium vertuntur. *Tac. 3. Hiſtor. c. 6.*

Satius tamen eſt ſimplicitate contemni, quam perpetua ſimulatione torqueri. *Sen. de Tranq. c. 15.*

Simplices & aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex in-

ex inſidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici. *Cic. 1. Offic.*

SOCIETAS.

SOciorum communia damna & lucra ſunto. *Quintil. declam. 329.*

Fac nos ſingulos; quid ſumus? præda animalium & victima, ac viliſſimus & facillimus ſanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam ſui ſatis virium eſt. Quæcunque vaga naſcuntur, & actura vitam ſegregem, armata ſunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium; terribilem cæteris fecit: nudum & infirmum ſocietas munit. *Sen. 4. de Benef. c. 18.*

Ad cœtum geniti ſumus: ſalva autem eſſe ſocietas niſi amore & cuſtodia partium non poteſt. *Id. 2. de Ira c. 31.*

Societas noſtra, lapidum fornicationi ſimillima eſt: quæ caſura, niſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur. *Id. ep. 95.*

Si vitare velis acerba quædam,
Et triſtes animi cavere morſus,
Nulli te facias nimis ſodalem,
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Martial. l. 12. epigr. 34.

—— *Dedit hanc contagio labem:*
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci.

Juven. Sat. 2.

SOLITVDO.

SOlitudine nihil poteſt eſſe jucundius, non modo miſeris his temporibus & luctuoſis, ſed etiam tranquillis & optatis, præſertim vel animo defati-

fatigato, qui requiem quærit ex occupationibus, vel erudito, qui ſemper aliquid ex ſe promat, quod alios delectet, ſeipſum laudibus illuſtret. *Cic. l. 5. epiſt. Fam.*

Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. *Sen. ep. 25.*

Miſcenda & alteranda ſunt ſolitudo & frequentia. Illa nobis faciet hominum deſiderium, hæc, noſtri: & erit altera alterius remedium. Odium turbæ ſanabit ſolitudo, tædium ſolitudinis, turba. *Id. de Tranquil. c. 15.*

Vidi ego in villa hilari & amœna mœſtos, vidi in media ſolitudine occupatis ſimiles. *Id. ep. 55.*

P. Scipio ſolitus eſt dicere, nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus: nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet. Magnifica vero vox, & magno viro, ac ſapiente digna: quæ declaret illum & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum: ut neque ceſſaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, otium & ſolitudo. *Cic. 3. Offic. a* 1.

SOMNIUM.

ATlantes inſomnia non viſunt, qualia reliqui mortales. *Plin. l. 5, c. 8.*

Auguſtus ſomnia neque ſua, neque aliena de ſe negligebat. *Suet. in Vita.*

Nec tu ſperne piis venientia ſomnia portis,
Cum pia venerunt ſomnia, pondus habent.

Propert. l. 4. el. 7.

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator defeſſa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas, & ſua luſtra redit.

Judic.

Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur aquis.

Claud. præf. in l. 3. de raptu Proſerp.

Somnia quæ mentes ludunt volitantibus umbris.
Non delubra Deûm nec ab æthere Numina mittunt,
Sed ſibi quisque facit: nam cum proſtrata ſopore
Vrget membra quies, & mens ſine pondere ludit,
Quicquid luce fuit, tenebris agit. Petronius.

SPES.

EGo ſpem pretio non emo. *Ter. in Adel.*

Inſperata accidunt magis ſæpe, quam quæ ſperes. *Plaut. in Moſtel.*

Stultum eſt, perpetuæ infelicitatis ſe prædamnare, ſpemque, quæ etiam incerta recte fovetur, interdum certam in deſperationem convertere. *Val. Max. l. 6. c. 9.*

Quod non expectas, ex transverſo fit, & ſuper nos fortuna negotium curat. *Petron.*

Quid oberit, quin ipſi de nobis meliora ſemper cogitemus? *Val. Max. l. 6. c. 9.*

Sperat infeſtis, metuit ſecundis,
Alteram ſortem, bene præparatum
Pectus. Informes hyemes reducit
Jupiter, idem
Summovet. Non, ſi male nunc, & olim
Sic erit. Quondam cithara tacentem
Suſcitat Muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo. Hor. l. 2. Od. 10.

Jam mala finiſſem letho, ſed credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore ſemper ait.
Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.

Tibul. l. 2. el. ult.

qui

Qui nil poteſt ſperare, deſperet nihil.
Sen. in Med.

TACITVRNITAS.

Taciturnitas optimum & tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum. *Val. Max. l. 2. c. 2.*

Taciturnitas imitatur confeſſionem. *Cic. 1. de Invent. c. 32.*

Sæpe tormentis pro ſilentio rerum creditarum immortui: adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitæ. *Juſtinus l. 44 de Hiſpanis.*

Plus ſcire, ſatius eſt, quam loqui ſervum hominem. *Plaut. in Epidic.*

Sapientis hoc ſapientibus obſervandum: Minimum cum aliis loquamur, cum nobis plurimum. *Sen. ep 105.*

Nam citius flammas mortales ore tenebunt,
Quam ſecreta tegant. Petron.

Eximia eſt virtus, præſtare ſilentia rebus,
At contra gravis eſt culpa, tacenda loqui.
Ovid. l. 2. de Arte.

Alium ſilere quod voles, prius ſile.
Sen. in Hippol.

Quis minor eſt autem, quam tacuiſſe labor?
Ovid. l. 2. Eleg.

Hæc ſoli commiſſa tibi celare memento,
Et tacitus noſtras intra te fige querelas.
Nam res mortifera eſt inimicus pumice lævis,
Qui modo ſecretum commiſerat, ardet, & odit.
Juven. Sat. 9.

Arcanum neq; tu ſcrutaberis ullius unquam,
Commiſſumque teges, & vino tortus & ira.
Horat. l. 1. Epiſt.

TEMPERANTIA.

QUaſi quidam ornatus vitæ temperantia. *Cic. 1.Offic. c.27.*

Frugalitatem, id eſt modeſtiam & temperantiam, virtutem eſſe maximam judico. *Cic. pro Dejot.*

Bonæ valetudinis quaſi quædam mater eſt frugalitas, inimica luxurioſis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab immoderato Veneris uſu averſa. *Val. Max. l.2.c. 5.*

Tantum cibi & potionis adhibendum eſt, ut reficiantur vires, non opprimantur. *Cic. de Senect.*

Eſſe oportet, ut vivas, non vivere, ut edas. *Cic. l. 4. ad Heren.*

Non eſt ante edendum, quam fames imperet. *Sen. ep. 123.*

Solet cibus cum ſumitur, tacitos efficere, potus, loquaces. *Macrob. l. 7. c. 1.*

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit:
Spes jubet eſſe ratas; in prælia trudit inermem:
Solicitis animis onus eximit: addocet artes.
Fœcundi calices quem non fecere diſertum?
Contractâ quem non in paupertate ſolutum?

Hor. l. 1. Ep. 5.

—— —— —— *Aſpice, late*
Florentes quondam luxus quas verterit urbes!
Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola nocet animis illapſa voluptas.

Sil. Ital. l. 15.

TEMPVS.

VEtera ſunt præcepta ſapientium, qui jubent tempori parere, & ſequi Deum, & ſe noſcere, & nihil nimis. *Cic. 3. de Fin. c. 21.*

Tem-

Tempus tribus partibus conſtat : præterito, præſente, & futuro. Animalibus, tantum quod breviſſimum eſt, in transcurſu datum, præſens. *Sen. ep.*124.

In rebus humanis cunctis, ineſt quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur. Nec omnia apud priores meliora, ſed noſtra quoque ætas, multa laudis & artium imitanda poſteris tulit. *Tac.*3.*Ann.c.*55.

Non eſt iſta mea culpa, ſed temporum. *Cic.Catilin.* 2.

Dandum eſt ſemper tempus : veritatem dies aperit. *Sen.2.de Ira c.22.*

Alius quidam veterum Poëtarum, cujus nomen mihi nunc memoriæ non eſt, Veritatem temporis filiam eſſe dixit. *Agell.l.12.c.*11.

Eſt tarda illa quidem medicina, ſed tamen magna, quam adfert longinquitas & dies. *Cic.*3.*Tuſc. quæſt.c.*16.

Neque inconſtantis puto, ſententiam, tanquam aliquod navigium atque curſum, ex Reipubl. tempeſtate moderari. Ego vero hæc didici, hæc vidi, hæc ſcripta lex, hæc de ſapientiſſimis & clariſſimis viris, & in hac Republica, & in aliis civitatibus monumenta nobis literæ prodiderunt, non ſemper easdem ſententias ab iisdem, ſed quascunſque Reipubl. ſtatus, inclinatio temporum, ratio concordiæ poſtularet, eſſe defendendas. *Cic. pro Planc.*

Temporibus ſervire decet : qui tempora certis
Ponderibus penſavit, eum ſi bella vocabunt,
Miles erit : ſi pax, poſitis, toga geſtiet, armis.
Lucan. ad Piſon.

Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago,
Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu,
Non ſecus ac flumen: neque enim conſiſtere flumen,
Nec levis hora poteſt, ſed ut unda impellitur unda,
Vrgeturque eadem veniens urgetque priorem:
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterque ſequuntur,
Et nova ſunt ſemper. Nam quod fuit ante relictum eſt,
Fitq; quod haud fuerat, momentaq; cuncta novantur.

Ovid. l. 15. Metam.

Et fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Virg. 10. Æn.

Tempora labuntur, tacitisque ſeneſcimus annis,
Et fugiunt fræno non remorante dies.

Ovid. l. 6. Faſt.

Labitur occulte, fallitque volubilis ætas,
Et celer amiſſis labitur annus equis.

Id. l. 1. Eleg.

Stat ſua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ. Virg. l. 3. Georg.
——— *Eunt anni more fluentis aquæ.*
Nec quæ præteriit curſu revocabitur unda,
Nec quæ præteriit hora, redire poteſt.
Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas,
Nec bona tam ſequitur, quam bona prima fuit.

Ovid. l. 3. de Arte.

TENEBRÆ.

QVod perditiſſimus quisque per diem concupiverit, per tenebras audet. *Tacit. 14. Ann. cap. 20.*

Jam diei noctisque viciſſitudo conſervat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quieſcendi. *Cic. 2. de N. D. c. 53.*

Nox hominum genus & duros miſerata labores,
Rettulerat feſſis aptata ſilentia rebus.
Val. Flac. l. 5. Argonaut.
Jam color unus ineſt rebus, tenebriſque teguntur
Omnia, jam vigiles conticuere canes.
Ovid. l. 4. Faſt.

Terra.

SCimus ſidera ſuo impetu vadere: præter terram nihil ſtare, cætera continua velocitate decurrere. *Sen. ep. 93.*

Sicut cœlum Diis, ita terras generi mortalium datas; quæque ſint vacuæ, eas publicas eſſe. *Bojocalus apud Tac. 13. Ann. c. 55.*

Punctum eſt iſtud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis. *Sen. 1. Nat. quæſt.*

Redditur terræ corpus, & ita locatum ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur. *Cic. 2. de Leg. cap. 22.*

—— Capit omnia tellus
Quæ genuit, cœlo tegitur, qui non habet urnam.
Lucan. l. 7. de bel. civ.
Cedit item retro de terra quod fuit ante,
In terras, & quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſum cœli ſtellantia templa receptant.
Lucret. l. 2. de nat. rer.
Nec tellus eadem parit omnia, vitibus illa
Convenit, hæc oleis; hîc bene farra virent.
Ovid. l. 1. de Arte.

Terræmotus.

NOn aliud eſt in terra tremor, quam in nube tonitruum. Nec hiatus aliud, quam cum fulmen erumpit, incluſo ſpiritu luctante, & ad libertatem exire nitente. *Plin. l. 2. H. N. c. 79.*

Cœlum & terra, ex quibusdam vitiis, ut corpora noſtra turbantur; & tunc, cum facere videntur injuriam, accipiunt. *Sen.* 5. *Nat. quæſt.c.*3.

Nunquam urbs Roma tremuit, ut non futuri eventus alicujus id prænuntium eſſet. *Plin.l.* 2.*c.*84.

TESTIS. TESTIMONIVM.

SCientia in teſtibus & religio quæritur. *Quintil.l.* 5. *Inſtit.c.* 7.

Nil puero eſt teſte certius, utique quinquenni. Nam & ad eos pertinet annos, ut intelligat, & nondum ad eos, quibus fingat. *Sen. l.* 7. *controv.* 5.

Virgines Veſtales in foro & judicio audiri, quoties teſtimonium dicerent, vetus mos fuit. *Tac.* 2. *Ann. c.* 34.

Suſpecti teſtes, qui vivunt cum inimicis, adſunt cum adverſariis, habitant cum accuſatoribus. *Cic. pro Flacco.*

Miſera hercle conditio mortalitatis, quando omnibus jam, quæ agimus, videtur opus eſſe teſte: ita parum facit veritas, ita nullum nomen eſt fidei. *Quintil.declam.*312.

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem: qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane ſciunt. *Plaut. in Trucul.*

—— *Ambiguæ ſi quando citabere teſtis*
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro.
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam, vivendi perdere cauſas.

Juven. Sat. 8.

TIMOR.

EPicurus cenſet ſtultam eſſe meditationem futuri mali, aut fortaſſe ne futuri quidem: ſatis

tis eſſe odioſum malum omne, cum veniſſet. *Cic. l. 3. Tuſcul. c. 15.*

Malus cuſtos diuturnitatis metus eſt. *Id. l. 2. Offic. c. 4.*

Plus in metuendo mali eſt, quam in illo ipſo quod timetur. *Id. l. 6 Famil. ep. 4.*

Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periiſſe expetit. *Id. 2. Offic. c. 7. ex Ennio.*

Degeneres animos timor arguit. Virg. 4. Æn.

Extimui ſenſique metu riguiſſe capillos,
Et gelidum ſubito frigore pectus erat.

Ovid. l. 1. Faſt.

Tum vero ancipiti mentem formidine preſſus,
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

Virg. l. 3. Æn.

Qui ſceptro duro ſævus imperio regit,
Timet timentes, metus in autorem redit.

Sen. in Herc. Fur.

Qui terret, plus iſte timet, ſors iſta tyrannis
Convenit, invideant claris, forteſque trucident,
Muniti gladiis vivant, ſeptique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.

Claud. de 4. Hon. Conſul.

Tributum.

Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. *Tac. l. 4. Ann. c. 74.*

Cappadocibus in formam provinciæ redactis, quædam ex regiis tributis deminuta, quo mitius Rom. Imperium ſperaretur. *Id. 2. Ann. c. 56.*

Vectigalia nova atque inaudita exercuit, nullo rerum aut hominum genere omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret. *Sueton. de Caligul.*

TVRPITVDO.

AN eſt ullum majus ma um turpitudine? quæ, ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis, quanta illa depravatio & fœditas turpificati animi debet videri? *Cic 3 Offic. c.29.*

Liber is eſt exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſervit. *Cic. ad Heren l. 4. c. 17.*

Quod turpe eſt, id quamvis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt. *Cic 3. Offic. c. 19.*

TYRANNVS.

NEque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ, Frmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis, animus dilaceretur. Quippe Tiberium, non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuasque ipſe pœnas fateretur. *Tac. 6. Ann. c. 6.*

Sub Tyranno dicere quod velis, periculoſum: quod nolis, miſerum eſt. *Plin. l. 8 ep. 14.*

Sub Tiberio hæc quoque capitalia: circa Auguſti ſimulacrum ſervum cecidiſſe: veſtimenta mutaſſe: numo vel annulo effigiem impreſſam, latrinæ aut lupanari intuliſſe, dictum ullum factumve ejus exiſtimatione aliqua læſiſſe. Periit denique & is, qui honores in colonia ſua, eodem die decerni ſibi paſſus eſt, quo decreti & Auguſto olim erant. *Sueton. in Tib. c. 58.*

Cuncta imperia crudelia, magis acerba quam diuturna arbitror, neq; quenquam a multis metuendũ eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam, bellum æternum atq; anceps gerere: quoniam neque adverſus, neque a tergo, aut late-

ribus tutus ſis: ſemper in periculo aut metu agites. *Salluſt orat. 1 de Rep. ordin.*

—— Victima haud ulla amplior
Poteſt, magiſq; opima mactari Jovi
Quam Rex iniquus. Sen. in Herc. Fur.
Ad generum Cereris, ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.
Juven. Sat. 10.
—— Præcipites
Regum caſus fortuna rotat,
Metui cupiunt, metuique timent.
Non nox illis alma receſſus
Præbet tutos: non curarum
Somnus domitor pectora ſolvit.
Sen. in Agamem.
Qui terret, plus ipſe timet ſors iſta tyrannis
Convenit, invideant claris forteſque trucident,
Muniti gladiis vivant, ſeptique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.
Claud. de 4. Honor. Conſul.

VENIA.

Venia eſt pœnæ debitæ remiſſio. *Sen. declam.*

Magna pars hominum eſt, quæ non peccatis iraſcitur, ſed peccantibus. Faciet nos moderatiores reſpectu noſtri, ſi conſuluerimus nos, nunquid & ipſi tale quid commiſimus? nunquid ſic erravimus? *Sen. 2. de Ira c.* 28.

Gratiſſimum genus veniæ, neſcire quid quisq; peccaſſet. *Sen. l. 2. de Ira c.* 23.

Noſtrapte culpa facimus, ut malis expediat eſſe; dum nimium dici nos bonos ſtudemus & benignos. *Terent. in Phorm.*

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius. Æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem, reddere rurſus.
Horat. l. 1. Sat. 3.

VER.

ARborum flos, eſt pleni veris indicium, & anni renaſcentis flos, gaudium arborum. Tunc ſe novas, aliasque quam ſunt, oſtendunt: tunc variis colorum picturis, in certamen usque luxuriant. *Plin. l. 16. N. H. c. 25.*

Solvitur acris hyems, grata vice veris & Favoni:
Trahuntque ſiccas machinæ carinas,
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna,
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes,
Alterno terram quatiunt pede. Hor. l. 1 Od. 4.
Vere nitent terræ, vere remiſſus ager.
Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt:
Nunc tumido gemmas corticepalmes agit.
Ovid. l. 4. Faſt.

VERITAS.

DAndum ſemper eſt tempus; veritatem dies aperit. *Sen. 2. de Ira c. 22.*

O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias, facile ſe per ſeipſam, defendit. *Cic. pro M. Cælio.*

Multa adſolet veritas veſtigia præbere ſui. *Liv. l. 40. c. 14.*

Gratias ago providentiæ divinæ, quæ nunquam ita opprimi vult veritatem, ut non magnis ſuis veſtigiis emineat. *Sen. Declam. 322.*

Nam-

Digitized by Google

Namque hoc tempore, obſequium amicos, veritas odium parit. *Ter. in Andr.*

Ego verum amo, verum volo dici mihi: mendacem odi. *Plaut. in Moſtel.*

Quid verba quæris? Veritas odit moras.

Sen. in Oedipo.

Oras Gallice me, rogasque ſemper,
Durum eſt me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergo quid ſit audi:
Verum Gallice non libenter audis.

Martial. l. 8. Epigr.

Dic verum mihi, Marce dic amabo,
Nil eſt quod magis audiam libenter.

Idem ibid.

VESTIS.

MUndæ veſtis electio appetenda eſt homini, natura enim homo mundum & elegans animal eſt. *Sen. ep.* 92.

Locupletiſſimi veſte diſtinguuntur, non fluitante, ſicut Sarmatæ ac Parthi, ſed ſtricta, & ſingulos artus exprimente. *Tacit de mor. c.* 17.

Poſſumus veſtiri ſine commercio Serum; poſſumus habere uſibus noſtris neceſſaria, ſi contenti fuerimus his, quæ terra poſuit in ſumō. *Sen. ep.* 90.

Quid ſi contigiſſet illi videre has noſtri temporis telas, quibus veſtis nihil celatura conficitur; in qua non dico, nullum corpori auxilium, ſed nullum pudori eſt? *Idem ibid.*

Quemadmodum ſtultus eſt, qui emturus equum, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus, & frænos. Sic ſtultisſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ modo veſtis nobis circumdata eſt, æſtimandum putat. *Macrob. l.* 1. *Saturn. c.* 11.

Alia

Alia veſtis ſapienti ac probo viro magis convenit, quam alia, nec ullum colorem ille odit, ſed aliquem putat parum aptum eſſe frugalitatem profeſſo. *Sen. ep. 51.*

Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut denique pudor poſſit: quibus ſumtis mulier parum liquido nudam ſe non eſſe jurabit. Hæc ingenti ſumma, ab ignotis etiam ad commercium gentibus, accerſuntur, ut matronæ noſtræ, ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo, quam in publico oſtendant. *Idem. l. 7. de Benef. c. 9.*

VICINUS.

ILlud Catonis humaniſſimum, & utiliſſimum: id agendum, ut diligant vicini. *Plin. l. 18. N. H. c. 6.*

Heu miſero mihi! Nunc ego verum illud verbum eſſe experior vetus: Aliquid mali eſſe, propter vicinum malum. *Plaut. in Mercat.*

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus.

Juven. Sat 15.

Ad te poſt paulo ventura pericula ſentis,
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta ſolent incendia ſumere vires.

Horat. l. 1 Epiſt.

—— Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures. Sicut grex totus in agris,
Unius ſcabie cadit, & porrigine porci,
Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva.

Juven. Sat. 2.

VICISSITUDO.

HEus! omnium rerum vicisſitudo eſt. *Ter. in Eun.*

Obſer-

Obſerva orbem rerum in ſe remeantium, videbis in hoc mundo nihil extingui, ſed vicibus deſcendere ac reſurgere. Æſtas abit, ſed alter annus illam adducit. Hyems cecidit, referent illam ſui menſes. Solem nox obruit, ſed ipſam ſtatim dies abiget. Stellarum iſte diſcurſus, quicquid præteriit, repetit: pars cœli levatur aſſidue, pars mergitur. *Sen. ep. 86.*

Nam in hominum ætate multa eveniunt hujusmodi. Capiunt voluptates, mox rurſum miſerias. Iræ interveniunt, redeunt rurſum in gratiam. Verum iræ ſi quæ forte eveniunt hujusmodi inter eos, rurſum ſi reventum in gratiam eſt, bis tanto amici ſunt inter ſe, quam prius. *Plaut. in Amphitr.*

—— Vicibusque recedit
Aut redit, atque alio mutatur tempore tempus,
Interpellatum variata ſorte dierum.
Manil. l. 3. Aſtron.

VICTORIA.

INſperata interdum, ſperata victoria certior eſt. *Juſtin. l. 20. c. 5.*

Bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, easque detrahere Ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ ſint Imperatorum. *Cic. pro M. Marcel.*

Res humanæ ita ſe habent: in victoria vel ignavis gloriari licet: adverſæ res, etiam bonos detrectant. *Salluſt. in Jugurth. c. 53.*

Cede repugnanti, cedendo victor abibis.
Ovid. l. 2. de Arte.
Cum victor arma poſuit, & victum decet
Deponere odia. Sen. in Herc. Fur.
Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.
Virg. l. 2. Æn.

Quod-

Quodcunque lubuit, facere victori licet.
Sen. in Troade.

VINDICTA.

EST ulciſcendi, & puniendi modus. *Cic. 1. Offic. cap. 11.*

Vltio duas res præſtare ſolet: aut ſolatium affert ei, qui accipit injuriam, aut in reliquum ſecuritatem. Principis major eſt fortuna, quam ut tali ſolatio egeat; manifeſtiorque vis, quam ut alieno malo, opinionem ſibi virium pariat. *Sen. 1. de Clem. c. 21.*

M. Catonem quidam in balneo percuſſit imprudens: quis enim illi ſciens faceret injuriam? poſtea ſatisfacienti, Cato, non memini, inquit, percuſſum me. Melius putavit non agnoſcere, quam vindicare. Nihil, inquis, poſt tantam petulantiam mali factum eſt? imo multum boni. Cœpit Catonem noſſe. Magni animi eſt injurias deſpicere, ultionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur ultio. Multi leves injurias altius ſibi demiſere, dum vindicant: ille magnus, & nobilis eſt, qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum ſecurus exaudit. *Idem 2. de Ira c. 32.*

At vindicta bonum, vita jucundius ipſa.
Juven. Sat. 13.

At tu ne dubita, minuet vindicta dolorem.
Ovid. l. 1. eleg.

VINVM.

VIno aluntur vires, ſanguis, colorque hominum. Vino modico nervi juvantur, copioſiore læduntur. Sic & oculi. Stomachus recreatur: appetentia ciborum invitatur; triſtitia &

cura

cura hebetatur: urina & algor expellitur: ſomnus conciliatur: præterea vomitiones ſiſtit: collectiones extra lanis humidis impoſitis mitigat. Aſclepiades utilitatem vini æquari vix Deorum potentia poſſe pronunciavit. *Plin. l. 23. H.N. c.* 1.

Fons & ignitabulum ingeniique virtutisque, ſi mens & corpus hominis vino flagret. *Macrob. 2. Saturn. c. 8.*

Quo generoſius vinum eſt, hoc magis veſtutate craſſeſcit, & in amaritudinem corpori minime utilem coït. Condire eo aliud minus annoſum, inſalubre eſt. *Plin. l. 23. N.H. c.* 1.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino ſæpe ſuum neſcit amica virum.

Propert. l.2. el.23.

VIRGO.

VIrgo formoſa, etſi ſit oppido pauper, tamen abunde dotata eſt. Affert quippe ad maritum, novam animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum. Ipſa virginitatis commendatio, jure meritoque omnibus maritis acceptiſſima eſt. Nam quodcunque aliud in dotem acceperis, potes, cum libuit, ne ſis beneficio obſtrictus, omne, ut acceperas, retribuere: pecuniam renumerare, mancipia reſtituere, domo demigrare, prædiis cedere. Sola virginitas, cum ſemel accepta eſt, reddi nequitur: ſola apud maritum ex rebus dotalibus manet. *Apul. in Apol.*

VIRTUS.

VIrtus convenientia conſtat: omnia opera ejus, cum ipſa concordant, & congruunt. *Sen. ep.* 84.

Diſcenda virtus eſt: nemo eſt caſu bonus. *Idem ep.* 123.

Quæ

Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent. *Salluſt. in Catilin* c. 11.

Non, ut quibusdam dictum eſt, arduum in virtutes iter & aſperum eſt: plano adeuntur. Non vanæ vobis autor rei venio, facilis eſt ad beatam vitam via: inite modo bonis auſpiciis, ipſisq; Diis bene juvantibus. *Sen. l. 2. de Ira c. 13.*

Virtus præmium eſt optimum: Virtus omnibus rebus anteit profecto. Libertas, ſalus, vita, res, parentes, patria & prognati tutantur, ſervantur. Virtus omnia in ſe habet, omnia aſſunt bona, quem penes eſt virtus. *Plaut. in Amphitr*

Non ex ebore tantum Phidias ſciebat facere ſimulacra, faciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet, quale ex illa fieri optimum poſſet. Sic Sapiens virtutem, ſi licebit, in divitiis explicabit; ſi minus, in paupertate. Si poterit, in patria; ſi minus, in exilio. Si poterit, imperator; ſi minus, miles. Si poterit, integer; ſi minus, debilis. Quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex ipſa memorabile efficiet. *Sen. epiſt. 85.*

Virtus extollit hominem, & ſupra chara mortalibus collocat: nec ea quæ bona, nec ea quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expaveſcit. *Idem epiſt. 87.*

Virtuti nullum theatrum majus conſcientia eſt. *Cic. 2. Tuſc. quæſt. c. 26.*

In eodem pectore nullum eſt honeſtorum turpiumque conſortium: & cogitare optima ſimul ac deterrima, non magis eſt unius animi, quam ejusdem hominis, bonum eſſe ac malum. *Quintil. l. 12. Inſtit. c. 1.*

Vir-

— *Virtus medio jacet obruta cœno,*
Nequitiæ claſſes candida vela vehunt.

Petronius.

Et genus, & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.

Horat. l. 2. Sat. 5.

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum.

Id. l. 1. Epiſt.

Gratior eſt pulchro veniens e corpore virtus.

Virg. l. 5. Æn.

Ipſa quidem Virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.
Hanc tamen in vitam blande veſtigat, & ultro
Ambit honor, docuit toties a rure profectus
Lictor, & in mediis Conſul quæſitus aratris.

Claud. in Conſ. Manlii Theod.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus.
Nec ponit, aut ſumit ſecures,
Arbitrio popularis auræ.

Horat. l. 3. Od. 2.

Sed locum Virtus habet inter aſtra.
Vere dum flores venient tepenti,
Et comam ſylvis hyemes recident,
Vel comam ſylvis revocabit æſtas,
Pomaque autumno fugiente cadent,
Nulla te terris rapiet vetuſtas:
Tu Comes Phœbo, comes ibis aſtris.

Sen. in Hercul. Oet.

Oderunt peccare boni, Virtutis amore,
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Horat. l. 1. Epiſt.

Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata Virtus. Id. l. 4. Od. 9.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.

Juven. Sat. 8.

Nunquam ſtygias fertur ad umbras
Inclyta Virtus, vivite fortes,
Nec lethæos ſæva per amnes
Vos fata trahent. Sed cum ſummas
Exiget auras conſumta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.

Sen. in Herc. Oet.

Perge, age, vince omnem, miles, virtute laborem,
Et quantum humani poſſunt ſe tendere paſſus,
Arduus accelera. Sil. Ital. l. 12. bel. Pun.

VIS. VIOLENTIA.

NVlla vis eſt, quæ arma, pugnam, vulnera non habet. *Sen. l. 9. declam. 5.*

Nolite conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari. *Cic. pro Rabir.*

Vis abeſto; nihil enim exitioſius civitatibus, nihil tam contrarium juri & legibus, nihil minus civile & humanum, quam compoſita & conſtituta Repub. quicquam agi per vim. *Id. 3. de Leg. c. 18.*

Quid eſt, quod contra vim, ſine vi fieri poſſit? *Id. l. 12. Fam. ep. 3.*

Hoc & ratio doctis, & neceſſitas bar[...] mos gentibus, & feris natura ipſa præſ[...]

omnem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent. *Id. pro Mil.*

Tollitur e medio ſapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certatur, ſed maledictis.

Ennius l. 8. Annal.

Vita.

Nihil eſt tam fallax, quam vita humana, nihil tam inſidioſum: non mehercule quiſquam accepiſſet, niſi daretur inſciis. *Sen. ad Marc.*

Si velis credere altius veritatem intuentibus, omnis vita ſupplicium eſt. *Id. ad Polyb. c.* 28.

Præternavigamus, mi Lucili, vitam: &, quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noſter:

—— *Terræque urbesque recedunt,*

Sic in hoc curſu rapidiſſimi temporis, primum pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quicquid eſt illud inter juvenem & ſenem medium, in utriusque confinio poſitum; deinde ipſius ſenectutis optimos annos; noviſſime incipit oſtendi publicus finis generis humani. *Sen. epiſt.* 70.

Multi mortales, dediti ventri atque ſomno, indocti, incultique, vitam ſicut peregrinantes tranſiere. Quibus profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum ego vitam mortemque juxta æſtimo: quoniam de utraque ſiletur. Verum enim vero, is demum mihi vivere, atque frui anima v[illegible]tur, qui aliquo negotio intentus, præclari fa[illegible] ut artis bonæ famam quærit. Sed, in ma[illegible]erum, aliud alii Natura iter oſtendit. *S[illegible]lin. c.* 2.

Non

Oderunt peccare boni, Virtutis amore,
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Horat. l. 1. Epiſt.
Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata Virtus. Id. l. 4. Od. 9.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.
Juven. Sat. 8.
Nunquam ſtygias fertur ad umbras
Inclyta Virtus, vivite fortes,
Nec lethæos ſæva per amnes
Vos fata trahent. Sed cum ſummas
Exiget auras conſumta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.
Sen. in Herc. Oet.
Perge, age, vince omnem, miles, virtute laborem,
Et quantum humani poſſunt ſe tendere paſſus,
Arduus accelera. Sil. Ital. l. 12. bel. Pun.

VIS. VIOLENTIA.

NVlla vis eſt, quæ arma, pugnam, vulnera non habet. *Sen. l. 9. declam. 5.*

Nolite conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari. *Cic. pro Rabir.*

Vis abeſto; nihil enim exitioſius civitatibus, nihil tam contrarium juri & legibus, nihil minus civile & humanum, quam compoſita & conſtituta Repub. quicquam agi per vim. *Id. 3. de Leg. c. 18.*

Quid eſt, quod contra vim, ſine vi fieri poſſit? *Id. l. 12. Fam. ep. 3.*

Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem

nem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, a cor-
e, a capite, a vita ſua propulſarent. *Id. pro Mil.*
Tollitur e medio ſapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certatur, ſed maledictis.
nius l. 8. Annal.

VITA.

NIhil eſt tam fallax, quam vita humana, nihil tam inſidioſum: non mehercule quiſquam epiſſet, niſi daretur inſciis. *Sen. ad Marc.*

i velis credere altius veritatem intuentibus, nis vita ſupplicium eſt. *Id. ad Polyb. c. 28.*

rægternavigamus, mi Lucili, vitam: &, quem-
nodum in mari, ut ait Virgilius noſter:

—— *Terræque urbesque recedunt,*

in hoc curſu rapidiſſimi temporis, primum pu-
iam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, de-
quicquid eſt illud inter juvenem & ſenem
lium, in utriusque confinio poſitum; deinde
is ſenectutis optimos annos; noviſſime inci-
oſtendi publicus finis generis humani. *Sen.*
70.

Multi mortales, dediti ventri atque ſomno, octi, incultique, vitam ſicut peregrinantes ſiere. Quibus profecto contra naturam, cor- voluptati, anima oneri fuit, eorum ego vitam temque juxta æſtimo: quoniam de utraque ur. Verum enim vero, is demum mihi vive- tque frui anima videtur, qui aliquo negotio ntus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam rit. Sed, in magna copia rerum, aliud alii Na- iter oſtendit. *Salluſt. in Catilin. c. 2.*

Oderunt peccare boni, Virtutis amore,
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Horat. l. 1. Epiſt.
Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata Virtus. Id. l. 4. Od. 9.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.
Juven. Sat. 8.
Nunquam ſtygias fertur ad umbras
Inclyta Virtus, vivite fortes,
Nec lethæos ſæva per amnes
Vos fata trahent. Sed cum ſummas
Exiget auras conſumta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.
Sen. in Herc. Oet.
Perge, age, vince omnem, miles, virtute laborem,
Et quantum humani poſſunt ſe tendere paſſus,
Arduus accelera. Sil. Ital. l. 12. bel. Pun.

VIS. VIOLENTIA.

NUlla vis eſt, quæ arma, pugnam, vulnera non habet. *Sen. l. 9. declam. 5.*

Nolite conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari. *Cic. pro Rabir.*

Vis abeſto; nihil enim exitioſius civitatibus, nihil tam contrarium juri & legibus, nihil minus civile & humanum, quam compoſita & conſtituta Repub. quicquam agi per vim. *Id. 3. de Leg. c. 18.*

Quid eſt, quod contra vim, ſine vi fieri poſſit? *Id. l. 12. Fam. ep. 3.*

Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem

nem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, a corre, a capite, a vita ſua propulſarent. *Id. pro Mil.*

Tollitur e medio ſapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certatur, ſed maledictis.
nnius l. 8. Annal.

VITA.

NIhil eſt tam fallax, quam vita humana, nihil tam inſidioſum: non mehercule quiſquam ccepiſſet, niſi daretur inſciis. *Sen. ad Marc.*

Si velis credere altius veritatem intuentibus, mnis vita ſupplicium eſt. *Id. ad Polyb. c.* 28.

Præternavigamus, mi Lucili, vitam: &, quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noſter:

—— *Terræque urbesque recedunt,*

ic in hoc curſu rapidiſſimi temporis, primum pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quicquid eſt illud inter juvenem & ſenem medium, in utriusque confinio poſitum; deinde pſius ſenectutis optimos annos; noviſſime incipit oſtendi publicus finis generis humani. *Sen. epiſt.* 70.

Multi mortales, dediti ventri atque ſomno, indocti, incultique, vitam ſicut peregrinantes tranſiere. Quibus profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum ego vitam mortemque juxta æſtimo: quoniam de utraque ſiletur. Verum enim vero, is demum mihi vivere, atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. Sed, in magna copia rerum, aliud alii Natura iter oſtendit. *Salluſt. in Catilin. c.* 2.

Oderunt peccare boni, Virtutis amore,
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Horat. l. 1. Epiſt.

Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata Virtus. Id. l. 4. Od. 9.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.

Juven. Sat. 8.

Nunquam ſtygias fertur ad umbras
Inclyta Virtus, vivite fortes,
Nec letheos ſæva per amnes
Vos fata trahent. Sed cum ſummas
Exiget auras conſumta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.

Sen. in Herc. Oet.

Perge, age, vince omnem, miles, virtute laborem,
Et quantum humani poſſunt ſe tendere paſſus,
Arduus accelera. Sil. Ital. l. 12. bel. Pun.

VIS. VIOLENTIA.

NVlla vis eſt, quæ arma, pugnam, vulnera non habet. *Sen. l. 9. declam. 5.*

Nolite conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari. *Cic. pro Rabir.*

Vis abeſto; nihil enim exitioſius civitatibus, nihil tam contrarium juri & legibus, nihil minus civile & humanum, quam compoſita & conſtituta Repub. quicquam agi per vim. *Id. 3. de Leg. c. 18.*

Quid eſt, quod contra vim, ſine vi fieri poſſit? *Id. l. 12. Fam. ep. 3.*

Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem

nem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, a corre, a capite, a vita ſua propulſarent. *Id. pro Mil.*

Tollitur e medio ſapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certatur, ſed maledictis.

nius l. 8. Annal.

VITA.

NIhil eſt tam fallax, quam vita humana, nihil tam inſidioſum: non mehercule quisquam cepiſſet, niſi daretur inſciis. *Sen. ad Marc.*

Si velis credere altius veritatem intuentibus, mnis vita ſupplicium eſt. *Id. ad Polyb. c. 28.*

Præternavigamus, mi Lucili, vitam: &, quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noſter:

—— *Terræque urbesque recedunt,*

ic in hoc curſu rapidiſſimi temporis, primum pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quicquid eſt illud inter juvenem & ſenem medium, in utriusque confinio poſitum; deinde pſius ſenectutis optimos annos; noviſſime incipit oſtendi publicus finis generis humani. *Sen. epiſt. 70.*

Multi mortales, dediti ventri atque ſomno, indocti, incultique, vitam ſicut peregrinantes tranſiere. Quibus profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum ego vitam mortemque juxta æſtimo: quoniam de utraque ſiletur. Verum enim vero, is demum mihi vivere, atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. Sed, in magna copia rerum, aliud alii Natura iter oſtendit. *Salluſt. in Catilin. c. 2.*

Oderunt peccare boni, Virtutis amore,
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Horat. l. 1. Epiſt.
Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata Virtus. Id. l. 4. Od. 9.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.
Juven. Sat. 8.
Nunquam ſtygias fertur ad umbras
Inclyta Virtus, vivite fortes,
Nec lethæos ſæva per amnes
Vos fata trahent. Sed cum ſummas
Exiget auras conſumta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.
Sen. in Herc. Oet.
Perge, age, vince omnem, miles, virtute laborem,
Et quantum humani poſſunt ſe tendere paſſus,
Arduus accelera. Sil. Ital. l. 12. bel. Pun.

VIS. VIOLENTIA.

NVlla vis eſt, quæ arma, pugnam, vulnera non habet. *Sen. l. 9. declam.* 5.

Nolite conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari. *Cic. pro Rabir.*

Vis abeſto; nihil enim exitioſius civitatibus, nihil tam contrarium juri & legibus, nihil minus civile & humanum, quam compoſita & conſtituta Repub. quicquam agi per vim. *Id. 3. de Leg. c. 18.*

Quid eſt, quod contra vim, ſine vi fieri poſſit? *Id. l. 12. Fam. ep. 3.*

Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem

nem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, a cor-
re, a capite, a vita ſua propulſarent. *Id. pro Mil.*

Tollitur e medio ſapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certatur, ſed maledictis.

nius l. 8. Annal.

Vita.

Nihil eſt tam fallax, quam vita humana, nihil tam inſidioſum: non mehercule quisquam cepiſſet, niſi daretur inſciis. *Sen. ad Marc.*

Si velis credere altius veritatem intuentibus, nnis vita ſupplicium eſt. *Id. ad Polyb. c.* 28.

Præternavigamus, mi Lucili, vitam: &, quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noſter:

—— *Terræque urbesque recedunt,*

ic in hoc curſu rapidiſſimi temporis, primum pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quicquid eſt illud inter juvenem & ſenem medium, in utriusque confinio poſitum; deinde pſius ſenectutis optimos annos; noviſſime incipit oſtendi publicus finis generis humani. *Sen. epiſt.* 70.

Multi mortales, dediti ventri atque ſomno, indocti, incultique, vitam ſicut peregrinantes tranſiere. Quibus profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum ego vitam mortemque juxta æſtimo: quoniam de utraque ſiletur. Verum enim vero, is demum mihi vivere, atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. Sed, in magna copia rerum, aliud alii Natura iter oſtendit. *Salluſt. in Catilin. c.* 2.

Oderunt peccare boni, Virtutis amore,
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.
Horat. l. 1. Epiſt.
Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata Virtus. Id. l. 4. Od. 9.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.
Juven. Sat. 8.
Nunquam ſtygias fertur ad umbras
Inclyta Virtus, vivite fortes,
Nec lethæos ſæva per amnes
Vos fata trahent. Sed cum ſummas
Exiget auras conſumta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.
Sen. in Herc. Oet.
Perge, age, vince omnem, miles, virtute laborem,
Et quantum humani poſſunt ſe tendere paſſus,
Arduus accelera. Sil. Ital. l. 12. bel. Pun.

VIS. VIOLENTIA.

NVlla vis eſt, quæ arma, pugnam, vulnera non habet. *Sen. l. 9. declam. 5.*

Nolite conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari. *Cic. pro Rabir.*

Vis abeſto; nihil enim exitioſius civitatibus, nihil tam contrarium juri & legibus, nihil minus civile & humanum, quam compoſita & conſtituta Repub. quicquam agi per vim. *Id. 3. de Leg. c. 18.*

Quid eſt, quod contra vim, ſine vi fieri poſſit? *Id. l. 12. Fam. ep. 3.*

Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem

omnem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent. *Id. pro Mil.*

Tollitur e medio ſapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certatur, ſed maledictis.

Ennius l. 8. Annal.

Vita.

Nihil eſt tam fallax, quam vita humana, nihil tam inſidioſum: non mehercule quisquam accepiſſet, niſi daretur inſciis. *Sen. ad Marc.*

Si velis credere altius veritatem intuentibus, omnis vita ſupplicium eſt. *Id. ad Polyb. c.* 28.

Præternavigamus, mi Lucili, vitam: &, quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noſter:

—— *Terræque urbesque recedunt,*

Sic in hoc curſu rapidiſſimi temporis, primum pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quicquid eſt illud inter juvenem & ſenem medium, in utriusque confinio poſitum; deinde ipſius ſenectutis optimos annos; noviſſime incipit oſtendi publicus finis generis humani. *Sen. epiſt.* 70.

Multi mortales, dediti ventri atque ſomno, indocti, incultique, vitam ſicut peregrinantes tranſiere. Quibus profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum ego vitam mortemque juxta æſtimo: quoniam de utraque ſiletur. Verum enim vero, is demum mihi vivere, atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. Sed, in magna copia rerum, aliud alii Natura iter oſtendit. *Salluſt. in Catilin. c.* 2.

Non eſt bonum vivere, ſed bene vivere. *Sen. l. 3. de Benef. c. 31.*

Non eſt quod quenquam propter canos aut rugas putes diu vixiſſe; non enim ille diu vixit, ſed diu fuit. *Id. de brev. vit. c. 8.*

Quomodo fabula, ſic vita: non quam diu, ſed, quam bene acta ſit, refert. *Id. ep. 77.*

Non eſt poſitum bonum vitæ in ſpatio ejus, ſed in uſu: poteſt fieri, imo ſæpe fit, ut qui diu vixit, parum vixerit. *Id. ep. 49.*

Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris. Si illud quod maxime eſt opus jactu, non cadit, illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas neceſſe eſt. *Ter. in Adelph.*

—— Properat curſu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.
Duræ peragunt penſa Sorores,
Nec ſua retro fila revolvunt. Sen. in Herc. Fur.

Stat ſua cuique dies, breve, & irreparabile tempus,
Omnibus eſt vitæ. Virg. l. 10. Æn.

Vitæ ſumma brevis, ſpem nos vetat incboare longam,
Jam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia. Horat. l. 1. Od. 4.

—— Feſtinat enim decurrere velox
Floſculus, anguſtæ miſeræque breviſſima vitæ
Portio: dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.
Juven. Sat. 9.

Heu heu fugaces, Poſthume, Poſthume,
Labuntur anni! nec pietas moram
Rugis, & inſtanti ſenectæ
Adfert, indomitæque morti. Hor. l. 2. Od. 14.

Huc

Huc adverte aures, currit mortalibus ævum,
Nec naſci bis poſſe datur, fugit hora.

Sil. Ital. l. 15. Bel. Pun.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundiſſime Martialis, hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta;
Non ingratus ager focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Convictus facilis, ſine arte menſa,
Nox non ebria, ſed ſoluta curis,
Non triſtis thorus, attamen pudicus;
Somnus, qui faciat breves tenebras,
Quod ſis eſſe velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

Martial. l. 10. Epigr.

Vitium.

Vitia erunt, donec homines. Sed neque hæc continua; & meliorum interventu penſantur. *Tac. 4. Hiſt. c. 74.*

Erras, ſi exiſtimas, noſtri ſeculi eſſe vitium luxuriam, & negligentiam boni moris, & alia quæ objicit ſuis quisque temporibus. Hominum ſunt iſta, non temporum: nulla ætas vacuit a culpa. Et, ſi æſtimare licentiam cujusque ſeculi incipias, pudet dicere, nunquam apertius, quam coram Catone peccatum eſt. *Sen. ep.* 117.

Cui tandem vitio advocatus defuit? *Idem 2. de Ira c.* 14.

Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur. In his

his magno periculo erratur: his magnas notas imprime. *Sen. ep. 45.*

Quisnam hominum eſt, quem tu contentũ videris uno
Flagitio? Juven. Sat. 13.
—— Deniq; teipſum
Concute, num, qua tibi vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Horat. l. 1. Sat. 3.

Sed quia cæcus ineſt vitiis amor, omne futurum
Deſpicitur, ſuadent brevem præſentia fructum,
Et ruit in vetitum damni ſecura libido.

Claud. l. 2. in Eutrop.

Auriculas aſini quis non habet? Pers. Sat. 1.
Nam vitiis nemo ſine naſcitur. Optimus ille,
Qui minimis urgetur. Horat. l. 1. Sat. 3.

VMBRA.

CORpus in lumine utique umbram facit, & umbra ubicunque eſt, ibi eſſe corpus oſtendit. *Quintil l. 5. c. 10.*

VOLVNTAS.

VOluntas eſt, quæ quid cum ratione deſiderat. Quæ autem adverſa ratione incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrænata, quæ in omnibus ſtultis invenitur. *Cic. 3. Tuſc. quæſt. c. 6.*

Quoniam id fieri quod vis, non poteſt, velis id quod poſſit. *Ter. in Andr.*

Non licet hominem eſſe ſæpe ut vult, ſi res non ſinit. *Id. in Heaut.*

Pars magna bonitatis eſt, velle fieri bonum. *Sen. ep. 34.*

Non omnes ad bonum propoſitum eaſdem adferunt

ferunt vires, easdem facultates, eandem fortunam, quæ optimorum quoque conſiliorum exitus temperat. *Idem l.5. de Benef. c. 12.*

Quod ſi quis exiſtimat, me aut voluntate eſſe mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. Mihi, quod potuit vis, & injuria, ſceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abſtulit, diſſipavit; quod viro forti adimi non poteſt, id manet, & permanebit. *Cic. Orat. poſt. red. in Sen.*

Verum, ita eſt: Quot homines, tot ſententiæ: ſuus cuique mos. *Terent. in Phorm.*

Vt deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror eſſe Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat cæſo non minus agna bove.

Ovid. l. 3. de Ponto.

Quod ſi deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis & voluiſſe ſat eſt.

Propert. l. 2.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus.
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini:
Hic ſatur iriguo mavult turgeſcere ſomno:
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem eſt putris. Perſius Sat. 5.

VOLVPTAS.

Voluptas bonum pecoris eſt. *Sen. ep. 92.*

Quid mihi voluptatem nominas? Hominis bonum quæro, non ventris, qui pecudibus ac belluis laxior eſt. *Idem de vita beata c. 9.*

Quid dubitatis dicere bene eſſe homini, ſi palato be-

TURPITUDO.

AN eſt ullum majus malum turpitudine? quæ, ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis, quanta illa depravatio & fœditas turpificati animi debet videri? *Cic 3. Offic. c.29.*

Liber is eſt exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſervit. *Cic. ad Heren l.4.c.17.*

Quod turpe eſt, id quamvis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt. *Cic 3.Offic.c.19.*

TYRANNUS.

NEque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ, firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, malis conſultis, animus dilaceretur. Quippe Tiberium, non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuasque ipſe pœnas fateretur. *Tac. 6. Ann.c. 6.*

Sub Tyranno dicere quod velis, periculoſum: quod nolis, miſerum eſt. *Plin. l. 8 ep.14.*

Sub Tiberio hæc quoque capitalia: circa Auguſti ſimulacrum ſervum cecidiſſe: veſtimenta mutaſſe: numo vel annulo effigiem impreſſam, latrinæ aut lupanari intuliſſe, dictum ullum factumve ejus exiſtimatione aliqua læſiſſe. Periit denique & is, qui honores in colonia ſua, eodem die decerni ſibi paſſus eſt, quo decreti & Auguſto olim erant. *Sueton. in Tib. c.58.*

Cuncta imperia crudelia, magis acerba quam diuturna arbitror, neq; quenquam a multis metuendũ eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam, bellum æternum atq; anceps gerere: quoniam neque adverſus, neque a tergo, aut lateribus

ribus tutus ſis: ſemper in periculo aut metu agites. *Salluſt orat. 1 de Rep. ordin.*

—— Victima haud ulla amplior
Poteſt, magisq; opima mactari Jovi
Quam Rex iniquus. Sen. in Herc. Fur.

Ad generum Cereris, ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.
Juven. Sat. 10.

—— Præcipites
Regum caſus fortuna rotat,
Metui cupiunt, metuique timent,
Non nox illis alma receſſus
Præbet tutos: non curarum
Somnus domitor pectora ſolvit.
Sen. in Agamem.

Qui terret, plus ipſe timet ſors iſta tyrannis
Convenit. invideant claris fortesque trucident,
Muniti gladiis vivant, ſeptique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.
Claud. de 4. Honor. Conſul.

VENIA.

VEnia eſt pœnæ debitæ remiſſio. *Sen. declam.*

Magna pars hominum eſt, quæ non peccatis iraſcitur, ſed peccantibus. Faciet nos moderatiores reſpectu noſtri, ſi conſuluerimus nos, nunquid & ipſi tale quid commiſimus? nunquid ſic erravimus? *Sen. 2. de Ira c. 28.*

Gratisſimum genus veniæ, neſcire quid quisq; peccaſſet. *Sen. l. 2. de Ira c. 23.*

Noſtrapte culpa facimus, ut malis expediat eſſe; dum nimium dici nos bonos ſtudemus & benignos. *Terent. in Phorm.*

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius. Æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem, reddere rurſus.
Horat. l. 1. Sat. 3.

VER.

ARborum flos, eſt pleni veris indicium, & anni renaſcentis flos, gaudium arborum. Tunc ſe novas, aliasque quam ſunt, oſtendunt: tunc variis colorum picturis, in certamen usque luxuriant. *Plin. l. 16. N. H. c. 25.*

Solvitur acris hyems, grata vice veris & Favoni:
Trahuntque ſiccas machinæ carinas,
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna,
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes,
Alterno terram quatiunt pede. Hor. l. 1 Od. 4.
Vere nitent terræ, vere remiſſus ager.
Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt:
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.
Ovid. l. 4. Faſt.

VERITAS.

DAndum ſemper eſt tempus; veritatem dies aperit. *Sen. 2. de Ira c. 22.*

O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias, facile ſe per ſeipſam, defendit. *Cic. pro M. Cælio.*

Multa adſolet veritas veſtigia præbere ſui. *Liv. l. 40. c. 14.*

Gratias ago providentiæ divinæ, quæ nunquam ita opprimi vult veritatem, ut non magnis ſuis veſtigiis emineat. *Sen. Declam. 322.*

Nam-

Namque hoc tempore, obſequium amicos, veritas odium parit. *Ter. in Andr.*

Ego verum amo, verum volo dici mihi: mendacem odi. *Plaut. in Moſtel.*

Quid verba quæris? Veritas odit moras.

Sen. in Oedipo.

Oras Gallice me, rogasque ſemper,
Durum eſt me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergo quid ſit audi:
Verum Gallice non libenter audis.

Martial. l. 8. Epigr.

Dic verum mihi, Marce dic amabo,
Nil eſt quod magis audiam libenter.

Idem ibid.

Vestis.

Mundæ veſtis electio appetenda eſt homini, natura enim homo mundum & elegans animal eſt. *Sen. ep. 92.*

Locupletiſſimi veſte diſtinguuntur, non fluitante, ſicut Sarmatæ ac Parthi, ſed ſtricta, & ſingulos artus exprimente. *Tacit de mor. c. 17.*

Poſſumus veſtiri ſine commercio Serum; poſſumus habere uſibus noſtris neceſſaria, ſi contenti fuerimus his, quæ terra poſuit in ſumo. *Sen. ep. 90.*

Quid ſi contigiſſet illi videre has noſtri temporis telas, quibus veſtis nihil celatura conficitur; in qua non dico, nullum corpori auxilium, ſed nullum pudori eſt? *Idem ibid.*

Quemadmodum ſtultus eſt, qui emturus equum, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus, & frænos. Sic ſtultisſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ modo veſtis nobis circumdata eſt, æſtimandum putat. *Macrob. l. 1. Saturn. c. 11.*

Alia

Alia veſtis ſapienti ac probo viro magis convenit, quam alia, nec ullum colorem ille odit, ſed aliquem putat parum aptum eſſe frugalitatem profeſſo. *Sen. ep.* 51.

Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut denique pudor poſſit: quibus ſumtis mulier parum liquido nudam ſe non eſſe jurabit. Hæc ingenti ſumma, ab ignotis etiam ad commercium gentibus, accerſuntur, ut matronæ noſtræ, ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo, quam in publico oſtendant. *Idem. l. 7. de Benef. c. 9.*

VICINUS.

ILlud Catonis humanisſimum, & utiliſſimum: id agendum, ut diligant vicini. *Plin. l.* 18. *N. H. c. 6.*

Heu miſero mihi! Nunc ego verum illud verbum eſſe experior vetus: Aliquid mali eſſe, propter vicinum malum. *Plaut. in Mercat.*

Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium, & nunquam ſanabile vulnus.

Juven. Sat. 15.

Ad te poſt paulo ventura pericula ſentis,
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta ſolent incendia ſumere vires.

Horat. l. 1 Epiſt.

—— *Dedit hanc contagio labem,*
Et dabit in plures. Sicut grex totus in agris,
Unius ſcabie cadit, & porrigine porci,
Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva.

Juven. Sat. 2.

VICISSITUDO.

HEus! omnium rerum viciſſitudo eſt. *Ter. in Eun.*

Obſer-

Obſerva orbem rerum in ſe remeantium, videbis in hoc mundo nihil extingui, ſed vicibus deſcendere ac reſurgere. Æſtas abit, ſed alter annus illam adducit. Hyems cecidit, referent illam ſui menſes. Solem nox obruit, ſed ipſam ſtatim dies abiget. Stellarum iſte diſcurſus, quicquid præteriit, repetit: pars cœli levatur aſſidue, pars mergitur. *Sen. ep. 86.*

Nam in hominum ætate multa eveniunt hujusmodi. Capiunt voluptates, mox rurſum miſerias. Iræ interveniunt, redeunt rurſum in gratiam. Verum iræ ſi quæ forte eveniunt hujusmodi inter eos, rurſum ſi reventum in gratiam eſt, bis tanto amici ſunt inter ſe, quam prius. *Plaut. in Amphitr.*

—— Vicibusque recedit
Aut redit, atque alio mutatur tempore tempus,
Interpellatum variata ſorte dierum.

Manil. l. 3. Aſtron.

VICTORIA.

INſperata interdum, ſperata victoria certior eſt. *Juſtin. l. 20. c. 5.*

Bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, easque detrahere Ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ ſint Imperatorum. *Cic. pro M. Marcel.*

Res humanæ ita ſe habent: in victoria vel ignavis gloriari licet: adverſæ res, etiam bonos detrectant. *Salluſt. in Jugurth. c. 53.*

Cede repugnanti, cedendo victor abibis.

Ovid. l. 2. de Arte.

Cum victor arma poſuit, & victum decet
Deponere odia. Sen. in Herc. Fur.

Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Virg. l. 2. Æn. *Quod-*

Quodcunque lubuit, facere victori licet.
Sen. in Troade.

VINDICTA.

EST ulciſcendi, & puniendi modus. *Cic. 1. Offic. cap. 11.*

Vltio duas res præſtare ſolet: aut ſolatium affert ei, qui accipit injuriam, aut in reliquum ſecuritatem. Principis major eſt fortuna, quam ut tali ſolatio egeat; manifeſtiorque vis, quam ut alieno malo, opinionem ſibi virium pariat. *Sen. 1. de Clem. c. 21.*

M. Catonem quidam in balneo percuſſit imprudens: quis enim illi ſciens faceret injuriam? poſtea ſatisfacienti, Cato, non memini, inquit, percuſſum me. Melius putavit non agnoſcere, quam vindicare. Nihil, inquis, poſt tantam petulantiam mali factum eſt? imo multum boni. Cœpit Catonem noſſe. Magni animi eſt injurias deſpicere, ultionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur ultio. Multi leves injurias altius ſibi demiſere, dum vindicant: ille magnus, & nobilis eſt, qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum ſecurus exaudit. *Idem 2. de Ira c. 32.*

At vindicta bonum, vita jucundius ipſa.
Juven. Sat. 13.

At tu ne dubita, minuet vindicta dolorem.
Ovid. l. 1. eleg.

VINUM.

VIno aluntur vires, ſanguis, colorque hominum. Vino modico nervi juvantur, copioſiore læduntur. Sic & oculi. Stomachus recreatur: appetentia ciborum invitatur: triſtitia & cura

cura hebetatur: urina & algor expellitur: ſomnus conciliatur: præterea vomitiones ſiſtit: collectiones extra lanis humidis impoſitis mitigat. Aſclepiades utilitatem vini æquari vix Deorum potentia poſſe pronunciavit. *Plin. l.23.H.N.c.*1.

Fons & ignitabulum ingeniique virtutisque, ſi mens & corpus hominis vino flagret. *Macrob.* 2. *Saturn. c.* 8.

Quo generoſius vinum eſt, hoc magis veſtutate craſſeſcit, & in amaritudinem corpori minime utilem coït. Condire eo aliud minus annoſum, inſalubre eſt. *Plin. l.* 23.*N.H.c.* 1.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino ſæpe ſuum neſcit amica virum.

Propert. l.2.el.23.

VIRGO.

VIrgo formoſa, etſi ſit oppido pauper, tamen abunde dotata eſt. Affert quippe ad maritum, novam animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum. Ipſa virginitatis commendatio, jure meritoque omnibus maritis acceptiſſima eſt. Nam quodcunque aliud in dotem acceperis, potes, cum libuit, ne ſis beneficio obſtrictus, omne, ut acceperas, retribuere: pecuniam renumerare, mancipia reſtituere, domo demigrare, prædiis cedere. Sola virginitas, cum ſemel accepta eſt, reddi nequitur: ſola apud maritum ex rebus dotalibus manet. *Apul. in Apol.*

VIRTUS.

VIrtus convenientia conſtat: omnia opera ejus, cum ipſa concordant, & congruunt. *Sen. ep.* 84.

Diſcenda virtus eſt: nemo eſt caſu bonus. *Idem ep.*123.

Quæ

Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent. *Salluſt. in Catilin c.* 11.

Non, ut quibusdam dictum eſt, arduum in virtutes iter & aſperum eſt: plano adeuntur. Non vanæ vobis autor rei venio, facilis eſt ad beatam vitam via: inite modo bonis auſpiciis, ipſisq; Diis bene juvantibus. *Sen. l.* 2. *de Ira c.* 13.

Virtus præmium eſt optimum: Virtus omnibus rebus anteit profecto. Libertas, ſalus, vita, res, parentes, patria & prognati tutantur, ſervantur. Virtus omnia in ſe habet, omnia aſſunt bona, quem penes eſt virtus. *Plaut. in Amphitr*

Non ex ebore tantum Phidias ſciebat facere ſimulacra, faciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes fecifſet, quale ex illa fieri optimum poſſet. Sic Sapiens virtutem, ſi licebit, in divitiis explicabit; ſi minus, in paupertate. Si poterit, in patria; ſi minus, in exilio. Si poterit, imperator; ſi minus, miles. Si poterit, integer; ſi minus, debilis. Quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex ipſa memorabile efficiet. *Sen. epiſt.* 85.

Virtus extollit hominem, & ſupra chara mortalibus collocat: nec ea quæ bona, nec ea quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expaveſcit. *Idem epiſt.* 87.

Virtuti nullum theatrum majus conſcientia eſt. *Cic.* 2. *Tuſc. quæſt. c.* 26.

In eodem pectore nullum eſt honeſtorum turpiumque conſortium: & cogitare optima ſimul ac deterrima, non magis eſt unius animi, quam ejusdem hominis, bonum eſſe ac malum. *Quintil. l.* 12. *Inſtit. c.* 1.

Vir-

— *Virtus medio jacet obruta cœno,*
Nequitiæ claſſes candida vela vehunt.

Petronius.

Et genus, & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.

Horat. l. 2 Sat. 5.

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum.

Id. l. 1 Epiſt.

Gratior eſt pulchro veniens e corpore virtus.

Virg. l. 5. Æn.

Ipſa quidem Virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.
Hanc tamen in vitam blande veſtigat, & ultro
Ambit honor, docuit toties a rure profectus
Lictor, & in mediis Conſul quæſitus aratris.

Claud. in Conſ. Manlii Theod.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus.
Nec ponit, aut ſumit ſecures,
Arbitrio popularis auræ.

Horat. l. 3. Od. 2.

Sed locum Virtus habet inter aſtra.
Vere dum flores venient tepenti,
Et comam ſylvis hyemes recident,
Vel comam ſylvis revocabit æſtas,
Pomaque autumno fugiente cadent,
Nulla te terris rapiet vetuſtas:
Tu Comes Phœbo, comes ibis aſtris.

Sen. in Hercul. Oet.

Oderunt peccare boni, Virtutis amore,
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ.

Horat. l. 1. Epiſt.

Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata Virtus. Id. l. 4. Od. 9.
Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culeus unus.

Juven. Sat. 8.

Nunquam ſtygias fertur ad umbras
Inclyta Virtus, vivite fortes,
Nec lethæos ſæva per amnes
Vos fata trahent. Sed cum ſummas
Exiget auras conſumta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.

Sen. in Herc. Oet.

Perge, age, vince omnem, miles, virtute laborem,
Et quantum humani poſſunt ſe tendere paſſus,
Arduus accelera. Sil. Ital. l. 12. bel. Pun.

VIS. VIOLENTIA.

NVlla vis eſt, quæ arma, pugnam, vulnera non habet. *Sen. l. 9. declam. 5.*

Nolite conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari. *Cic. pro Rabir.*

Vis abeſto; nihil enim exitioſius civitatibus, nihil tam contrarium juri & legibus, nihil minus civile & humanum, quam compoſita & conſtituta Repub. quicquam agi per vim. *Id. 3. de Leg. c. 18.*

Quid eſt, quod contra vim, ſine vi fieri poſſit? *Id. l. 12. Fam. ep. 3.*

Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut

omnem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent. *Id. pro Mil.*

Tollitur e medio ſapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certatur, ſed maledictis.

Ennius l. 8. Annal.

VITA.

NIhil eſt tam fallax, quam vita humana, nihil tam inſidioſum: non mehercule quisquam accepiſſet, niſi daretur inſciis. *Sen. ad Marc.*

Si velis credere altius veritatem intuentibus, omnis vita ſupplicium eſt. *Id. ad Polyb. c.* 28.

Præternavigamus, mi Lucili, vitam: &, quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noſter:

—— *Terræque urbesque recedunt,*

Sic in hoc curſu rapidiſſimi temporis, primum pueritiam abſcondimus, deinde adoleſcentiam, deinde quicquid eſt illud inter juvenem & ſenem medium, in utriusque confinio poſitum; deinde ipſius ſenectutis optimos annos; noviſſime incipit oſtendi publicus finis generis humani. *Sen. epiſt.* 70.

Multi mortales, dediti ventri atque ſomno, indocti, incultique, vitam ſicut peregrinantes tranſiere. Quibus profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum ego vitam mortemque juxta æſtimo: quoniam de utraque ſiletur. Verum enim vero, is demum mihi vivere, atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. Sed, in magna copia rerum, aliud alii Natura iter oſtendit. *Salluſt. in Catilin. c.* 2.

Non eſt bonum vivere, ſed bene vivere. *Sen. l.* 3. *de Benef. c.* 31.

Non eſt quod quenquam propter canos aut rugas putes diu vixiſſe; non enim ille diu vixit, ſed diu fuit. *Id. de brev. vit. c.* 8.

Quomodo fabula, ſic vita: non quam diu, ſed, quam bene acta ſit, refert. *Id. ep.* 77.

Non eſt poſitum bonum vitæ in ſpatio ejus, ſed in uſu: poteſt fieri, imo ſæpe fit, ut qui diu vixit, parum vixerit. *Id. ep.* 49.

Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris. Si illud quod maxime eſt opus jactu, non cadit, illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas neceſſe eſt. *Ter. in Adelph.*

—— *Properat curſu*
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni.
Duræ peragunt penſa Sorores,
Nec ſua retro fila revolvunt. Sen. in Herc. Fur.

Stat ſua cuique dies, breve, & irreparabile tempus,
Omnibus eſt vitæ. Virg. l. 10. Æn.

Vitæ ſumma brevis, ſpem nos vetat inchoare longam,
Jam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia. Horat. l. 1. Od. 4.

—— *Feſtinat enim decurrere velox*
Floſculus, anguſtæ miſeræque breviſſima vitæ
Portio: dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.
Juven. Sat. 9.

Heu heu fugaces, Poſthume, Poſthume,
Labuntur anni! nec pietas moram
Rugis, & inſtanti ſenectæ
Adfert, indomitæque morti. Hor. l. 2. Od. 14.

Huc

Huc adverte aures, currit mortalibus ævum,
Nec naſci bis poſſe datur, fugit hora.

Sil. Ital. l. 15. Bel. Pun.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundiſſime Martialis, hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta;
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Convictus facilis, ſine arte menſa,
Nox non ebria, ſed ſoluta curis,
Non triſtis thorus, attamen pudicus;
Somnus, qui faciat breves tenebras,
Quod ſis eſſe velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

Martial. l. 10. Epigr.

Vitium.

Vitia erunt, donec homines. Sed neque hæc continua; & meliorum interventu penſantur. *Tac. 4. Hiſt. c. 74.*

Erras, ſi exiſtimas, noſtri ſeculi eſſe vitium luxuriam, & negligentiam boni moris, & alia quæ objicit ſuis quisque temporibus. Hominum ſunt iſta, non temporum: nulla ætas vacuit a culpa. Et, ſi æſtimare licentiam cujusque ſeculi incipias, pudet dicere, nunquam apertius, quam coram Catone peccatum eſt. *Sen. ep.* 117.

Cui tandem vitio advocatus defuit? *Idem 2. de Ira c.* 14.

Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur. In his

his magno periculo erratur: his magnas notas imprime. *Sen. ep.* 45.

Quisnam hominum eſt, quem tu contentū videris uno
Flagitio? Juven. Sat. 13.

—— Deniq; teipſum
Concute, num, qua tibi vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Horat. l. 1. Sat. 3.

Sed quia cæcus ineſt vitiis amor, omne futurum
Deſpicitur, ſuadent brevem præſentia fructum,
Et ruit in vetitum damni ſecura libido.

Claud. l. 2. in Eutrop.

Auriculas aſini quis non habet? Pers. Sat. 1.
Nam vitiis nemo ſine naſcitur. Optimus ille,
Qui minimis urgetur. Horat. l. 1. Sat. 3.

Umbra.

Corpus in lumine utique umbram facit, & umbra ubicunque eſt, ibi eſſe corpus oſtendit. *Quintil l. 5. c. 10.*

Voluntas.

Voluntas eſt, quæ quid cum ratione deſiderat. Quæ autem adverſa ratione incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrænata, quæ in omnibus ſtultis invenitur. *Cic. 3. Tuſc. quæſt. c. 6.*

Quoniam id fieri quod vis, non poteſt, velis id quod poſſit. *Ter. in Andr*

Non licet hominem eſſe ſæpe ut vult, ſi res non ſinit. *Id. in Heaut.*

Pars magna bonitatis eſt, velle fieri bonum. *Sen. ep. 34.*

Non omnes ad bonum propoſitum easdem ad-

ferunt

ferunt vires, easdem facultates, eandem fortunam, quæ optimorum quoque conſiliorum exitus temperat, *Idem l.5. de Benef. c. 12.*

Quod ſi quis exiſtimat, me aut voluntate eſſe mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. Mihi, quod potuit vis, & injuria, ſceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abſtulit, diſſipavit; quod viro forti adimi non poteſt, id manet, & permanebit. *Cic. Orat. poſt. red. in Sen.*

Verum, ita eſt: Quot homines, tot ſententiæ: ſuus cuique mos. *Terent. in Phorm.*

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror eſſe Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat cæſo non minus agna bove.

Ovid. l. 3. de Ponto.

Quod ſi deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis & voluiſſe ſat eſt.

Propert. l. 2.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus.
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini:
Hic ſatur iriguo mavult turgeſcere ſomno:
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem eſt putris. Perſius Sat. 5.

VOLUPTAS.

Voluptas bonum pecoris eſt. *Sen. ep. 92.*

Quid mihi voluptatem nominas? Hominis bonum quæro, non ventris, qui pecudibus ac belluis laxior eſt. *Idem de vita beata c. 9.*

Quid dubitatis dicere bene eſſe homini, ſi palato be-

to bene eſt? Et hunc tu, non dico inter viros numeras, ſed inter homines, cujus ſum̃um bonum ſaporibus, ac coloribus, ac ſonis conſtat? Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo ac Diis ſecundo, mutis aggregetur animal pabulo natum. *Idem ep.92.*

Cito nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit, & tranſit, & pæne antequam veniat, aufertur. *Sen. ad Polyb.c. 29.*

Voluptas cum maxime delectat, extinguitur. *Id. de vit. beata c. 7.*

Voluptas fragilis eſt, & brevis: faſtidit objecta: quo avidius hauſta eſt, citius in contrarium recidens, cujus ſubinde neceſſe eſt, aut pœniteat, aut pudeat. *Id. 7. de Benef. c. 2.*

—— *Aſpice late*
Florentes quondam luxus quas verterit urbes.
Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te ſemper volitans infamia pennis.
Silius Ital. l. 15.

Nulla ſors longa eſt: dolor ac voluptas
Invicem cedunt: brevior voluptas.
Ima permutat brevis hora ſummis.
Sen. in Thyeſt.

— *Vsque adeo nulla eſt ſincera voluptas,*
Solicitumque aliquid lætis intervenit.
Ovid. l. 7. Metam.

Sperne voluptates, nocet emta dolore voluptas.
Horat. l. 1. epiſt.

—— *Trahit ſua quemque voluptas.* Virg. Ecl. 2.

VOTUM.

Votum.

Denique ſe quisque conſulat, & in ſecretum pectoris ſui recedat, & inſpiciat, quid tacitus optaverit. Quam multa ſunt vota, quæ etiam ſibi fateri pudet? quam pauca, quæ facere coram teſte poſſimus? *Sen. 6. de Benef. c. 38.*

Tum præcipuus votorum locus eſt, cum ſpei nullus eſt. *Plin. l. 7. c. 16.*

Stultum eſt optare, quod poſſis impetrare. *Sen. ep. 41.*

Nemo non quotidie & conſilium mutat, & votum. *Id. ep. 120.*

Alius divitias quas optaverat, metuit, & voto laborat ſuo. *Id. ad Polyb c. 33.*

Vsvs.

Qvæ in uſu ſunt, & manum quotidie tactumque patiuntur, nunquam periculum ſitus adeunt: illa, quæ ad oculos non revocantur, ſed extra converſationem ut ſupervacua jacuerunt, ſordes colligunt vetuſtate. *Sen. 3. de Benef. c. 2.*

Ferreus aſſiduo conſumitur annulus uſu,
Interit aſſidua vomer aduncus humo.
Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius unda?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.

Ovid. l. 1. de Arte.

Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Horat. de Arte.

Adde quod eſt illis operum prudentia major,
Solus & artifices qui facit, uſus adeſt.

Ovid. l. 2. de Arte.

VTILITAS.

MVlta ex quo fuerint commoda, ejus incommoda æquum eſt ferre. *Terent. in Hec.*

Incommoda vitantis melior, quam commoda petentis, eſt cauſa. *Quintil. l. 7. Inſtit.* c. 4.

Turpe quidem dictu, ſed ſi modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura, quid expediat, prior eſt, quam quid ſit honeſtum,
Et cum fortuna ſtatq; caditque fides.
Nec facile invenies multis de millibus unum,
Virtutem pretium qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non movet, & gratis pœnitet eſſe probum.

Ovid. 1. de Ponto.

VVLGVS.

NOn eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: ſemperque ſapientes ea quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda duxerunt. *Cic. pro Planc.*

Vulgus vacuum curis, & ſine falſi veriq; diſcrimine, ſolitas adulationes edoctum. *Tacit. 4. Ann. cap.* 90

Vulgus mutabile ſubitis, & tam pronum in miſericordiam, quam immodicum ſævitia. *Idem 1. Hiſt. c.* 69.

Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor,
Impenſis cœnarum, & tritæ munere veſtis.

Horat. l. 1. Epiſt.

—— *Sævitque animis ignobile vulgus,*
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Virgil. l. 1. Æn.

VVLTVS.

TOtus homo in capite & vultu eſt. *Apul. l.1. de dogm. Plat.*

Vultu ſæpe læditur pietas, præclare a ſapientibus dictum. *Cic. pro Roſc.*

Cura ut aditus ad te diurni atque nocturni pateant, neque foribus ſolum ædium tuarum, ſed etiam vultu & fronte, quæ eſt animi janua. Quæ, ſi ſignificant voluntatem abditam eſſe & retruſam, parvi refert patere oſtium. *Idem de petit. Conſul.*

——— *Quid tacita verſas?*
Licet ipſa ſileas, totus in vultu eſt dolor.
Sen. in Agamem.

——— *Licet ipſa neges,*
Vultus loquitur quodcunque negas.
Idem in Herc. Oet.

Heu! quam difficile eſt, crimen non prodere vultu.
Ovid. l. 2. Metam.

Effari dubitas? cur genas mutat color?
Quid verba quæris? Sen. in Oedipo.

PRÆCEPTA
Artis Rhetoricæ.

NEmo puer unquam, in lectione Bonorum Autorum feliciter mihi verſabitur, nec quid, aut quomodo, quaque ſerie illi ſua enunciarint, aſſequetur, ſine Rhetoricæ artis præſidio. Præſtat amplius ea, ut puer quoque ipſe commode fari, ac ſcribere, audeat, incipiat: ut teneat, quibus rationibus ſermo fulciatur; quæ Schemata, vel acriorem, vel ampliorem, vel magis dilucidam aut jucundiorem reddant orationem. Docetur ſimul idem, connectendi normam, quibusque mediis efficiatur, ne commiſſura careant dicta aut ſcripta, referantque meram arenam ſine calce, aut male teſſellata pavimenta. Tum inſuper manifeſtum ei ſic evadit, quo pacto ea quæ apud Autores lecta, & ex iis excerpta fuere, in ſuccum quaſi & ſanguinem convertenda ſint. Denique, verbo, recte ac citra ſolœciſmos & barbariem loqui e Grammatica, ſcite, convenienterque loqui, e Rhetorica diſcendum. Iſtam ob cauſam, omnino neceſſe eſt, ut illius cognitionem, hujus ſtudium continuo excipiat, eamque methodum ſemper obſervarunt illi, qui liberos aut diſcipulos ſuos ſevera lege voluerunt proficere. Quod, cum meum quoque votum eſſet ardentiſſimum, mature Filio, hæc, quæ ſequuntur Rhetoricæ Præcepta, prolixe diligenterque, petitis undique exemplis, expoſui, ac poſtea memoriæ mandanda tradidi, eaq; maxime Joh. Gerhardus Voſſius V. C. in Partitionibus Oratoriis *ſuppeditavit.*

PRÆ-

PRÆCEPTA ARTIS RHETORICÆ.

LIBER I.

CAPUT I.

De Natura Rhetoricæ.

Rhetorica unde nomen habet?

RHetorica quæ Latinis Oratoria dicitur, nomen habet a ῥέω, id eſt, *dico*: quia ut Grammatica monſtrat viam bene ſive pure loquendi: ita Rhetorica docet bene dicere, ſive, prudenter, copioſe, ornateque loqui.

Quid eſt Rhetorica?

Rhetorica eſt facultas, videndi in unaquaque re, quod in ea ad perſuadendum idoneum.

Quis eſt finis Oratoris?

Finis Oratoris ultimus eſt perſuadere.

Quodnam eſt Officium Oratoris?

Officium Oratoris eſt videre, quid ad perſuadendum conducat: ſive dicere ad perſuadendum accommodate.

Quæ eſt Materia Oratoris?

Materia Oratoris eſt unaquæq; res; ſed imprimis Quæſtio civilis.

Quid eſt Quæſtio civilis?

Quæſtio civilis eſt, quæ æqui vel iniqui reſpectum

ctum aliquem involvit; eſtq; vel Theſis, vel Hypotheſis.

Quid eſt Theſis?

Theſis eſt quæſtio infinita ſive generalis, v. g. An liceat inſidiatorem interficere?

Quid eſt Hypotheſis?

Hypotheſis eſt quæſtio finita, ſive ſingularis, v.g. An jure Milo interfecerit Clodium?

Quæ ſunt partes Officii Oratorii?

Officii Oratorii partes ſunt quatuor; Argumenta invenire; Inventa, diſponere; Diſpoſita, exornare; & Exornata pronunciare.

Quot ſunt partes Rhetoricæ?

Pro quatuor partibus Officii Oratorii, totidem ſunt partes Rhetoricæ, Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, & Pronunciatio.

CAPUT II.

De Inventione.

Quid eſt Inventio?

INventio eſt excogitatio argumentorum, quæ ad perſuadendum idonea ſunt; & hæc argumenta Ariſtoteles vocat πίςεις, quod conducunt ad faciendam fidem.

Quotuplicia ſunt argumenta idonea ad perſuadendum?

Argumenta idonea ad perſuadendum ſunt triplicia: Rationes, Mores, & Affectus: atque Rationes valent ad docendum; Mores ad conciliandum; Affectus ad permovendum.

Cujus generis ſunt Rationes?

Rationes, ſive Argumenta primi generis, ſunt vel Artificialia, vel Inartificialia.

Quid

Quid ſunt Argumenta Artificialia?

Argumenta Artificialia dicuntur, quæ ab Oratore Artis beneficio inveniuntur. Suntque vel Logicæ cum Rhetorica communia, & petuntur e Locis Topicis; vel Rhetoricæ propria.

Quæ ſunt Argumenta Rhetoricæ propria?

Argumenta Rhetoricæ propria, varia ſunt, pro diverſis nimirum Generibus Cauſarum.

Quot ſunt genera Cauſarum?

Cauſarum genera ſunt tria: Demonſtrativum, Deliberativum, & Juridiciale.

CAPVT III.

De Genere Demonſtrativo.

Quid eſt genus Demonſtrativum?

GEnus demonſtrativum eſt, quo laudamus aut vituperamus. Ac præcipue reſpicit tempus præſens, aliquando futurum: uti cum laudem eventuram conjicimus: quandoque præteritum: uti cum facta commemorantur ſive viventium, ſive defunctorum.

Quid præcipue laudatur vel vituperatur?

Laus ac vituperatio omnis, vel Perſonæ eſt, vel Facti, vel Rei.

Ecquæ eſt Laus aut Vituperatio Perſonæ?

Laus aut Vituperatio Perſonæ eſt, cum perſonam aliquam laude aut vituperio proſequimur. v. g. Si laudes Ciceronem, vituperes Antonium. Et huc analogice refertur etiam laus & vituperium Brutorum.

Quinam ſunt Loci argumentorum, unde petitur laus alicujus Perſonæ?

Loci argumentorum unde petitur laus alicujus Perſonæ, ſunt: Genus, Patria, Natura tum corporis, tum animi; Fortuna, quæ divitias com-

plectitur & honores, aliaque; Inſtitutio, Actiones, & earum fundamenta Virtutes, Mors, Sepultura. Cui tamen hic Ordo Scholam redolet, poterit perſonam juxta certas virtutes laudare. Ita Cicero in Maniliana ait: Sumo Imperatori quatuor res oportere ineſſe, Scientiam rei militaris, Virtutem, Autoritatem, & Felicitatem. Atque ad quatuor iſta, omnes Pompeji laudes reducit.

Ecquæ eſt Laus aut Vituperatio Facti?

Laus aut Vituperatio facti eſt, cum factum aliquod laude aut vituperio proſequimur: v. g. Si laudes voluntarium M. Reguli ad hoſtes ſuos reditum: aut, ſi vituperes in Catone Vticenſi, quod manus ſibi intulerit, ne in poteſtatem Cæſaris veniret.

Quinam ſunt Loci argumentorum, unde petitur Laus alicujus Facti?

Loci Argumentorum, unde petitur laus alicujus Facti, ſunt vel Probationis, vel Amplificationis. Ad *Probationes* referuntur, Honeſtum, Vtile, Difficile. Ad *Amplificationes* pertinet, quod quis primus, ſolus, cum paucis, præcipue tempore maxime neceſſario, in laudem civitatis, & ſui honorem aliquid fecerit.

Ecquæ eſt Laus aut Vituperatio Rei?

Laus aut Vituperatio Rei eſt, cum rem aliquam laude aut vituperio proſequimur. v. g. Si laudes Eloquentiam, vel Agriculturam; aut vituperes vitium animi ingrati. Ad Res autem pertinent, Loca naturalia vel artificialia, Diſciplinæ omnes, item Virtutes & Vitia, necnon omnia arte facta.

Quinam ſunt Loci Argumentorum, unde petitur Laus alicujus Rei?

Loci Argumentorum unde petitur Laus alicujus

jus Rei, ſunt: Honeſtum, Vtile, Difficile, Neceſſarium, & Jucundum.

CAPVT IV
De Genere Deliberativo.

Quid eſt Genus Deliberativum?

GEnus Deliberativum eſt, quo ſuademus, vel disſuademus: v. g. Si ſuadeas pacem vel inducias; disſuadeas bellum; aut contra.

Quomodo inſtituitur Deliberatio?

Deliberatio omnis inſtituitur de futuris.

Quid præcipue conſideratur in Deliberatione?

In Deliberatione præcipue conſideratur, num aliquid utile ſit, vel inutile; item, an legitimum, id eſt, legibus & conſuetudini conſentaneum; Æquum & Pium; Neceſſarium, Jucundum, Poſſibile, Glorioſum; atque quem eventum habeat.

CAPVT V.
De Genere Juridiciali.

Quodnam eſt Genus Juridiciale?

GEnus Juridiciale eſt, quo accuſamus, vel defendimus. Sic Milo interempto Clodio, ab Amicis Clodii eſt accuſatus, a Cicerone vero defenſus: & hoc genus verſatur circa præterita.

Ecquæ ſunt argumenta Generis Juridicialis?

Argumenta generis juridicialis varia ſunt, pro Statuum diverſitate.

Quid eſt Status?

Status eſt quæſtio, ex prima cauſarum confli-ctione proveniens. Sive, Status in genere Juridiciali eſt, quod ex prima Accuſatoris intentione, & Rei depulſione, naſcitur. Ita accuſabatur Milo, quod Clodium occidiſſet. Milo fatebatur, ſe Clo-

ſe Clodium interemiſſe, ſed jure occiſum ajebat. Status igitur fuit, jurene an injuria Clodium interemerit Milo?

Quotuplex eſt Status?

Status eſt quadruplex: Conjecturalis, Finitivus, Qualitatis, & Quantitatis.

Quid eſt Status Conjecturalis?

Status Conjecturalis eſt, quo quæritur, an aliquid factum ſit nec ne. v. g. An Sextus Roſcius occiderit Patrem ſuum?

Vnde deſumuntur Argumenta in Statu Conjecturali?

Argumenta in Statu Conjecturali deſumuntur maxime a *Voluntate*, & *Facultate*. *Voluntas* probatur ab *affectibus*, ira, odio, amore. A *cauſis finalibus*, ſcilicet ſpe commodi, vel impunitatis. Ab *ingenio* & proprietatibus naturalibus, moribusq;. A *ſignis*, dictis videlicet & factis. *Facultas* vero probatur, a circumſtantiis Rerum & Perſonarum. Et huc pertinent vires corporis, animi promtitudo, copiæ, opes, locus, tempus, teſtes, rumores, tormenta.

Quid eſt Status Finitivus?

Status Finitivus eſt, quo de nomine Rei quæritur. Sive: Status Finitivus eſt, quo quæritur, an omnes adſint conditiones, quæ requiruntur, ut nomen quodpiam rei aut facto tribuatur, an vero quidpiam etiamnum deſit. v. g. Abſtuli quidem, ſed furtum non commiſi: proinde furtum erit definiendum.

Quid eſt Status Qualitatis?

Status Qualitatis eſt, quo quæritur, quale ſit factum: ſive, cum in controverſiam venit rei aut facti qualitas. v. g. Occidit quidem Clodium Milo, ſed jure id fecit. *Quo-*

Quotuplex eſt Status Qualitatis?

Status Qualitatis eſt duplex: 1. *Negotialis*, qui eſt de re futura, & ad genus Deliberativum pertinet. v. g. An utile ſit Athenienſes opem ferre Olynthiis a Philippo obſeſſis? 2. *Juridicialis*, qui eſt de re præterita; atque nititur vel ratione, qui idcirco *Rationalis* vocatur; vel a ſcripto vim accipit, qui *Legalis* dicitur, quia lex inter ſcripta præcipuum obtinet locum.

Quotuplex eſt Status Legalis?

Status Legalis eſt quadruplex: De Scripto & Sententia, Contrariarum Legum, Ratiocinationis, & ex Ambiguo.

Quid eſt Status de Scripto & Sententia?

Status de Scripto & Sententia eſt, quando litigantium pars una, verbis Legis, teſtamenti, aut pacti, altera vero ejusdem nititur ſententia.

Quid eſt Status Contrariarum Legum?

Status Contrariarum Legum eſt, cum vel duæ Leges, teſtamenta, aut pacta, inter ſe pugnant, aut pugnare ſaltem videntur: vel unius Legis, teſtamenti, pactive, duæ partes colliduntur; vel una eademque lex, teſtamentum, aut pactum, in caſu aliquo ſecum confligit.

Quid eſt Status Ratiocinationis?

Status Ratiocinationis eſt, cum res, de qua non eſt propria lege cautum, colligitur ex re ſimili, de qua ſtatutum eſt lege.

Quid eſt Status ex Ambiguo?

Status ex Ambiguo eſt, cum disceptatur, quo accentu vox legi debeat, aut quo verbum aliquod referri, aut qua ſignificatione ſumi oporteat.

Quid eſt Status Quantitatis?

Status Quantitatis eſt, quo de magnitudine rei diſceptatio eſt. v.g. Si conſtet eſſe crimen, ſed negetur grave eſſe crimen. Aut, cum diſquiritur, magnane, an parva ſit injuria, qua quis fuit affectus. Atque hic Amplificatio & Imminutio facti imprimis attenditur. Videndum igitur, quid magnum aut exiguum oporteat cenſeri?

Quid ſunt Argumenta Inartificialia?

Argumenta Inartificialia ſunt, quæ non quidem parit Ars Oratoris, ſed tamen foris ad ſe delata, arte tractat.

Quænam ſunt Argumenta Inartificialia?

Argumenta Inartificialia in genere Juridiciali ſunt quinque: Nam, ex Jure Civili offeruntur Oratori Leges. Ex aliquorum autoritate, Teſtimonia. Ex quorundam Conventionibus, Pacta. Ex conteſtatione divina, Jusjurandum; ex maleficis, quæſtiones per tormenta.

LIBER II.

CAPUT I.

De Affectibus.

Quid eſt Affectus?

Affectus, eſt appetitus ſenſitivi immutatio, ab objectæ rei bonæ vel malæ ſpecie proveniens.

Quot ſunt Affectus?

Affectus ex Stoicorum Sententia ſunt quatuor. Ratione boni præſentis, Lætitia; ratione boni futuri, Spes; ratione mali præſentis, Dolor; ratione mali futuri, Metus. Atque ad hos referuntur, Ira, Leni-

Lenitas,Pudor,Impudentia,Amor; Odium,Indignatio,Invidia,Miſericordia & Æmulatio.In quorum ſingulis attendere imprimis oportet, & quomodo affectus is moveatur,& quomodo ſedetur.

Quid eſt LÆTITIA.

Lætitia,eſt motus animi,proveniens ex imaginatione boni præſentis: atque hujus effectus eſt delectatio, ſive tranquillitas animi, in bono præſenti acquieſcens.

Quomodo movemus Lætitiam?

Lætitiam movemus, conſiderando boni magnitudinem,& oſtendendo, quanto præſens fortuna potior ſit altera: nec non res lætas auditoribus objiciendo.

Quid eſt SPES?

Spes, eſt motus animi, proveniens ex imaginatione boni futuri.

Quomodo movemus Spem?

Spem movemus, ſi primum oſtendatur, fieri aliquid poſſe, & factum ſæpe eſſe; deinceps, ſi ſubſidia neceſſaria adeſſe demonſtrentur;tandem, ſi favor divinus promittatur.

Quid eſt DOLOR?

Dolor,eſt motus animi,proveniens ex imaginatione mali præſentis, quod nos aut noſtrorum quempiam affligit.

Quomodo movemus Dolorem?

Dolorem movemus, mali præſentis exaggeratione. Exaggerare autem malum poſſumus, ex circumſtantiis perſonæ, loci, temporis, aliiſque ſimilibus.

Quid eſt METUS?

Metus, eſt motus animi,proveniens ex imagi-

natione mali futuri, quod nobis aut noſtrorum cuipiam imminet

Quomodo movemus Metum?

Metum movemus dupliciter: 1. Si malum vel periculum, tam publicum, quam privatum objiciamus, ejusque magnitudinem exponamus. 2. Si imminere jam illud καθ' ὑποτύπωσιν oſtendamus.

Quid eſt IRA?

Ira eſt conjuncta cum dolore cupiditas, vindictæ ejus, quam videmur nobis poſſe exequi, propterea quod quis nos aut noſtrorum quempiam immerito parvi feciſſe videtur.

Quomodo movemus Iram?

Iram movemus, ſi demonſtremus, auditorem fuiſſe contemtum, deſpectione, quæ ſine impedimento, incommodatione, quæ cum impedimento fit, aut contumelia. Huc facit etiam facinoris comiſſi atrocitas, innocentia læſi, malitia lædentis, & damnum futurum.

Quid eſt LENITAS?

Lenitas eſt ſedatio ac remiſſio iræ.

Quomodo movemus Lenitatem?

Lenitatem movemus, perſonis idoneis, & rebus aptis. Perſonæ, ſunt Pueri, Senes, Fœminæ forma præſtantes & lingua; item Antiſtites. Ad Res pertinet, Tempus opportunum, facti excuſatio, quæ oſtendit, non eſſe factum animo malo, aut ex contemtu: & tandem Deprecatio ingenua.

Quid eſt PUDOR?

Pudor ſive Verecundia, eſt animi perturbatio, ex malis ſive præteritis, ſive præſentibus, ſive futuris, quæ exiſtimationem offendere videntur.

Quo-

Quomodo Pudorem movemus?

Pudorem movemus, objiciendo ea, quæ facta ſunt turpia, vel talium factorum ſigna; quorum nos pudet apud eos, quos in pretio habemus, qui eidem crimini non ſunt obnoxii, ſed ſeveri vitiorum cenſores, aut facile, quæ ſciunt, divulgant, aut nobiscum benigne ſemper egerunt.

Quid eſt IMPUDENTIA?

Impudentia eſt animi obfirmatio, cum non movemur malis, quæ exiſtimationem lædere, ignominiaque eſſe cenſentur.

Quomodo gignimus Impudentiam?

Impudentiam gignimus, contemtu rerum, quæ turpes factu, aut turpis rei ſigna eſſe creduntur.

Quid eſt AMOR?

Amor eſt affectus, quo alicui optamus, quæ bona putamus, eademque pro viribus efficere ſtudemus, non noſtri, ſed ejus cauſa, quem diligimus.

Quomodo movemus Amorem?

Amorem movemus, ſi id velle videamur, quod utile auditoribus; aut, ſi pro bonis viris labores ſuſcipiamus, aut publicam ſalutem propriis commodis prætulerimus.

Quid eſt ODIUM?

Odium, eſt animæ, ab eo, quod ſibi malum eſſe ſentit, averſio. Differt ab *Ira*, quod hæc ſemper eſt adverſus ſingularia, & tempore ſanabilis; ſed odium etiam adverſus genus ſe porrigit, & eſt inſanabile. Tum vero Ira in illis rebus concitatur, quas quis ad ſe aut ſuos pertinere cenſet; odium vero etiam ex iis rebus concitatur, quas quis ad ſe non judicat pertinere.

Quomodo movemus Odium?

Odium movemus, ſi commemoremus actiones inimiciter adverſantes bono, quod amamus.

Quid eſt INDIGNATIO?

Indignatio eſt dolor, ob alterius ſecundam fortunam, quia ſit illa indignus.

Quomodo movemus Indignationem?

Indignationem movemus, ſi vitæ prioris ſordes ac vilitatem, cum præſentis temporis opibus, potentia vel gloria conferamus, indignoq; eſſe collata oſtendamus.

Quid eſt INVIDIA.

Invidia eſt animi dolor, ex alterius bono, quod pari vel ſimili obtigit, non quod eo ipſi careamus, ſed quod alius id habeat.

Quomodo movemus Invidiam?

Invidiam movemus, ſi pares aut inferiores evolaſſe, intolerantius ſe jactaſſe, & æquabilitatem communis juris, dignitate & fortuna ſua transiiſſe dicamus, non virtute inſtructos, ſed vitiis & peccatis onuſtos.

Quid eſt MISERICORDIA?

Miſericordia eſt animi ægritudo, ex calamitate, vel malo, quod ei videtur damnum aut interitum allaturum, qui indignus eſt hoc infortunio: quodque aliquis exiſtimet, aut ſibi, aut ſuorum cuipiam, poſſe idem evenire.

Quomodo movemus Miſericordiam?

Miſericordiam movemus, ſi demonſtremus, magnum & pæne exitiale malum, premere indignum: id quod amplificatur ab adjunctis perſonis, loco, tempore, fine, modo; item collatione prioris felicitatis, cum præſenti calamitate.

Quid

Quid eſt ÆMULATIO?

Æmulatio, eſt dolor alicujus, ob bona honorata, quæ alius habere videtur, & quæ etiam ipſe acquirere poteſt, exiſtens inter eos, qui ſunt ſimilis naturæ, non quod alii adſint illa, ſed quod ſibi deſint.

Quomodo movemus Æmulationem?

Æmulationem movemus, ſi oſtendamus, paribus aut ſimilibus bona adeſſe, quibus jure debeatur honor: ut ſunt virtus, eruditio; vel, per quæ benefici eſſe poſſumus, ut, Magiſtratus; vel denique bona illa, quibus propinqui & familiares frui nobiſcum poſſunt; ut, horti amœni, bibliotheca luculenta, & ſimilia.

Quid eſt CONTEMTUS?

Contemtus eſt, quo alios deſpicimus, quia nihil laude & honore dignum habeant, eorumque diſſimiles videantur, quorum nos æmuli ſumus.

Quomodo movemus Contemtum?

Contemtum movemus, ſi oſtendamus aliquem nec ſibi, nec aliis prodeſſe, in eoque nullum laborem, nullam induſtriam, nullam curam reperiri.

Quomodo ſedantur Affectus?

Affectus ſi volueris ſedare, contraria eundum eſt via.

CAPUT II.

De Moribus.

Quomodo hoc loco ſpectantur Mores?

Mores hic ſpectantur, non quatenus ex vita Oratoris noſcuntur, ſed quatenus ex oratione dicentis elucent: ita, ut Mores ſive ἤθη, hoc loco nihil ſint aliud, quam indicia animi, oratione expreſſa;

preſſa, ad ſignificandum virtutes vel vitia, vel etiam affectus; quatenus illi ad virtutes aut vitia referuntur.

Quomodo efficitur Oratio Morata?

Vt morata ſit Oratio, ante omnia id agendum eſt Oratori, ut in ea reluceant prudentia, probitas, & benevolentia. Nam facile iis credimus, qui & rem intelligunt, & bene nobis cupiunt. Ille autem bene nobis creditur cupere, qui noſtris moribus conformia proponit. Hinc Orator exactiſſime auditorum quoque mores perpendat, atque accurate illi videndum eſt, & apud quos dicat, & de quibus dicat. Variant enim mores hominum, tum pro natura gentis ac Reipublicæ; tum etiam in hominibus ſingulis, pro ratione affectuum, habituum, ætatis, & fortunæ.

CAPVT III.

De Claſſibus Specialibus Generis Demonſtrativi.

Quot ſunt Claſſes ſpeciales Generis Demonſtrativi?

AD Genus Demonſtrativum pertinent quatuor Claſſes; quarum prima complectitur Orationes Panegyricas.

Quid ſunt Orationes PANEGYRICÆ?

Orationes Panegyricæ quondam proprie dicebantur, cum in certis civitatibus unum in locum conveniſſent Græci univerſi, puta in Ludis, & aliis celebritatibus. Sed poſterioribus temporibus, Orationes Panegyricæ dictæ ſunt omnes, quæ corá nobili conſeſſu aliquo, qualis eſt Senatus, in Principis laudem haberentur: ſive id fieret, ut ei agerentur gratiæ; ſive, ut publico aliquid nomine poſtularetur, ſive alia de cauſa. *Quæ-*

Quænam ſunt Genera Orationum Panegyricarum?

Genera Orationum Panegyricarum, ſunt tria æcipue.

Quodnam eſt primum Genus Orationum Panegyricarum?

Primum genus Orationum Panegyricarum, eſt rum, quæ coram Senatu in Principis laudem abentur: ubi poſt exordium, Principem juxta geus demonſtrativum laudamus, noſtram felicitatem prædicamus; Principi longævitatem preamur; civesque ad obſequium exhortamur.

Quodnam eſt ſecundum Genus Orationum Panegyricarum?

Secundum genus Orationum Panegyricarum, eſt earum, quibus Principi munus offertur: ubi Munus cum modeſta laudatione proponimus: Principis exponimus laudem, cujus virtutes non hoc ſolum, ſed plura quoque & majora dona poſtulent, & nos tandem totos ei dicamus.

Quodnam eſt tertium Genus Orationum Panegyricarum?

Tertium Genus Orationum Panegyricarum, eſt earum, quibus novo urbis Præfecto adventanti, gratulamur. Hic civium ob advenientem Præfectum gaudium teſtamur; Præfectum laudamus; conjecturam de futura noſtra felicitate facimus; urbem ipſam & reliqua inanimata gaudere fingimus; ac tandem perſolvimus Deo gratias.

Quæ eſt Secunda Claſſis Generis Demonſtrativi?

Secunda Claſſis Generis Demonſtrativi eſt, quæ habet Orationes Nuptiales, Natalitias, & Funebres.

Quæ-

Quales ſunt Orationes NUPTIALES?

In Orationibus Nuptialibus præmitti poteſt, naturalis omnium appetitus, ſimile producendi, ſed congreſſu diverſiſſimo; deinde cōmoda conjugii enumerantur: quæ ſunt, bona exiſtimatio, procreatio liberorum, & multarum vitæ miſeriarum abſterſio. Porro, quomodo ex ſocietate conjugali domus, pagi, urbes & regiones ortæ, demonſtratur; itaque ſponſis novellis fauſta voventur, liberi per Hypotypoſin luſitantes coram parentibus finguntur, & iidem cum Sponſi conferuntur pueritia; quem, juxta ac Sponſam, ex Genere Demonſtrativo laudamus, atque ad mutuum amorem cohortamur.

Quales ſunt Orationes NATALITIÆ?

In Orationibus Natalitiis ante omnia de Nativitatis tempore dicimus; de anno ſcilicet, menſe, die, hora; deinceps de loco, ubi natio occurrit ac civitas; poſt de virtute parentum ac majorum; aut, ſi adulto gratulamur, de omnibus, quibus laudari perſona poteſt; tandem, ut ſæpiſſime dies redeat, vovemus.

Quales ſunt Orationes FUNEBRES?

Orationes Funebres ordimur, a ſignis doloris præſentis. Hinc defunctum laudamus, & ſpe, quam de eo conceperamus, nos deſtitutos querimur; luctui denique ſubjicitur conſolatio, & adhortatio, ut virtutes defuncti memoria retineant, & imitari ſtudeant auditores.

Quæ eſt tertia Claſſis Generis Demonſtrativi?

Tertia Claſſis Generis Demonſtrativi, complectitur Gratiarum Actionem, Gratulationem, & Lamentationem.

Quo-

Quomodo perficimus GRATIARUM ACTIONEM?

Gratiarum Actionem perficimus, cum lætitiam ex beneficio accepto obortam, teſtamur; beneficium exaggeramus, animum gratum pollicemur, & ut conſtanter amemur, petimus.

Quomodo perficimus GRATULATIONEM?

Gratulationem perficimus, cum exponimus, quantam ceperimus nos aliique, ex proſpero alterius ſucceſſu voluptatem: poſt, magnitudinem boni, quod quis nactus, oſtendimus, ac virtutis id eſſe præmium, adſerimus; tandem, Deum, ut hoc bonum ſit perpetuum, & Reipublicæ aut Patriæ ſalutare, invocamus. Quod ſi officium publicum alicui velimus gratulari, dicemus, non amico, ſed urbi ipſi gratulandum.

Quomodo perficimus LAMENTATIONEM?

Lamentationem perficimus, cum indicamus malum, in quod incidimus, ejusque magnitudinem ſignificamus; deinde odium in malevolos, a quibus malum perpetimur, excitamus, aliquando etiam metum aliis ſecuris injicimus, quod ipſis ſimile quid poſſit evenire.

Quæ eſt quarta Claſſis Generis Demonſtrativi?

Quarta Claſſis Generis Demonſtrativi, complectitur orationes, quibus ipſi nos diſcedentes, vel domum redeuntes, utimur, vel alium diſcedentem proſequimur.

Quis eſt SERMO DISCESSIONIS?

Sermo Diſceſſionis eſt, quo diſceſſuri e loco, teſtamur dolorem noſtrum, quod ab amicis divellamur; poſtea, populi, unde abimus, laudamus fidem, clementiam, pietatem, urbisque ſitum ſalubrem & amœnum, necnon feſta ſacra & profana; porro, bene-

beneficiorum memoriam pollicemur, & bene amicis relictis precamur.

Quis eſt SERMO REVERSIONIS?

Sermo Reverſionis eſt, cum poſt reditum, primum Lares patrios ſalutamus, Deoque gratias, quod ſalvos nos reduxit, perſolvimus. Hinc noſtrum abſentium deſiderium exponimus, atq; ita urbis deſideratæ laudes perſecuti, poſtremum eidem bene precamur, ac totos nos devovemus.

Quis eſt SERMO VIATICUS?

Sermo viaticus eſt, quo ſub amicorum diſceſſum, querimoniam vel indignationem in fortunam inſtituimus, quæ amicum nobis avellat. Hinc exercitia dulcia & hactenus uſitata revocamus in memoriam: poſt hæc interrogamus, ubi ſint promiſſa, quod neuter velit alterũ deſerere? Magnis tamen Viris, & Legatis, loco hujus partis, gratulamur potius honores. Porro, oramus diſcedentem, ut abſens etiam noſtri memoriam velit alere. Poſſunt & urbes, quas luſtraturus eſt, qui diſcedit, comendari, & voto felicis itineris res tota claudi.

CAPUT IV.

De Claſſibus ſpecialibus Generis Deliberativi.

Quot ſunt Claſſes Generis Deliberativi?

CLaſſes Generis Deliberativi ſunt quatuor: quarum prima comprehendit Monitionem, Commendationem, Concitationem, & Conciliationem.

Quid eſt MONITIO?

Monitio eſt, quæ vitia alicujus caſtigat, offenſam tamen effugere ſtudet.

Quo-

Quomodo perficimus Monitionem?

In Monitione, primo laudabimus monendi præclaras animi dotes, a nobis magni ſemper æſtimatas, ſed labe quadam, noſtro, vel aliorum judicio, imminutas. Deinde officium amici requirere dicemus, ut alter alterum admoneat ejus labeculæ, quam a gente, ætate, vel convictu aliorum, contraxerit, viris aliquando magni nominis, communem, ſed parvo negotio corrigendam. Additisque argumentis ab Honeſto, Vtili, Glorioſo (quibus vitii odium, contrariæque virtutis amorem gignamus) hortabimur, ut ad omnes præſtantis viri ſe laudes excitet.

Quid eſt Commendatio?

Commendatio eſt, qua amicum, alicujus fidei ac benevolentiæ committimus. Atque in hac, ſedulo obſervandum eſt illud Horatii:

Si quem commendes, etiam atq; etiam adſpice, ne non
Incutiant aliena tibi peccata ruborem.

Quomodo perficimus Commendationem?

In Commendatione, cauſis propoſiti explicatis, commendandum, a probitate, fide, humanitate, eruditione, genere, aliisque laudamus; ea in re alios nobis conſentientes nacti. Porro, gloriam, & utilitatem a commendato, nobis, aliisque reportandam polliciti, omne grati animi officium ſpondemus.

Quid eſt Concitatio?

Concitatio eſt, quando multitudo ob gravem aliquam injuriam commovetur: atque, ad concitationem ſola illa videntur ſufficere, quæ de iræ & odii affectibus, ſupra fuere dicta.

Quid eſt CONCILIATIO?

Conciliatio eſt, qua vel nobis amorem conciliamus, vel in gratiam reducimus diſſidentes.

Quomodo Amorem nobis conciliamus?

Amorem conciliamus, cum dicimus, ſolam cauſam, cur alicujus favorem ambiamus, eſſe laudem ejusdem: imprimis autem, qua quisque laude ducatur, conſiderantes. Vlterius, nos amicitia non adeo eſſe indignos, modeſta noſtri laudatione, evincimus.

Quomodo in gratiam reducimus diſſidentes?

Diſſidentes in gratiam reducimus, cum offenſam dicimus obliterandam, quod id & utile ſit, & honeſtum, ſpei metusque affectus interſpergendo.

Quæ eſt Secunda Claſſis Generis Deliberativi?

Secunda Claſſis Generis Deliberativi eſt, quæ complectitur Adhortationem & Dehortationem.

Quomodo perficitur ADHORTATIO?

Adhortatio, quæ Concluſioni utplurimum reſervatur, præter rationes Deliberativi Generis, initio virtutem ejus extollit, quem hortaturi ſumus; poſt, amorem excitat tum rei, quam ſuademus, tum perſonæ, cujus ſuademus commodis. Aliquando miſericordiam, aliquando odium, non raro ſpem & metum movet, atque id quidem parcius apud claros viros.

Quomodo perficitur DEHORTATIO?

Dehortatio perficitur, cum dicimus, rem eſſe malam, vilem, impoſſibilem, laborioſam, incertam, aut parum utilem; fumum item eſſe, non aureos montes, quorum ſpes facta. Exemplis poſtmodum diſſimile probamus, credulitatemque audi-

auditorum, & adverſarii veteratorium ingenium perſtringentes, periculorum metu, terrorem animis incutimus.

Quæ eſt Tertia Claſſis Generis Deliberativi?

Tertia Claſſis Generis Deliberativi, complectitur CONSOLATIONEM, eaque adhibetur, vel dolori ex bono amiſſo, vel metui, ex amittendo.

Quomodo ſolamur aliquem ob bonum amiſſum?

Quando ſolamur aliquem ob bonum amiſſum, conſiderabimus Malum ipſum, Conſolantem, & Conſolandum. *Malum* leve, nec jocos quidem reſpuit omnino, nec diuturnum eſſe poteſt. *Conſolans minor*, ſolatium ex grandævo quodam philoſopho, vel alio audiviſſe profitebitur. *Conſolans* æqualis, amicitiæ leges prætexet. *Conſolans Major*, liberius agens, etiam aliquando graviter increpabit. *Conſolandum fortiorem*, pro ſapientia eximia fortitudine, forti animo futurum ſperamus, & magnitudini animi gratulabimur. *Conſolandum infirmiorem*, erigemus, malum ipſum confitendo, condolendo, & opponendo remedia, quæ ab exemplis eorum, qui adverſa conſtanter tulere, item ab Honeſto, Vtili, Jucundo, Neceſſario, ac Poſſibili expromuntur.

Quomodo ſolamur mœrentem ob malum imminens?

Mœrentem ob malum imminens, ſolamur primum injecta ſpe, qua vel opinio deleri, vel placari poſſit. Deinceps addito animo, & contemto eventu rebusque humanis: id quod exemplis clarorum virorum corroborandum venit.

Quæ eſt Quarta Claſſis Generis Deliberativi?

Quarta Claſſis Generis Deliberativi, complectitur PETITIONEM, quæ eſt vel Aperta, vel Obli-

Quomodo inſtituitur Petitio Aperta?

In Aperta Petitione, primum Amorem concilia-mus; poſt petimus, & aliquando modum oſtendimus, quo ſine alterius damno juvari poſſimus. Poſtremo remunerationem pollicemur.

Quomodo inſtituitur Petitio Obliqua?

Obliquè petituri, pudorem egenti obeſſe, nec audaciam facile ſuſcipiendam dicimus; nos tamen ſpem de Patrono maximam concepiſſe, quod aliis etiam benefecerit, & divinum ſit, prodeſſe velle omnibus. Deinde referimus, nos eum ſemper parentis loco coluiſſe, motos, illius, parentum, majorumq; fama. Inde, rem honeſtam, piam, juſtam, facilem, utilem & neceſſariam petere. Porro preces addemus & obteſtationes, per res & perſonas, quibus ipſi nihil carius: ac tandem animum memorem promittimus & gratum.

CAPUT V.

De Claſſibus Specialibus Generis Juridicialis.

Quæ materiæ pertinent ad Genus Juridiciale?

AD Genus Juridiciale pertinent Invectivæ, Objurgatio, Expoſtulatio, Exprobratio, & Deprecatio.

Quid ſunt INVECTIVÆ?

Invectivæ ſunt, cum argumentis ex Demonſtrativo genere petitis, ſed ſine maledicentia, invehimur interdum in omnem alicujus vitam, interdum in certa ſolum vitia; ut excitemus pudorem facti, & metum pœnæ: apud alios autem iram, odium, invidiam, alioſque talismodi affectus.

Quid

Quid eſt OBIVRGATIO?

Objurgatio eſt, quæ emendationem alterius ſi-
proponens, homines duræ cervicis, ab ingenii
tioris, ſecernit; & primum delictum ob oculos
nens, proprio id, nec molliori, nec duriori, no-
ne appellat; deinceps eodem exaggerato, a
cumſtantiis perſonæ, loci, temporis, modi, & a
nparatione, graviter expoſtulat, & minatur, ſi
rum flectere aliter non poſſit. Dociles autem,
tio laudamus, deinde reprehenſionem neceſſa-
m eſſe, & ab aliis eam labem etiam taxatam,
dicimus, ut ex ore & facie, condoleſcentia quæ-
n eluceſcat.

Quid eſt EXPOSTVLATIO?

Expoſtulatio, eſt querimonia, de accepta inju-
. Hæc, ſi levior ſit, laude, joco, vel diſſimulatio-
temperatur. Vbi factum quidem improbamus,
luntatem vero facientis, quantum licet, excu-
nus, vix nobis perſuaſuri, ex odio, contemtu,
ſq; vitioſis affectibus, injuriam ortum traxiſ-
Sin vero gravior ſit injuria, tum poſt expoſi-
n factum, ita temperanda ſunt omnia, ut ne in-
riam videamur nimis exaſperare; ſed plura po-
s tuliſſe, quam dicta; & metu, adhuc majorum
lorum, coacti ad querimoniam fuiſſe.

Quid eſt EXPROBRATIO?

Exprobratio eſt, quæ ingratos tangit, & primo
neficium noſtrum commemorando exaggerat,
que invite fieri teſtatur; poſt exponit atq; am-
ficat maleficium alienum, tam per hypotheſin,
am theſin, ex natura ingratorum.

Quid eſt Deprecatio?

Deprecatio, Perſonis iiſdẽ utitur, quas lenitatis

affectus requirit. Poſt, aut demonſtrat, crimen non eſſe malitia commiſſum, nec adeo magnum; aut ingenue culpam fatetur. Hinc, tractat locum communem de clementia, non quidem nimis evagando, ſed neceſſaria tantum expromendo. Exinde, adjungit rationes, ex qualitate Perſonæ, pro qua dicitur. Scilicet, a nobilitate, eruditione, anteactæ vitæ innocentia, meritis erga Rempublicam, e quibus futurum bonum colligendum. Poſtremo miſeri exponit perplexitatem, querimoniam, obſecrationem.

LIBER III.

De Diſpoſitione.

Quid eſt ſecunda pars Rhetorices, nimirum Diſpoſitio?

DIſpoſitio, eſt partium Orationis idonea ad perſuadendum collocatio.

Quæ ſunt Partes Orationis?

Partes Orationis ſunt ſex: Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Confutatio, & Epilogus ſive Peroratio. Quarum prima & ultima imprimis ad animos movendos, cæteræ, magis ad docendum valent. Et huc refertur verſus tritiſſimus:

Exorſus, Narro, Seco, Firmo, Refuto, Peroro.

Quale munus eſt EXORDII?

Exordii præcipuum munus eſt, *præparare auditorem* ad reliquam dictionem. Quod fit, reddendo eum benevolum, attentum, & docilem. Qando aperte hoc agimus, ἀρχὴ ſive *Principium* id dicitur. Sin idem occulte fiat, vocatur *Inſinuatio*, Græce ἔφοδος.

Quo-

Quomodo Exordia debent eſſe comparata?

Laudantur Exordia, ex cauſa ipſa velut nata: m modeſta, ac verecunda. Atque uſitatiſſima t Exordia, a generali pronunciato, eoque ex imis cauſæ viſceribus ducto: nec minus ea, quæ abundanti dicuntur, cum præmittimus, nos, ſi adferre poſſimus alia non leviora, imo am graviora, themate tamen noſtro contentos e. Sæpenumero etiam occaſio impellens, aut i ratio, exordium ſuppeditant. *Cavenda autem t Exordia*, quæ minus longe petita, item com- nia nobis & adverſario, vel facile comutabilia, nimis magnifica.

Quid eſt Narratio?

Narratio, rem geſtam, ut geſta eſt, a principio ue ad finem exponit. Ea interdum tota *conti- tur*: interdum *partes* ejus ſingulatim explican- , & amplificantur.

Quæ ſunt Partes Narrationis?

Narrationis Partes ſunt rerum geſtarum *Prin- um, Medium & Finis*. Item, quæ Principium ante- unt, ut *Cauſæ*; quæque finem ſunt conſecuta, ut *ctus*.

Quomodo inſtituenda eſt Narratio?

Narratio eſto *perſpicua*, ut intelligatur; *veriſimi*, t credatur; *ſuavis & morata*, ut libenter audia- . Eſto & *brevis*, quia tædio erit, ſi ulterius ducatur, quam opus eſt: Ariſtoteles tamen me- rem eſſe mavult.

Quid eſt Propositio?

ropoſitio eſt, quæ ſummam totius Orationis, ponit. Ea, ſi definiat, in quo nobis cum adverſa- onvenit, & quid in controverſia relinquatur.

Sejuncta; ſi unum aliquid proponat, *Simplex*: ſi vero orationem in partes dividat, *Partitio* appellatur. Partitio autem cum perſpicua, tum etiam brevis eſſe debet: hoc eſt, non major, quam trium vel ad ſummum quatuor partium.

Quid eſt CONFIRMATIO?

Confirmatio eſt, quæ argumentando cauſam noſtram adſtruit, ita, ut argumenta firmiora partim in principio, partim fine collocentur: imbecilliora vero medium occupent.

Quæ ſunt Genera Argumentationum?

Genera Argumentationum potiſſimum ſunt Enthymema, Inductio, & Exemplum.

Quomodo uſurpatur Syllogiſmus?

Syllogiſmus ſi uſurpandus, modo a minore, modo ab ipſa concluſione incipimus, atque jam majorem, jam minorem, jam utramque probamus Propoſitionem.

Quid eſt CONFVTATIO?

Confutatio, eſt vel ἐλεγκτική, quæ adverſarii opinionem argumentis convellit; vel ἀνασκευαστικὴ quæ diluit argumenta adverſarii, atque fit per Inſtantiam, Retorſionem, Contemtum, Deductionem quoque, quando auditores alio abducimus, polliciti, nos poſtea de hoc dicturos; Interrogationem item, quæ adjuvatur actione & ſono.

Quid eſt EPILOGVS *ſive* PERORATIO?

Epilogus, Latinis Peroratio, eſt totius Orationis clauſula. Duplex autem ejus munus eſt. Prius eſt ἀνακεφαλαίωσις ſive enumeratio potiſſimorum argumentorum: quæ hic dicantur cum pondere

e aliquo, aptis explicentur ſententiis, & figuris ientur, ne videatur crambe repetita. Alte·n munus eſt παθοποιΐα, ſive, Commotio af·tuum.

LIBER IV.

CAPVT I.

De Elocutione.

Quotuplex eſt Elocutio?

'Locutio alia Philoſophica eſt, alia Oratoria, alia Hiſtorica, alia Poëtica.

Quid eſt Elocutio Oratoria?

Elocutio Oratoria, eſt rerum inventarum, & poſitarum, per verba ſententiasque expoſitio, perſuadendum idonea: Atque ſunt Elocutionis ecepta vel generalia, vel ad hanc illamve mate·m ac characterem reſtricta.

Quomodo dividitur Elocutio Communis?

Elocutio Communis, dividitur in Elegantiam, gnitatem, & Compoſitionem.

Quid ſpectatur in Elegantia?

Elegantia efficit, ut unumquodque tum *pure*, m *perſpicue* dicatur. Ad *puritatem* autem opus t delectu verborum. *Vitanda* igitur verba rbara; nec indulgendum antiquatis, aut inuſita-s. Sordida etiam, & obſcœna, honeſtis verbis cir-mloqui oportet. *Perſpicuitati* inter alia repu-nat ſermo ambiguus, nimia brevitas, & ordo erborum perturbatus.

Quid ſpectatur in Dignitate?

Dignitas ſuppeditat Orationi picturas, ſive erborum ſententiarumque lumina, quæ Rheto-es vocant Tropos, & Schemata.

CAPVT II.

De Tropis.

Quid eſt Tropus?

TRopus eſt vocis a propria ſignificatione, in aliam, cum virtute immutatio. Fit autem inverſio ſignificationis quadrifariam, ac pro eo, quatuor etiam ſunt Tropi primarii: Metaphora, Metonymia, Synecdoche, & Ironia.

Quid eſt METAPHORA?

Metaphora ſive translatio, eſt Tropus, quo verbum *a propria ſignificatione*, in alienam transfertur, ob ſimilitudinem. Itaq; *tria* hic ſpectantur: Significatio propria, aliena, & ſimilitudo. Ita *ſcrupulus*, proprie dicitur lapillus in calceos viatorum incidens. Improprie ita vocatur ſolicitudo, ac dubitatio. Similitudo in eo conſiſtit, quod ut lapillus iſte pedibus, ita ſolicitudo, animo moleſtiá parit. Nihil vero eſt, in tota rerum univerſitate, unde metaphora non poſſit efformari; ſuntque alia ejus exempla: *Honos* alit *artes*: *omnesque* incendimur *ad ſtudia gloriâ.* Cic. 1. Tuſc.: *Accede ad* ignem *hunc,& incaleſces plus ſatis.* Terent. in Eun. *Spem* fronte ſerenat. Virg. 4. Æn. Tardi *eſt ingenii* rivulos conſectari, fontem *rerum non videre.* Cic. 2. de Orat.

Quid eſt METONYMIA?

Metonymia eſt Tropus, quo *Cauſa* externa ponitur pro *Effectu*: vel *Subjectum* pro *Adjuncto* vel *Antecedens* pro *Conſequente*, aut contra.

Quot ſunt Species Metonymiæ?

METonymiæ ſex in univerſum ſunt ſpecies ſeu modi.

Quæ eſt prima Species Metonymiæ?

Prima Species Metonymiæ, ponit pro effectu uſam: Vt: *Et multo imprimis hilarans convivia* ccho Virg. Ecl. 5. i. e. Vino, cujus Bacchus inntor.

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere *terram Vertere conveniat.* Idem 1. Georg. i. e. quo npore, quod ſiderum ortu & occaſu definitur, rra colenda ſit.

Pellibus exiguis arctatur Livius *ingens,*
Quem mea non totum Bibliotheca capit.

artial. l. 14. epigr. 190.

Sine *Cerere* & *Libero*, friget *Venus*. Ter. in Eun. eres, ponitur pro frugibus, Liber, pro vino, Ves, pro amore.

Quæ eſt ſecunda Species Metonymiæ?

Secunda Species Metonymiæ ponit effectum o cauſa. Vt:

Pallida mors *æquo pulſat pede pauperum tabernas,*
Regumque turres, o beate Sexti. Hor. l. 1. Od. 4.

Pallentesq; *habitant* morbi, triſtisque ſenectus,
Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas.

rg. 6. Æn.

Quæ eſt tertia Species Metonymiæ?

Tertia Species Metonymiæ eſt, quæ ponit ſubtum pro adjuncto. Vt: *Stratoque ſuper diſcumbi* oſtro. Virg. Hoc eſt, ſtragulis, purpureo oſtri ore tinctis.

Vt omittam illas omnium diſciplinarum inventrices henas. Cic. i. e. Athenienſes.

Huc pertinet, cum ponitur continens pro conito: ut, *patera* pro vino. Item, cum poſſeſſor pour pro re poſſeſſa. Vt: *Quem te futurum cenſes,* quem

quem aſſidue exedent. Ter. Heaut. id eſt, cujus opes conſument. *Jam proximus ardet* Vcalegon Virg. 2. Æn. id eſt, Domus Vcalegontis.

Simili ratione ponitur Dux pro militibus, ut, Cæſar, pro exercitu: aut Patronus pro cliente: Vt: Nego me reſtitutum, hoc eſt, clientem meum.

Item Signatum pro Signo: Vt Jupiter, pro Jove picto, aut cælato.

Quæ eſt quarta Species Metonymiæ?

Quarta Species Metonymiæ, ponit Adjunctum pro Subjecto. Velut cum Contentum ponitur pro continente: ut, *Vina coronant;* pro pateris.

Aut, cum Signum ponitur pro ſignato: ut: *Faſces & Secures*, pro imperio conſulari. *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* Cicero.

Huc pertinet, cum Tempus ponitur, pro re, quæ eſt in tempore. Vt: *Hujus ſeculi inſolentia.* Cic. Philip. 9. *O tempora, O mores!*

Aſpera tum poſitis miteſcent ſecula *bellis.* Virg. 1. Æn.

Vulgo & eodem referunt, cum Virtutes & Vitia, ponuntur pro perſonis ipſis. Vt: *Ars*, pro artifice; *Luxuries*, pro luxurioſo.

Quæ eſt quinta Species Metonymiæ?

Quinta Species Metonymiæ, ponit Antecedens pro Conſequente. Vt: *Vixerunt*, pro, mortui ſunt: discumbere, pro, cœnare.

Fuimus Troës, fuit *Ilium, & ingens gloria Dardanidũ:* Virg. id eſt, eſſe deſiit. Item:

Lupum videre priores: id eſt, obmutuerunt, uti ſolent, qui priores lupum viderunt.

Quæ eſt ſexta Species Metonymiæ?

Sexta Species Metonymiæ, ponit Conſequens pro Antecedente. Vt, *funus*, pro morte. *Legati Populi Romani redemti ſunt.* Ex eo enim, quod redemti ſunt, capti fuiſſe intelliguntur.

Quid

Quid eſt Synecdoche?

ynecdoche eſt, cum totum ponitur pro parte, pars pro toto. Atque totum ponitur pro par-
ıti:

Pabula *guſtaſſent Trojæ*, Xanthumque *bibiſſent*.
g. 1. Æn. i. e. partem pabuli, & Xanthi.

Prædamque ex unguibus ales,
Projecit fluvio. Idem.

Totus orbis *ardet bello*. Cic. i. e. maxima pars is.

Pars pro toto ponitur, uti:

Magna fuit quondam capitis *reverentia* cani,
Inq; ſuo pretio ruga ſenilis erat. Ovid. l. 5. Faſt.

Vos *meæ chariſſimæ* animæ, *ſæpiſſime ad me ſcribite*.
c. l. 14. ep. 14.

Quid eſt Ironia?

Ironia eſt Tropus, quo intelligitur contrarium s, quod dicitur: unde aliquibus *Illuſio* vocatur.

populus curat, ſcilicet. Terent.

Adesdum bone vir. Idem.

Sic *Penelope*, de impudica: *Cato*, de ſtolido. Vbi nul Antonomaſia eſt.

Aurea nunc fere ſunt ſecula, plurimus auro
Venit bonos, auro conciliatur bonor.
vid. l. 2. de arte am.

CAPVT III.

De Affinibus Troporum.

Quid eſt Antonomaſia?

Antonomaſia, eſt Synecdoches ſpecies, qua proprium ſumitur pro communi, vel contra. Propri- ı ſumitur pro communi, ut in illo: Irus *& eſt ſu- o, qui modo* Crœſus *erat*; ubi Irus pauperem, rœſus divitem ſignificat. Com-

Commune, ſumitur pro proprio, cum *parens*, pro patre, *Philoſophus*, pro Ariſtotele, *Vrbs*, pro Roma, *Poëta* pro Homero vel Virgilio; *Apoſtolus* pro Paulo adhibetur.

Quid eſt Litotes?

Litotes, quam extenuationem Latine dixeris, eſt, cum minus dicitur, & plus intelligitur. Vt: *Munera nec ſperno*, id eſt, lubens accipio. *Non laudo*, id eſt, reprehendo. Vſurpatur ſæpe modeſtiæ cauſa, uti in illo Ciceronis: *Id vos & a viro optimo, & ab homine minime ſtulto cogitatum eſſe confingitis.* Item apud eundem: *Rullus, homo non cupidus, neque appetens.*

Quid eſt Metalepſis?

Metalepſis, eſt Tropus multiplex in voce una; cum ſcilicet ex una ſignifiatione proceditur in aliam. Vt, *Poſt, aliquot mea regna videns, mirabor ariſtas.* Virg. ubi ponuntur ariſtæ pro ſpica; ſpica, pro meſſe; meſſis pro anno: eoque & ariſtæ pro anno.

Quid eſt Allegoria?

Allegoria, eſt Tropi in vocibus pluribus continuatio. Vt:

Claudite jam rivos, pueri, ſat prata biberunt. Virg. id eſt, deſinite canere, quia ſatis audivimus.

Parturiunt montes; naſcetur ridiculus mus. Horat. de magna expectatione, ſed in ludibriũ abeunte.

Viam qui neſcit, qua deveniat ad mare, eum oportet amnem quærere comitem ſibi. Ego male loquendi vobis, neſcivi viam; nunc vos mihi amnes eſtis, vos certum eſt ſequi. Si bene dicetis, veſtra ripa vos ſequar: ſi male dicetis, veſtro gradiar limite. Plaut. in Pœnulo.

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te eſſe hominem

nem divitem, factioſum: me item eſſe hominem uperum pauperrimum. Nunc, ſi filiam locaſſem meam i, in mentem venit, te bovem eſſe, & me eſſe aſellum; i tecum conjunctus ſiem, ubi onus nequeam ferre pari-, jaceam ego aſinus in luto: tu me bos magis haud re- cias, notus quaſi nunquam ſiem: & te utar iniquiore, me meus ordo irrideat: neutrubi habeam ſtabile ſta- um, ſi quid divortii fuat. Aſini me mordicus ſcin- nt, boves incurſent cornibus. Hoc magnum eſt pericu- ı, ab aſinis ad boves tranſcendere. Idem in Aulul.

Quid eſt Catachreſis?

Catachreſis, ſive Abuſio, eſt tropi durities quæ- n. Vt cum vox aliqua licentius, a propria ſi- ification e, ad aliam deflectitur. Vt:

Inſtar montis equum, divina Palladis arte
Ædificant. Virgil.

Breve lilium, apud Horatium, pro non diuturno.

Quid eſt Hyperbole?

Hyperbole, quaſi dicas, Superjectio, eſt oratio, gendo vel minuendo, ſuperans fidem. *Augendo*, od alias *Auxeſis* dicitur: Vt: *Nive candidior, Mel- ulcior, ocyor Euro.*

Vomens, fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gre- m ſuum, & totum tribunal implevit. Cic. Philip. 2. *Minuendo*, quod alias *Mioſis* dicitur. Vt: *Teſtu- tardior; Minus nihilo.*

Quid eſt Sarcaſmus?

arcaſmus, eſt hoſtilis irriſio, ſuper jam mortuo, jam morituro. Vt: *Ave Rex Judæorum.* Matth. 27. *Vah, qui deſtruis templum, & tribus diebus iterum icas illud. Serva teipſum. Si filius Dei es, deſcende de e.* Ibid.

verbis virtutem illude ſuperbis. Virg. Ecl. 9.

Quid

Quid eſt Diaſyrmus?

Diaſyrmus, eſt inimica irriſio, ſed extra cædem. Vt, *Aſinus ad lyram. Interſtrepit anſer olores.* Virg.

Quid eſt Charientiſmus?

Charientiſmus, a lepore & gratia nomen accepit, eſtque jocus, cum amœnitate mordax. Vt, Davus piſtrinum deprecans: *Bona verba quæſo.* Sic: *DI meliora.*

Quid eſt Aſteiſmus?

Aſteiſmus, eſt jocus urbanus. Vt: *Qui Bavium non odit, amet Tua carmina Mævi.* Virg. Nam Bavius malus Poëta, & illo deterior Mævius erat.

Quid eſt Mycteriſmus?

Mycteriſmus fit, cum naſo ſuſpenſo quempiam ſubſannamus. Μυκτὴρ enim eſt Naſus. Magis geſtu exprimitur, quam verbo.

Quid eſt Mimeſis?

Mimeſis, latine Imitatio, refert aliena verba oratione directa, idque fere ad riſum. Vt: *At neſciebam, quorſum tu ires: Parvula hinc eſt abrepta; eduxit mater pro ſua. Soror eſt dicta, cupio abducere, ut reddam ſuis.* Ter. in Andr.

Quid eſt Onamatopœïa?

Onomatopœïa nihil eſt aliud, quam nominis fictio a ſono: ut *balare, grunnire, boare, hinnire.*

Quid eſt Antiphraſis?

Antiphraſis, eſt vox a contrario dicta. Ita vulgo ajunt, *Bellum* vocari, quod minime ſit bellum; *Parcas*, quod minime parcant; *Lucum*, quod minime luceat.

Quid eſt Hypallage?

Hypallage eſt, cum rerum ordo invertitur. Vt, apud

apud Ciceronem pro Marcello. *Gladium vaginæ vacuũ in urbe vidimus*: pro, vaginam gladio vacuam.

CAPUT IV

De Schematibus ſeu Figuris generatim, & ſpeciatim de Figuris Verborum.

Quid eſt FIGURA?

FIgura eſt forma orationis, qua hæc alio quopiam modo, quam inverſione ſignificationis, a vulgari conſuetudine immutatur in meliorem.

Quotuplices ſunt FIGURÆ?

Figuræ ſunt duplices: Verborum ſeu Dictionis, & Sententiarum.

Quid eſt FIGURA VERBORUM?

Figura Verborum ſive Dictionis eſt, qua elocutio figuratur, dictionibus apte & jucunde inter ſe reſonantibus.

Quotuplices ſunt Figuræ Verborum?

Figuræ Verborum ſeu Dictionis ſunt triplices; quædam conſiſtunt in ſubticentia, ſive defectu; quædam in abundantia ſive exceſſu; quædam in reliquo corpore Orationis.

Quæ Figuræ conſiſtunt in Subticentia?

Figuræ, quæ in Subticentia conſiſtunt, ſunt Aſyndeton & Ellipſis.

Quid eſt ASYNDETON?

Aſyndeton, eſt conjunctionis copulativæ defectus. Ut: *Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.* Virg.

ot res repente circumvallant, unde emergi non poteſt: , egeſtas, injuſtitia, ſolitudo, infamia. Ter. in Adel.

Quid eſt ELLIPSIS?

Ellipſis, eſt alius cujusdam partis aut particulæ

Tt præter

præter conjunctionem copulativam defectus. Vt: *Sed vos,qui tandem?* Virg. Vbi omittitur,*eſtis.*

Quæ Figuræ conſiſtunt in Abundantia?

Figuræ quæ conſiſtunt in Abundantia, ſunt Polyſyndeton,& Pleonasmus.

Quid eſt POLYSYNDETON?

Polyſyndeton,eſt abundantia copulæ. Vt: *Me, præ cæteris,& colit, & obſervat,& diligit.* Cic. *Neque privati quicquam, neque publici, neque profani, neque ſacri in Sicilia reliquiſſe.* Idem.

Quid eſt PLEONASMUS?

Pleonasmus,eſt alius cujusdam partis, aut particulæ,præter conjunctionem copulativam abundantia. Vt: *Vocemq; his auribus hauſi.* Virg. *Accipe hoc parvum munuſculum.*

Quæ Figuræ conſiſtunt in reliquo corpore Orationis?

Figuræ, quæ conſiſtunt in reliquo corpore Orationis,vel eandem ponunt vocem,vel ſimiles.

Quæ ſunt Figuræ eandem ponentes Vocem?

Figuræ eandem ponentes vocem,ſunt,Antanaclaſis,Ploce,Synonymia,Exergaſia,Anaphora, Epiphora ſive Epiſtrophe; Symploce, Epanalepſis, Anadiploſis, Epanados, Epizeuxis,Climax,& Polyptoton.

Quid eſt ANTANACLASIS?

Antanaclaſis dicitur,cum uſurpatur vox eadem appellatione,non ſignificatione. Vt: *Cur eam rem tam ſtudioſe* curas, *quæ multas tibi dabit* curas? Cornificius. Amari *jucundum eſt, ſi curetur,ne quid inſit* amari. Id. Veniam *ad vos,ſi mihi,Senatus det* veniam. Id. *Hunc* avium *dulcedo ducit* in avium. Cic.

Quid eſt PLOCE?

Ploce eſt,cum vox uno loco perſonam aut rem, altero mores,aliamve qualitatem ſignificat. Vt:

Ad

Ad illum diem Memmius erat Memmius: id eſt, ſui ſimilis. *Simia eſt ſimia, etiamſi aurea geſtet inſignia.*

Quid eſt SYNONYMIA?

Synonymia eſt, cum verba idem ſignificantia conjunguntur. v. g. *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit.* Cic. Cat. 2. *Promitto, recipio, ſpondeoque.*

Quid eſt EXERGASIA?

Exergaſia, eſt congregatio ſententiarum idem ſignificantium. Vt: *Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? Quæ tua mens, oculi, ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Cic. pro Ligar.

Quid eſt ANAPHORA?

Anaphora eſt repetitio ejusdem vocis in principio. Vt:

Te *dulcis Conjux*; Te, *ſolo in littore ſecum*,
Te *veniente die*, Te *decedente canebat*. Ovid.

Nihil *te nocturnum præſidium palatii*, nihil *urbis vigiliæ*, nihil *conſenſus bonorum omnium*, nihil *hic munitiſſimus habendi Senatus locus*, nihil *horum ora vultusque moverunt?* Cic.

Tu *mihi quodcunque hoc regni*, tu *ſceptra Jovemque Concilias*, tu *das epulis accumbere Divûm.*
Virgil.

Vino *forma perit*, vino *corrumpitur ætas*,
Vino *ſæpe ſuum neſcit amica virum.* Prop. l. 2.

Quid eſt EPIPHORA ſive EPISTROPHE?

Epiphora ſive Epiſtrophe, eſt repetitio ejusdem vocis in clauſulis. Vt: *Pœnos populus Romanus juſtitia vicit*, *armis* vicit, *liberalitate* vicit. Cic.

Frumenti maximus numerus e Gallia, *peditatus ampliſſimæ copiæ* e Gallia, *equites numero plurimi* e Gallia. Id.

 Quid

Quid eſt SYMPLOCE?

Symploce eſt, cum Anaphora & Epiſtrophe concurrunt. Vt: Quis *legem tulit*? Rullus. Quis *majorem partem populi ſuffragiis privavit*? Rullus. Quis *comitiis præfuit*? *Idem* Rullus. Cic.

Quem *Senatus* damnavit, quem *Populus Rom.* damnavit, quem *omnium exiſtimatio* damnavit, *eum ſententiis veſtris abſolvetis*? Id.

Quid eſt EPANALEPSIS?

Epanalepſis, eſt repetitio ejusdem vocis initio præcedentis & fine ſequentis ſententiæ. Vt:

Qui bibit inde furit: *procul hinc diſcedite, queis eſt,*
Cura bonæ mentis: Qui bibit inde furit. Ovid.

Phosphore redde diem, *quid gaudia noſtra moraris?*
Cæſare venturo, Phosphore redde diem.

Martial. l. 8. epigr. 21.

Virtus *omnia in ſe habet, omnia aſſunt bona, quem penes eſt* Virtus. Plaut. in Amphitr.

Creſcit *amor numi, quantum ipſa pecunia* creſcit. Juven. Sat. 14.

Quid eſt ANADIPLOSIS?

Anadiploſis, eſt repetitio ejusdem vocis, in fine præcedentis, & initio ſequentis ſententiæ. Vt:

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum,
Aſtrum, *quo ſegetes gauderent*. Virgil.

Pierides vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo *cujus amor tantum mihi creſcit in horas*.

Virg. Ecl. ult.

Quid eſt EPANADOS?

Epanados eſt, cum, quæ priori erant poſita loco, poſteriori, & quæ poſteriori, ea priori loco repetimus. Vt: *Demo-*

Demophoon ventis, & verba & vela *dediſti*,
Vela *queant reditu*, verba *carere ſide.* Ovid.
Gratiam qui refert, habet; & *qui* habet, *in eo quod* ...et, refert. Cic. *Commode dixit, quicunque dixit: ...uniam qui* habet, non reddidiſſe: & *qui* reddi... it, non habere. *Gratiam autem*, & qui retulerit ...ere, & qui habeat retuliſſe. Id.

Quid eſt Epizevxis?

...pizeuxis eſt, cum vox aliqua repetitur cum ...ementia. Vt:

...pſa ſonant arbuſta, Deus, Deus *ille Menalca.* Virg.
...rux, crux *inquam infelici* & *miſero.* Cic.
...O cives, cives, *quærenda pecunia primum*, ...rtus *poſt numos.* Horat. l. 1. epiſt. 1. Vbi ubi *eſt*, ...celari *non poteſt.* Ter. in Eun.
...ed *moriamur ait*, ſic, ſic *juvat ire ſub umbras.* Virg. ...l. 4.

Quid eſt Climax?

...limax ſeu Gradatio, eſt, quæ eodem verbo ...nnectit ſuperiora inferioribus. Vt: *Africano* ...duſtria virtutem, virtus gloriam, gloria *æmulos* ...mparavit. Cic.

...*In urbe* luxuries *creatur*: *ex* luxuria *exiſtat* ava... ...ia *neceſſe eſt*: *ex* avaritia *erumpit* audacia: *ex* au... ...cia *omnia ſcelera oriuntur.* Id. *Ex innocentia na*... ...*ur* dignitas, *ex* dignitate honor, *ex* honore im... ...rium, *ex* imperio *libertas.* Scipio Africanus apud ...dorum.

Quid eſt Polyptoton?

...Polyptoton eſt, cum idem verbum variato ...petitur caſu, id eſt terminatione. Vt: Sed ...eni *ſunt omnes libri*, plenæ *ſapientum voces*, ple... ...*exemplorum vetuſtas*. Cic.

Cum vanitas *ſit* vanitatis *filia,*
Et vanitati vanitatem *procreet,*
O vanitas! *quid* vanitate *vanius?*
Litora litoribus *contraria, fluctibus undas*
Imprecor arma armis, *pugnent ipſiq; nepotes.*
Virg. 4. Æn.

Quæ ſunt Figuræ ſimiles ponentes voces?

Figuræ ſimiles ponentes voces, ſunt Paregmenon, Paronomaſia, Homœoptoton, Homœoteleuton, & Parecheſis.

Quid eſt PAREGMENON?

Paregmenon eſt, quæ conjungit voces, quarum una ab altera derivatur. Vt:

Tu quoque Pieridum ſtudio ſtudioſe *teneris,*
Ingenioque *faves*, ingenioſe *meo.* Ovid.

Quid eſt PARONOMASIA?

Paronomaſia ſive Agnominatio eſt, cum parva verbi immutatione, in aliam plane ſententiam deflectitur oratio. v.g. *Nunquam ſatis* dicitur, *quod nunquam ſatis* diſcitur. Seneca. *Eum non facile non modo extra* tectum, *ſed ne extra* lectum *quisquam videret.* Cic. Verr. 1. *Non modo* vincere, *ſed & vincire oportet.* Id.

O tumide, *rerum dum ſecundarum ſtatus*
Extollit animos; timide *cum increpuit metus.*
Sen. in Troade.

Quid eſt HOMOEOPTOTON?

Homœoptoton, ſive ſimiliter cadens, eſt, cum plura iisdem caſibus aut perſonis efferuntur. Vt: *Ac primum quanta* iñocentia *debent eſſe Imperatores! quanta deinde omnibus in rebus* temperantia! *quanta* fide! *quanta* felicitate! *quanto* ingenio! *quanta* humanitate! Cic. *Hunc ego non* diligam? *non* admi-

nirer ? *non omni ratione defendendum* putem? n.

Quid eſt Homoeoteleuton?

Iomœoteleuton, ſive ſimiliter deſinens, eſt, n cola, aut comata eodẽ ſono terminantur. v.c. *us ſemper voluntatibus non modo cives* aſſenſerint, *i* obtemperarint, *hoſtes* obedierint; *ſed etiam ti tempeſtateſque* obſecundarint. Cic.

Quid eſt Parechesis?

Parecheſis eſt, cum una, pluresve ſyllabæ vocis ecedentis, in alia ejusdẽ membri repetuntur. Vt: Palla pallorem *incutit.* Plaut.

O fortunatam natam *me conſule Romam!* Cic.

CAPVT V.

De Schematibus Sententiarum.

Quid ſunt Figuræ Sententiarum?

Iguræ Sententiarum ſunt, quæ non in vocibus figurandis occupantur, nec ſitum verborum piciunt, ſed orationem amplificant, aut varios ectus animi exprimunt. Eæ variæ ſunt, & ex uentibus noſcuntur:

Quid eſt Occvpatio?

Occupatio ſive Prolepſis, eſt, cum id, quod ab verſario objici poſſe putamus, anticipamus, atq; uimus. Partes ejus ſunt duæ; ὑποφορὰ, quæ jectionem proponit, & ἀνθυποφορὰ, quæ objeoni reſpondet. v.g. Objectio, eſt in illo Didonis ud Maronem Æn. 4.

Verum anceps pugnæ, fuerat fortuna.

At ἀνθυποφορὰ eſt: *Fuiſſet. Quem metui moritura.*

Cur igitur victus eſt? quia non ſemper viator a latro-, nonnunquam etiam latro a viatore occiditur. Cic.

Quid eſt SUBIECTIO?

Subjectio eſt, quâ multa, quæ pro adverſario dici poſſunt, breviter & minutatim proponuntur; atque ad ſingula breviter item reſpondetur. Vt: *Male judicavit populus: at judicavit. Non debuit: at potuit. Non fero: at multi clariſſimi & ſapientiſſimi cives tulerunt.* Cic.

Quid eſt COMMVNICATIO?

Comunicatio eſt, quâ adverſarium adhibemus in conſilium, aut cum judicibus, quid faciendum ſit, quidve factum oportuerit, deliberamus. v.c. *Quæro, ſi te hodie domum tuam redeuntem, coacti homines & armati, non modo limine tectoque ædium tuarum, ſed primo aditu, veſtibuloque prohibuerint, quid acturus ſis?* Cicero.

Quid eſt CONFESSIO?

Confeſſio eſt, cum callide omnia adverſario permittimus. *Habes igitur Tubero (quod eſt accuſatori maxime optandum) confitentem reum: ſed tamen ita confitentem.* Cic.

Quid eſt CONCESSIO?

Conceſſio eſt, cum aliquid largimur adverſario, ut reliquum feramus.

Non dabitur regnis (eſto) prohibere Latinis:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.
Virg. 7. Æn.

Quid eſt SENTENTIA *ſive* GNOME?

Sententia, ſive Gnome, eſt generale Pronunciatum earum rerum, quas in agendo ſequimur, aut fugimus.

Vt: *Gratum hominem ſemper beneficium delectat, ingratum ſemel.* Seneca. *Otium ſine literis mors eſt, & vivi*

hominis ſepultura. Idem. *Minus ex craſtino pen-*
s,ſi hodierno manum injeceris. Idem.

Quid eſt Cogitatvm *ſive* Noema?

Cogitatum ſive Noëma, eſt alluſio ad ſenten-
n, ſive ſententia perſonæ accommodata: v.g.
ome eſt: *Nihil eſt tam populare, quam bonitas.* At
ëma eſt, cum Cicero Cæſari hoc accommodat:
il habet nec fortuna tua majus, quam ut poſſis; nec
ura tua melius, quam ut ſervare velis quam pluri-
.

Quid eſt Distribvtio?

Diſtributio, eſt, cum totum in ſpecies, aut partes
ucimus. Vt: *Cujus omnes corporis partes ad ne-*
tiam ſunt appoſitisſimæ; oculi ad petulantem laſcivi-
, manus ad rapinam, venter ad aviditatem, virilis
uræ membra, quæ non poſſumus honeſte appellare,
omne genus corruptelæ, pes ad fugam; prorſus, ut aut
hoc vitia, aut ipſe ex vitiis ortus videatur. Lycur-
s apud Rutilium Lupum.

Quid eſt Ætiologia?

Ætiologa eſt, cum in narrando facti ratio ad-
itur. Eleganter autem fit cum gradatione. Vt
illo Ovidii.

Viderat hanc, viſamque cupit, potiturque cupitâ.

Quod ſi cauſa ſit magis ſpecioſa, quam vera, *Color*
citur.

Quid eſt Diatyposis?

Diatypoſis eſt, cum res ita clare, copioſeque ex-
onitur, ut coram ſpectari videatur. Quomodo
icero in Miloniana deſcribit apparatum Milo-
s, & Clodii: illius, in rheda conſidentis, ac pe-
ulati; hujus, in equo, & cum delectis, villa egre-
entis, ac pugnantis e loco ſuperiore; & quæ ſe-

quuntur. Quod ſi ſimplicior dilutiorque fuerit deſcriptio, ὑποτύπωσις vocatur. Vt:

Conſtitit in digitos, extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.

Virg.

Quid eſt EXEMPLVM?

Exemplum eſt, cum factum, ſive actus aliquis commemoratur, ut eo oſtendatur, aliquem vel ſimilem facturum, vel facere debere. Vt, *Periculum eſt, ne quemadmodum Marii & Syllæ diſſidium, ita Pompeji & Cæſaris laceret Rempublicam.*

Quid eſt COMPARATIO?

Comparatio ſive παραβολὴ eſt, cum ad illuſtrandum id, de quo ſermo eſt, petitur ſimilitudo ab iis, quæ fuere, fiunt, aut natura, caſuve rebus inſunt.

Quales mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim.

Virgil.

— *Vt unda impellitur unda,*
Vrgeturque eadem veniens, urgetque priorem;
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterque ſequuntur,
Et nova ſunt ſemper. Nam, quod fuit ante, relictũ eſt,
Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur. Ovid. 15. Metam.

Vt, qui ſe meminerunt inquilinos eſſe, & in conducto habitare, & modeſtius ſe gerunt, & minus gravatim exeunt: ita qui intelligunt, domicilium corporis ad breve tempus a natura accommodatum eſſe, & vivunt temperantius, & libentius moriuntur. Sen. ep. 40.

Quid eſt COLLATIO?

Collatio ſive συμβολὴ eſt, quando ſubſtantiam cum ſubſtantia, aut accidens cum accidente, conferi-

rimus,ut ex oppoſitione hac pateat, quantope-
conveniant, aut differant. Vt,ſi conferas *A-*
xandrum, & *Cæſarem. Oleam,* & *vitem.* Huc per-
net etiam ἀνομοίωσις ſive διαφορὰ,id eſt: *Diſſimi-*
udo vel *Differentia.* Vt: *Non enim quemadmo-*
m in palæſtra; qui tædas ardentes accipit,celerior eſt
curſu continuo,quam ille, qui tradit: ita melior Im-
rator novus,qui accipit exercitum,quam ille, qui de-
dit. Cornific.

Quid eſt SEIVNCTIO?

Sejunctio ſive παραδιαστολή eſt, cum diſtingun-
r ea,quæ habere vim eandem videntur. Vt: *Non*
piens,ſed aſtutus: non fortis,ſed audax. Premitur vir-
s,non opprimitur.

Quid eſt ANTITHESIS?

Antitheſis,eſt ex contrariis conſtans oratio. Vt:
Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo. Virg.
Hujus orationis difficilius eſt exitum, quam principi-
n invenire. Cic.
Parvula nam exemplo eſt magni formica laboris.
or. Sat. 1.l.1.

Quid eſt DIGRESSIO?

Digreſſio ſive παρέκβασις,eſt alicujus rei, quæ
men ad utilitatem cauſæ pertineat, extra ordi-
em excurrens tractatio.

Vti cum Cicero Oratione pro Archia,ab erudi-
one Poëtæ hujus, digreditur ad locum commu-
em de ſtudiis doctrinæ ; aut,cum in Oratione
o Balbo,laudes Pompeji perſequitur.

Quid eſt EPANADOS?

Epanados eſt ad propoſitum reditus. Vt:
Sed ut eò revertatur,unde hæc declinavit oratio. Cic.

Quid

Quid eſt ACCLAMATIO?

Acclamatio ſive Epiphonema eſt, cum rei narratæ, aut probatæ, velut coronis adjicitur pronunciatum, ex ſuperioribus expreſſum. Vt; *Adeo à teneris aſſveſcere multum eſt!* Virg.

Tantæ molis erat, Romanam condere gentem! Idem.

Quid eſt PRÆTERGRESSIO?

Prætergreſſio eſt, cum præterire nos velle dicimus, quod interim in tranſcurſu dicimus. Vt: *Mitto illam primam libidinis injuriam, mitto nefarias generi nuptias, mitto cupiditate matris expulſam matrimonio filiam.* Cic. pro Cluent.

Quid eſt INCREMENTUM?

Incrementum eſt, cum velut gradibus quibusdam pervenitur ad ſummum. Vt: *Facinus eſt, vincire civem Romanum; ſcelus, verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?* Cic.

Miſer homo eſt, qui ipſe ſibi, quod edat quærit, & id ægre invenit: ſed ille eſt miſerior, qui & ægre quærit, & nihil invenit: ille miſerrimus, qui cum eſſe cupit, quod edat non habet. Plaut. in Capt.

Quid eſt PERIPHRASIS?

Periphraſis ſeu Circumſcriptio eſt, qua rem unam multis ambimus verbis. Vt: *Romanæ eloquentiæ pater*; pro Cicerone. Item. *Ire ad requiſita naturæ* Salluſt. *Me dico ire quo ſaturi ſolent.* Plautus. *Retrimenta cibi quo exirent, per poſticam vallem feci.* Varro.

Sic Lucretio, Vrina, *ſaccatus corporis humor*; Senecæ, *humor obſcœnus*, &, *aqua immunda*, vocatur.

Quid eſt EXCLAMATIO?

Exclamatio ſive Ἐκφώνησις, eſt oratio in qua interjectio expreſſa aut intellecta, indicat animi affectum

ctum. Vnde & pronunciatio intenditur, ad ſigni-
candum rei magnitudinem. Vt: *O clementiam*
mirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis
onumentiſque, decorandam! Cic. *O ſcelus! o peſtis!*
abes! Idem.

Heu! quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut quid jam miſero mihi denique reſtat?
irgil.

Quid eſt DVBITATIO?

Dubitatio ſive ἀπορία eſt, cum dicimus, neſcire
os, quid dicere vel agere debeamus. Vt: *Itaque,*
o me vertam neſcio. Cic. *Eloquar, an ſileam?* Virgil.
Tu iſtud auſus es dicere? homo omnium mortalium;
æro quonam te digno moribus tuis appellem nomine.
ornific.

Quid eſt CORRECTIO?

Correctio ſive ἐπανόρθωσις eſt, quæ tollit id,
uod dictū eſt, & pro eo, quod magis idoneum vi-
etur, reponit *Quas ille leges, ſi modo leges nominan-*
, ac non faces urbis, & peſtes Reipublicæ. Cic.
Filium adoleſcentulum habeo; ah! quid dixi habere
? imo habui, Chreme; nunc habeam nec ne, incertum
. Ter. in Heaut.

Quid eſt RETICENTIA?

Reticentia ſive ἀποσιώπησις eſt, cum ita abrum-
tur oratio, ut vix appareat, quid dicturus quis
erit. Vt; *Quos ego. Sed, motos præſtat componere*
ctus. Virg.
De noſtrum enim omnium. Non audeo totum dicere.
ic. *Quem quidem ego ſi ſenſero. Sed, quid opus eſt ver-*
? Ter. in Andr. *Ego te furcifer, ſi vivo. Sed iſtud*
icquid eſt, primum expedi. Idem. in Eun.

Quid

Quid eſt SERMOCINATIO?

Sermocinatio proprie eſt, cum ſermo affingitur perſonæ, quæ præſentis ſit inſtituti. Vt:

Quid ad hæc Nævius? ridet ſcilicet noſtram amentiam, qui in vita ſua rationem ſummi officii deſideremus, & inſtituta bonorum virorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia, ac diligentia? viderint, inquit, iſta officia viri boni: de me iſta conſiderent, non quid habeam ſed quibus rebus invenerim, quærant. Cic. pro Quinct.

Quid eſt PERSONÆ EFFICTIO?

Perſonæ effictio ſive προσωποποιία eſt, cum rebus mutis ſermonem tribuimns, aut vita defunctos, tanquam vivos, aut abſentes etiam, tanquam præſentes, loquentes inducimus. Vt cum apud Ciceronem pro Cœlio Appius Cæcus, quaſi ab inferis excitatus inducitur, Clodiam compellans. *Exiſtat, ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſſimum cæcus ille. Minimum enim dolorem capiet, qui iſtum non videbit. Hic profecto ſi extiterit, ſic aget, ſic loquetur: Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno?*

Sic idem Cicero in prima Catilinaria, patriam inducit loquentem cum Catilina: *Quæ*, inquit, *tecum Catilina ſic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum jam tot annos facinus exiſtit, niſi per te: nullum flagitium ſine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque ſociorum impunita fuit, ac libera: tu non ſolum ad negligendas leges, & quæſtiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuiſti.*

Quid eſt INTERROGATIO?

Interrogatio ſive Ἐρώτημα eſt, quando, ubi recta oratione uti licebat, ſermonem inflectimus. Sic,

Sic,dicere poterat Cicero : *Patent, Catilina, tua conſilia; conjuratio tua omnium conſcientia conſtricta tenetur; quid egeris, nemo ignorat.* Sed magis inſtat,urgetque, cum ait : *Patere tua conſilia non ſentis? conſtrictam jam omnium horum conſcientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris?* Similiter dicere poterat Virgilius :

Ipſe ego te vidi, Damonis, peſſime, caprum,
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciscâ.

Sed plus ſpiritus,nervorumque habet :

Non ego te vidi, Damonis, peſſime, caprum,
Excipere inſidiis?

Quid eſt APOSTROPHE?

Apoſtrophe eſt,cum ſermonem alio avertimus, quam inſtituta oratio requirit. Vt: *Vos enim jam Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor.* Cic. *Muſa mihi cauſas memora.* Virg.

Tum tu, Jupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs, auſpiciis, Romulo es conſtitutus, quem Statorem hujus Vrbis atque Imperii vere nominamus; hunc, & hujus ſocios, tuis aris, cæteriſque templis, a tectis Vrbis ac mœnibus, a vita fortuniſque omnium civium arcebis; & omnes inimicos bonorum, hoſtes patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum fœdere inter ſe ac nefaria ſocietate conjunctos, æternis ſuppliciis vivos mortuoſque mactabis. Cic. Catil. 1.

——— *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri ſacra fames? Virgil. 3. Æn.

Quid eſt TRANSITIO?

Tranſitio ſive μετάβασις eſt,cum inſeritur aliquid orationi,ut ab eo,quod diximus,transgrediamur

Quid eſt SERMOCINATIO?

Sermocinatio proprie eſt, cum ſermo affingitur perſonæ, quæ præſentis ſit inſtituti. Vt:

Quid ad hæc Nævius? ridet ſcilicet noſtram amentiam, qui in vita ſua rationem ſummi officii deſideremus, & inſtituta bonorum virorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia, ac diligentia? viderint, inquit, iſta officia viri boni: de me iſta conſiderent, non quid habeam ſed quibus rebus invenerim, quærant. Cic. pro Quinct.

Quid eſt PERSONÆ EFFICTIO?

Perſonæ effictio ſive προσωποποιία eſt, cum rebus mutis ſermonem tribuimns, aut vita defunctos, tanquam vivos, aut abſentes etiam, tanquam præſentes, loquentes inducimus. Vt cum apud Ciceronem pro Cœlio Appius Cæcus, quaſi ab inferis excitatus inducitur, Clodiam compellans. *Exiſtat, ex hac ipſa familia aliquis, ac potiſſimum cæcus ille. Minimum enim dolorem capiet, qui iſtum non videbit. Hic profecto ſi extiterit, ſic aget, ſic loquetur: Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno?*

Sic idem Cicero in prima Catilinaria, patriam inducit loquentem cum Catilina: *Quæ*, inquit, *tecum Catilina ſic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum jam tot annos facinus exiſtit, niſi per te: nullum flagitium ſine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque ſociorum impunita fuit, ac libera: tu non ſolum ad negligendas leges, & quæſtiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuiſti.*

Quid eſt INTERROGATIO?

Interrogatio ſive Ἐρώτημα eſt, quando, ubi recta oratione uti licebat, ſermonem inflectimus. Sic,

Sic,dicere poterat Cicero: *Patent, Catilina, tua conſilia; conjuratio tua omnium conſcientia conſtricta tenetur; quid egeris, nemo ignorat.* Sed magis inſtat,urgetque, cum ait: *Patere tua conſilia non ſentis? conſtrictam jam omnium horum conſcientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris?* Similiter dicere poterat Virgilius:

Ipſe ego te vidi, Damonis, peſſime, caprum,
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſcâ.

Sed plus ſpiritus,nervorumque habet:

Non ego te vidi, Damonis, peſſime, caprum,
Excipere inſidiis?

Quid eſt APOSTROPHE?

Apoſtrophe eſt,cum ſermonem alio avertimus, quam inſtituta oratio requirit. Vt: *Vos enim jam Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor.* Cic. *Muſa mihi cauſas memora.* Virg.

Tum tu, Jupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs, auſpiciis, Romulo es conſtitutus, quem Statorem hujus Vrbis atque Imperii vere nominamus; hunc, & hujus ſocios, tuis aris, cæteriſque templis, a tectis Vrbis ac mœnibus, a vita fortuniſque omnium civium arcebis; & omnes inimicos bonorum, hoſtes patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum fœdere inter ſe ac nefaria ſocietate conjunctos, æternis ſuppliciis vivos mortuoſque mactabis. Cic. Catil. 1.

——— *Quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames?* Virgil. 3. Æn.

Quid eſt TRANSITIO?

Tranſitio ſive μετάβασις eſt,cum inſeritur aliquid orationi,ut ab eo,quod diximus,transgrediamur

mur ad illud, quod ſupereſt. Vt: *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Cic.

Hactenus arvorum cultus, & ſidera cœli,
Nunc te, Bacche, canam. Virgil.

Age, nunc illa videamus, Judices, quæ conſecuta ſunt. Cic. pro Roſc. Amer. *De Africa & ejus incolis, ad neceſſitudinem rei ſatis dictum.* Salluſt. in Jugurth.

Quid eſt REIECTIO?

Rejectio eſt, cum aliquid in alium locum, vel tempus rejicitur. Vt: *Sed de Lucullo dicam alio loco, & ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione noſtra, neque falſa afficta eſſe videatur.* Cic.

Quid eſt REVOCATIO?

Revocatio eſt, cum, quia longiores aliqua in re fuerimus, orationem ad principium revocamus. Vt: *Hac de re quid attinet dicere? erit alias opportunior dicendi locus.*

Sed nimis hac de re multa: quare in gyrum contraham orationem.

LIBER V.

CAPVT I.

De Compoſitione.

Quid eſt COMPOSITIO?

COmpoſitio, eſt idonea verborum, ſententiarumque ſtructura. Complectitur ea Juncturam, Ordinem, Periodum, & Numerum.

Quid eſt JVNCTVRA?

Junctura præſtat, ut oratio ſit lenis & mollis; aut ſonora, ac grandis. Atque hic præcipitur, ut ſonus literarum obſervetur. Etenim e *Vocalibus* maxime ſonat A, proxime O, inde V, hinc E, poſtre-

tremum locum obtinet I. Ex *Conſonantibus* minus ſonant Mutæ, atq; ex his ipſis minime Tenues, niſi acceſſione ſpiritus, ſive literæ H, tenuium exuerint naturam. Ex *Semivocalibus* L. molle eſt; M. firmum, N. ſiccum & tinniens, R. aſperum, S. humidum, X. ſtridulum, Z. ſuavius. Porro hic laborandum, ut caveatur crebra vocalium concurſio; ejusdem literæ, vel ſyllabæ, in initio aut fine frequentatio; continuatio plurium ſyllabarum brevium, vel longarum.

Quid eſt ORDO?

Ordo exigit, ne inconcinna fiat verborum trajectio: item, ut creſcat oratio; ne graviori id, quod levius eſt, ſubjiciamus: item, ne turbetur naturalis ordo; eoque potius dicamus, *viros ac fœminas; diem ac noctem; ortum, & occaſum*, quam ordine inverſo.

Quid eſt PERIODVS?

Periodus, ſecundum Ciceronem, eſt oratio, in quodam quaſi orbe incluſa procurrens, quoad inſiſtat in abſoluta ſententia. Eſtq; vel ſimplex, vel duorum, vel trium, vel ſum̃um quatuor membrorum. Qualis in illo pro Cæcinna: *Si quantum in agro locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque in judiciis, impudentia valeret: non minus in cauſa cederet Aulus Cæcinna Sexti Æbutii impudentiæ; quam tum in vi facienda ceſſit audaciæ.*

Quæ ſunt partes Periodi?

Periodi partes aliæ ſunt majores, quæ Græcis Cola, Latinis Membra dicuntur: aliæ minores, quæ Græcis Commata, Latinis vocantur Inciſa.

Quid eſt NUMERUS?

Numerus, Ciceroni eſt modus quidam orationis, qui e permiſtis & confuſis pedibus, & temporum, quibus conſtant, apta ratione naſcitur. Adhibetur autem hic aurium judicium; ſed præſtantium Oratorum lectione firmatum.

CAPUT II.

De triplici Charactere dicendi.

Quotuplex eſt Character dicendi?

CHaracter dicendi eſt triplex: Magnificus, ſive Sublimis; Humilis, ſive Tenuis; & Mediocris, ſive Æquabilis.

Quis eſt Character SUBLIMIS?

Character ſublimis potiſſimum locum habet in rebus magnis, ut de DEO ac Republica. Vnde in rebus heroicis ac tragicis, præcipue adhibetur. Conſtat gravium & ſublimium verborum ampla, atque ornata ſtructura; Metaphoras petit a rebus grandibus; Schemata adhibet vehementiora, ut Exclamationes, Proſopopoeïas, Apoſtrophas. Affectibus ciendis idoneus eſt. *Vitium* ejus eſt, ſi turgidus ſit, & inflatus, vel inſolentia horridus.

Quis eſt Character HUMILIS?

Character Humilis convenit rebus tenuibus, ac contentus eſt verborum proprietate; metaphoris uſitatis, item acumine, lepore. Sententiarum Schemata rarius uſurpat, abſtinet ab amplificationibus, inſignioribus numeris, & periodis accura-

accuratioribus. Præcipue adhibetur in epiſtolis, & diſputationibus philoſophicis. Videndum autem, ne neglectu nimio fiat jejunus & exanguis.

Quis eſt Character MEDIOCRIS?

Character Mediocris eſt, qui in rebus mediis uſurpatur. Eſtque humilior ſublimi, ſed ſublimior humili: eoque nec vehementiora illa Schemata amat, nec infimam ſequitur dicendi rationem. *Vitium* ejus eſt fluctuans character, & incertus: quomodo vocatur, ſi nunc humile genus fugiens, nimis aſſurgat, nunc tumidum atque inflatum vitans, humi ſerpat.

CAPVT III.

De Pronunciatione.

Quid eſt PRONVNCIATIO?

PRonunciatio, ſive Actio, eſt vocis geſtuumque, pro rebus, & verbis, apta conformatio. Ejus quaſi fundamentum eſt *Memoria*: qua res jam inventas, diſpoſitas & exornatas, firmiter animo comprehendimus.

Quæ ſunt Partes PRONVNCIATIONIS?

Partes Pronunciationis ſunt duæ: una Vocem format; altera Corporis motum.

Quæ notanda ſunt de VOCE?

Vox eſto clara, itemque varia; & cavenda maximopere μονοτονία, ſive uniſonantia. Præterea cavendum, ne nimis ſit præceps vox, ſed cum mora quadam proferatur, & pro ratione auditorii, vel

 intenda-

intendatur, vel remittatur. In Exordio ſit ſubmiſſior, poſteamagis inſurgat; in Narratione plana ſit apertaq; , in Contentione acrior; & in Epilogo excitata. Res grandes, dicendæ ſunt cum majeſtate quadam; atroces, concitate. Suademus voce gravi; laudamus, magnifica; irati, utimur incitata, crebroque interrupta; miſerati autem, flebili ac triſti.

Quæ ſunt notanda de Corporis habitu?

Vniverſus corporis ſtatus eſſe debet erectus & celſus. Vultus, pro rerum natura, eſto lætus, triſtis, blandus, minax, erectus, demiſſus. Brachia non ſunt projicenda, niſi in vehementi affectu. Pectus ferire, aut femur, prope ſcenicum videtur.

PRÆ-

PRÆCEPTA

De

POESI GERMANICA.

Von

Der Deutſchen Dicht⸗ und Reimkunſt.

NEc fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, ut repente ſic Poëta prodirem,

traderemque aliis divinam artem. Georgius Philippus Harsdörfferus, *Senatoriæ dignitatis*, & Sigismundus a Birken, *cultiſſimi ingenii, Viri, ambo perpetuo ornamento Reipublicæ Noribergenſis nati, fœcundis laticibus ſuis potiſſimum mihi ſubvenerunt. Ex iis guttulo guttulas hauſi, quibus rudem adhuc, & puerilem Filii animum imbuerem, &, ceu facere poſtulat ratio, in vernacula primum lingua, oſtenderem, quale inter ſolutam ligatamq; orationem intercedat diſcrimen: quid Pes, quid Metrum, quid Poëma, quæque varia ejus genera: ut ſic via muniretur, ad diſcendam porro Latinam Poëſin, & illam, quam Gentiles, Deorum ſermonem eſſe crediderunt, Græcanicam. In his autem ſtudiis tantum eum proficere vovebam, quantum ad recte & cum fructu legenda Poëtarum ſcripta, ſcire neceſſe eſt. Deſperavi enim jam ſtatim, illum eo usque progreſſurum, ut ex ſe carmen ſani coloris unquam ſit effecturus. Eſt enim in arduo poſita Poëſis, nec ſui copiam facit exilibus ingeniis. Quamobrem ſerio juſſi, me imitaretur, & ævi maturus, Poëtas omnium gentium, quarum idiomata callere contingeret, præcipue autem Græcos & Latinos, omnis divinæ humanæque ſapientiæ magiſtros illos, diurna nocturnaque manu verſaret: de cætero,*

Heliconiadasque, pallidamq; Pirenem,
Illis relinquat, quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces.

Scili-

Scilicet, verſus male tornatos in publicum emittens, in quibus nil niſi verborum inanis ſtrepitus, nulla autem numerorum majeſtas, nullus dictionis ornatus, nullum judicii acumen, nulla artis obſervatio, nihil aliud agit, quam ut aut comedendum deridendumque lectoribus ſe propinet, aut certe iis moveat nauſeam. Cæterum, ut Filius probe aſſequeretur, ea quæ diſcenda erant, Carmina etiam prolixa in medium afferre neceſſe fuit, quod idem in Latina quoque Proſodia obſervavi. Nam, aliter qui ſcire poſſet Præcepta, ac pernoſcere? Nempe ego penitus perſuaſus ſum, non ſatis conſulere profectibus tirunculorum, qui unum tantum & alterum verſum, pro exemplo alicujus generis Carminum, Poëmatis vero nullum prorſus allegant. Complecti mente, quid verſus ſit, quot modis varietur, quomodo Poëma fiat, copiam verſuum, & plena Carmina deſiderant: atque is demum recte hæc docet, &, ut cum Plinio loquar, relinquere aculeum in Diſcipulorum animis poteſt, qui non pungit, ſed infigit.

Von der Teutſchen Dicht- oder Reim-Kunſt.

Das I. Capitel.

Von der Dicht-Kunſt ins gemein/auch deren Nutzen/Urſprung/Innhalt und Zweck.

DJe Dicht-kunſt/iſt eine Wiſſenſchafft/ von allen Sachen Kunſt-richtige Gedichte/oder Reimzeilen zu ordnen.

Zu dieſer Kunſt zu gelangen/ermangelt es etlichen an guter Anweiſung: Etlichen ermangelt es an den Verlag/die benöthigten Bücher zu kauffen; Etlichen ermangelt es an natürlicher Fähigkeit; Etliche haben keinen Luſt zu der Poeterey. Für ſich ſelbſt aber/ iſt niemand ſo unreinen Hirns/der nicht durch nachſinnen/ auf vorher erlangte Anweiſung/ eine gebundene Rede zuſamm zu bringen/ſolte lernen können.

Durch die Poeterey lernet man zierlich reden; eine Sache mit vielen Worten nachdrücklich vorbrin-

bringen; jede Meinung auf die andere richtig bin-den; und kan man ſich durch dieſe Kunſt in Freud und Leid/ bey andern angenehm und beliebt ma-chen.

Die Mittel zu der Poeterey zu gelangen/ ſind 1. daß man einen kurtzen Entwurff derſelben zu Sinn faſſe. 2. Daß man anfänglich Verſe ohne Reimung ſchreibe/ oder vermiſchte Verſe wieder einrichte/oder aus einer Reimart in die andere ſetze. 3. Daß man die beſten Teutſchen Poeten leſe/ih-nen folge/ und den Anfang ſeiner Gedichte/ andern zu verbeſſern überreiche.

Die Hirten und Schäfer Lieder ſollen die älte-ſten Gedichte ſeyn/weil dieſe bey ihren Heerdē mehr müſſig als andere/ von dem Feldbau unverhindert geſungen. Etliche vermeynen/ die älteſten Gedich-te ſeyen von den Wintzern zur Weinerndte Zeit gedichtet worden.

Der Poet handelt von allen und jeden Sachen/ die ihm vorkomen/ allermaſſen gleich wie der Mah-ler/alles/was er ſiehet/ oder auch ſich nur einbildet/ fürſtellen kan.

- u u -

Was iſt die SCANSION?

Die Scanſion, iſt eine rechte Abmäſſung eines Verſes / nach ſeinen Regionibus und Pedibus.

Was iſt ein Vers?

Ein Vers beſtehet aus einer gewiſſen Zuſammenſetzung der Pedum, in ihrer rechten Art und Anzahl.

Was iſt die REGIO?

Die Regio iſt ein Theil eines Verſes/in einem gewiſſen pede beſtehend.

Was iſt die SYNALOEPHE?

Die Synalœphe iſt/wann ein Vocalis oder Diphthongus zu letzt des Worts ſtehend/von dem Anfangs-Vocali oder Diphthongo des folgenden Worts / im ſcandiren gleichſam verſchlungen wird. Als:

Non facile eſt *æqua commoda mente pati*, Ovid.
Conticuere omnes *intentique ora tenebant*. Virg.
Ille ego *qui quondam gracili modulatus avena*. Virg.
Ergo omnis *longo ſolvit ſe Teucria luctu*.
Tela inter media, atq; horrentes *Marte Latinos*.

Was

Was iſt die ECTHLIPSIS?

Ecthlipſis iſt / wann das M ſozu letzt eines Worts ſtehet/mit ſeinem Vocali, wegen des folgenden Vocalis oder Diphthongi, verſchlungen wird. Als:

Audendum *eſt, fortes adjuvat ipſe Deus.*
Monſtrum horrendum, informe, *ingens, cui lumen ademtum.*
Omnibus hoc vitium eſt *cantoribus inter amicos,*
Vt nunquam inducant *animum cantare rogati.*

Zu mercken iſt / daß die Alten durch die Ecthlipſin auch bißweilen das S. elidiret: Als:

Spernitur Orator bonus, horridus *miles amatur.* Ennius.
Vsque adeo largos hauſtus de fontibus *magnis.* Lucretius.

Es iſt auch zu mercken/ daß die Poëten bisweilen den letzten vocalem eines Worts/oder das M. da es doch geſchehen ſolte / nicht elidiren, welches Hiatus genennet wird. Als:

Et ſuccus pecori, & *lac ſubducitur agnis. Virgilius.*
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam. *Idem.*
Vivendum recte, tum propter plurima, tum his. *Juven.*
At contra gravius plus in ſe corporum *eſſe. Lucretius*
Inſignita fere tum millia militum octo. *Ennius.*

O und

O und Heu, werden durch den folgenden vocalem nicht elidiret. Als:

O pater, o hominum, Divumque æterna poteſtas!
Heu ubi pacta fides, ubi quæ jurare ſolebas?

Was iſt die *SYNÆRESIS* oder *CRASIS*?

Die Synæreſis oder Craſis iſt/wann zwey Sylben in eine zuſammen gezogen werden: Als:

Seu lento fuerint alvearia *vimine texta*. Virg.
Vno eodemque *tulit partu, paribusque revinxit*.
Sic patriæ cecidere manus, quin protinus omnia.

Was iſt *DIPLASIASMUS*?

Diplaſiasmus iſt/wann ein Conſonans in der Mitte des Worts verdoppelt wird. Als: Relligio, für Religio, Repperit, für Reperit.

Was iſt die *SYSTOLE*?

Die Syſtole iſt/wañ eine ſonſt lange Sylbe kurtz gebraucht wird. Insgemein werden dieſe Beyſpiel gegeben:

Obſtupui ſteteruntq; *comæ, vox faucibus hæſit. Virg.*
Matri longa decem tulerunt *faſtidia menſes. Idem.*
Nec cythara intenſæ profueruntq; *comæ. Tibullus.*

Was iſt die *DIASTOLE*?

Die Diaſtole iſt/wañ eine ſonſt kurtze Sylbe lang gebraucht wird. Als:

Atque

Atque hic Priamidem *laniatum corpore toto.* Virg.
Et quas Priamides *in aquoſæ vallibus Idæ.* Ovid.
Ecquid ibi Aſiacus *caſuras aſpicit arces.* Idem.

Was iſt die CÆSUR?

Die Cæſur iſt eine annehmliche Abtheilung eines Worts in einem Vers / dergeſtalt / daß die ultima oder penultima ſyllaba, einen neuen pedem anfänget. Als:

Sylveſtrem tenui Muſam meditaris avena.
Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

Die Cæſur hat eine ſolche Krafft / daß ſie eine Sylbe ſo ſonſt kurtz wäre / lang machet: Als:

Pectoribus *inhians ſpirantia conſulit exta.*
Omnia vincit amor *& nos cedamus amori.*
Dona dehinc auro gravia *ſectoque elephanto.*
Grajus homo infectus linquens profugus *Hymenæos.*

Was iſt ein CARMEN?

Ein Carmen iſt eine wolſchickliche Ordnung verſchiedener Verſe in einem Gedicht.

Was iſt der *Verſus* HEXAMETER?

Ein Verſus Hexameter hat ſechs regiones, deren die erſten vier einen Spondæum oder Dactylum zulaſſen / in der fünfften hat bloß ein

ein Dactylus, in der ſechſten aber ein Spondæus, oder Trochæus ſtat / dann die letzte Sylben/eines jeden Verſes iſt frey/und kan lang oder kurtz gebraucht werden.

[Es iſt in der Vorrede über den Bericht von der Teutſchen Poëſi ſchon erinnert worden / wie mir der jenigen Weiſe gar nit gefalle/welche denē Knaben/um die unterſchiedliche Genera Carminum zu erlernen / nur ein paar Vers von jedwedern darſtellen. Dann/ſofern ein kleiner Lehrling eine gewiſſe Art der Verſe / recht zu Sinn faſſen/und ſcandiren lernen ſoll / ſo muß der Beſchreibung oder Definitioni Generis Carminis alſobalden eine gute Anzahl dergleichen Verſe mit beygefügt werden/damit er ſich recht üben könne/allermaſſen von mir geſchiehet. Jch werde aber/um das Gedächtnuß des fürtreflich-Gelehrten/ und/ wie ſein Nahme war / ſehr Guten und froñen Cardinals JOHANNIS BONA, welcher/ mir zu Rom den Zutritt vergönnet/und ſich gar geneigt gegen mich erwieſen/danckbarlich zu ehren/meiſtens alle Beyſpiele/nur drey ausgenommen/aus ſeinem ſchönen Buch/ſo er Pſallentis Eccleſiæ Harmoniam genannt / entlehnen/ und alſo in etwas erfüllen/was er ſich ſelbſt von ſolchem Werck/in der Schlußrede/GOtt anredend/dergeſtalt geweiſſaget:

Ore legar populi, nec me libitina ſepulchro,
Nec ventura dies tenebroſa condere nocte,
Nec poterunt flammæ, nec edax abolere vetuſtas.
Candida poſteritas, Duce te, mihi digna laboris
Præmia, & immeritam ſtatuet cum laude coronam.]

Nun

Nun der Hexametrorum oder Heroicorum Verſuum, gibt uns der belobte Cardinal dieſes Beyſpiel dar.

Myſtica ſacrarum penetralia pandere rerum,
Atque adyton reſerare poli, perfuſa ſuperno
Lumine mens geſtit. Procul hinc gens vana recedat,
Quæ reſidem teteraq; animum caligine merſum
Tollere neſcit humo, ſcelerum devincta catenis.
Si nihil ad veſtros cœli myſteria mores,
Sanctaque relligio, pietasque, & Numina ſpectant;
Parcite pollutis hæc ſcripta evolvere dextris,
Parcite vulgus iners, diræ plebs conſcia culpæ,
Cui fixum ſtat corde nefas, quam vulnere fœdo
In Bacchi, Venerisque luem malus impulit error.
Non hic obſcuris rerum primordia pando
Naturæ e clauſtris: non hic digeſta per annum
Tempora, non Thebas, non alti ſidera cœli
Concino, diverſos hominum variantia caſus:
Non freta fatidicæ primum ſulcata carinæ,
Non ſtygii raptoris equos, non pocula Circes,
Non clarum Aeacidem, formidatumque novercæ
Amphitryanidem, miſeræque incendia Trojæ.
Non refero hic varias ſubeuntia corpora formas,
Non ſylvas, viridesq; plagas, Veneresque, jocosque.
Hæc pereant, quicunq; colunt. Mihi ſplendida ab alto
Lux nitet, & divo jam cor perfunditur æſtu:
Ecce Deus, Deus ecce venit, procul eſte profani:
Eſte procul, nocuos procul hinc avertite vultus.
At vos ſanctæ animæ, ſolidæ pietatis alumnæ,
Quas amor, & ſummi perſtringit Numinis horror,
Vos precor hic paucas perituri temporis horas
Conterere, & mecum veterum veſtigia Patrum

Cera

Certa ſequi. Dignas, Deus eſt, cui pangere laudes
Legibus hic doceo ſacris, quem juſſa per orbem
Terra colit, celebratque polus, maneſque tremiſcunt.

Zu mercken iſt/daß/wann der Hexameter in der fünfften region einen Spondæum hat/ er ein Spondaicus genennet werde. Als:

Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit.
Cara Deum ſoboles, magnum Jovis incrementum.
Cornua velatarum obvertimus antennarum.
Caulonisque arces, & naviſragum Scyllæum.
Cum ſociis, natoque, penatibus, & magnis Dîs.
Sunt apud infernos tot millia formoſarum.
Diſcedens chlamydemque auro dedit intertextam.
Per varias ſyrtes, & terrificos anfractus.
Aut leves ocreas lento ducunt argento.
Saxa per & ſcopulos, & depreſſas convalles.
An tandem nobis naturam intro corruptam.
Olli reſpondit Rex Albai longai.

Was iſt ein *Verſus PENTAMETER*?

Ein Verſus Pentameter hat fünff regiones, und wird abgetheilet in zwey Hemiſtichia oder Halbtheile/deren der erſte zwey Spondæos oder Dactylos zuläſſet/darauf folgt eine lange Sylbe; der andere Halbtheil hat 2. Dactylos, mit einer darauf folgenden langen oder kurtzen Sylben.

Te veneror, roſeus cum fugat aſtra dies.
Terra velut pluvias arida quærit aquas.
Præſentem Dominum mens videt usque meum.
Numinis adſervant quæ monimenta tui.

Præſidio tutus te celebrabo tuo.
Quæ dederis vitæ tempora cunque meæ.
Tu trepido præſens fers mihi ſemper opem.
Tu valida fulcis me Pater alme manu.
Membra dabunt avidis dilanianda lupis.
Et capiunt vitium, ni moveantur aquæ.
A cane non magno ſæpe tenetur aper.
Vulgus amicitias utilitate probat.
Regia laus Regum, regia facta ſequi.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen ineſt.

Zu mercken iſt/daß in dem erſten Hemiſtichio, von denen Alten/ die erſte überbleibende Sylbe auch bißweilen kurtz geſetzt worden. Als:

Perſpecta erigitur unica amicitia. Catul.
Vinceris, aut vincis, hæc in amore rota eſt. Propert.
Lactens & miſtus obriguiſſe liquor. Tibul.
Aut pudor ingenuus, aut retinendus amor.

Ferner iſt zu mercken/ daß das erſte Hemiſtichium ſich mit einem Wort ſchlieſſen muß/wann es anderſt wol lauten ſoll; dann übel klingt es bey den Catullo:

Munera quæ & Muſarum hinc petis & Veneris.
Hæc quoque noſtræ ſententia mentis erat.

Letztlich iſt zu mercken/daß oft ein Hexameter und Pentameter wechſelweis geſetzt werden/ und das nennt man ein Genus Carminis Elegiacum. Als wann unſer Cardinal Bona gedichtet:

Sur-

Surgit amor, jactatque faces, & ſpicula vibrat,
Mergit ut æquoreis lumina Phœbus aquis.
Cumque ſerenato luceſcunt ſidera cœlo,
Cæcaque nocturno frigore terra riget:
Tunc amor arcanis populatur viſcera flammis,
Pectora tunc rapidis ignibus uſta calent.
Lumine nempe novo nox ambitioſa refulget,
Gaudet & occulta luce referre diem.
Flammeſcunt gelidæ tremulis ſplendoribus umbræ,
Et polus ætherea mittit ab arce faces.
Squamigerum ſtupet omne genus, luditque per undas,
Dum natat in vitreo pendula flamma mari.
In tenebris ardens ſcintillat pectus amantis,
Nocte vigent flammæ, nocte triumphat amor.
Quod ſi feſſa juvat componere membra ſopore,
Tunc magis ardenti fulminat ille manu.
Fulminat, & tantis langueſcunt pectora flammis,
Languet ut in calidis floſculus uſtus agris.
Nuper nocte meas urebat flamma medullas,
Ætnæ non potuit ſævior eſſe rogus.
Dumque ardens jaceo, dum langueo multa volutans,
Dormio ſub vili tegmine ſtratus humi.
Tunc mihi languenti miſit bona ſomnia Numen,
Somnia formoſo candidiora die.
Conſtitit ante oculos ſpecies veneranda puellæ,
E ſuperum facies prodidit eſſe choro.
Induerat Tyrio diſtinctam murice veſtem,
Textili & intactas cinxerat igne nives.
Stellantes oculi, miſeri duo fulmina cordis,
Jactabant rapidos frontis ab arce rogos.
Dextera fulgebat viridi ſtellata ſmaragdo,
Ornabat nudum plurima bacca ſinum.

Prætereo gemina radiantes aure pyropos,
Albaque purpureis lilia picta genis.
Mitto quod Eois certarent labra corallis,
Et rutilas premerent aurea ſerta comas.
Hærebam tantæ pellectus imagine formæ,
Fundebamque humiles, ore tacente, preces.
Nec mora: jam lacrymas, jam mollia verba parabam,
Queis mihi tantus erat conciliandus amor.
Illa ſed inſolitas ſpargens furibunda favillas,
Hos mihi terrificos edidit ore ſonos.
Gloria ſumma poli, ſoboles primæva Tonantis,
Non ſoleo ignavos ſacra docere viros.
Delitiæ, fateor, mihi ſunt humana propago,
Ni inficerent animum, deprimerentque ſolo.
Dixi etiam quondam: Nox eſt mea ſola voluptas,
Nec niſi qui vigilant me reperire queunt.
Nocte micat mea lux, mihi ſidera lumine cedunt,
Atraque fit radiis Cynthia victa meis.
Ipſe meo fulgens Titan aſpirat honori,
Et recreo flamma ſplendidiore polum.
Cum mea lux fulget, cum ſpargo per aëra flammas,
Vertitur in clarum nox tenebroſa diem.
Cumque meo humanum perfundo lumine pectus,
Dignus homo eſt ſuperum conditone frui.
Vix ea, cum ſubito tenues dilapſa per auras
Aufugit, heu! lacrymis non revocanda meis.
Tunc votis fruſtrata ſuis mens excidit, omnis
Me virtus liquit, deſtituitque ſopor.
Et dixi recolens felicis gaudia ſomni,
Solus erit Sophiæ dignus amore vigil.

Was iſt ein *Verſus PHALEVCIVS* oder *PHALAICVS*.

Ein Verſus Phaleucius oder Phalaicus hat fünff Regiones, deren die erſte einen Spondæum, die andere einen Dactylum, die übrigen drey einen Trochæum erfordern.

O ſincera parens beatitatis,
Cœli delicium, Deique proles,
Pax, terræ columen, decusque morum,
Pax, cunctis potior Ducum triumphis,
Quos mundi colis abditos receſſus?
Hic te ſollicito requirit æſtu,
Vrbanos fugiens procul tumultus.
Hic inter ſcopulos, vagosque fluctus,
Spumantis pelagi latere credit.
Hic deſerta petit loca, & per antra
Te quærens, varias peragrat oras,
Qua lucens oritur, caditque Titan.
Hic ut te celer aſſequatur aurum
Congeſtum colit, atque dignitatum
Regalem ſibi præparat decorem.
Hic demens juga ſcandit, & remotos
Perſcrutatur agros: tamen ſupernæ
Hi pacis nequeunt bonis potiri.
Cur ſic ergo tuum benigna Numen
Celans implacidum relinquis orbem?
Pacem ſic ego ſciſcitabar: illa
Reſpondit. Proprio imperare cordi
Si noſti, tibi cognitumque Numen,
Poſſeßumque meum eſt: ſinu receptam
Sic me perpetuo coles amore.

Was iſt ein *Verſus SAPPHICVS.*

Ein Verſus Sapphicus hat fünff Regiones, deren die erſte einen Trochæum, die andere einen Spondæum, die dritte einen Dactylum, die vierte und fünfte abermals einen Trochæum erfordern. Weilen kein Carmen von lauter Sapphicis, bey den Cardinal Bona zu finden / ſetzen wir dieſes aus dem Boethio hieher.

Novimus quantas dederit ruinas,
Vrbe flammata, Patribusque cæſis,
Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuſo maduit cruore,
Corpus & viſu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, ſed eſſe
Cenſor extincti potuit decoris.
Hic tamen ſceptro populos regebat,
Quos videt condens radios ſub undis
Phœbus, extremo veniens ab ortu;
Quos premunt ſeptem gelidi triones;
Quos Notus ſicco violentus æſtu
Torret, ardenteis recoquens arenas.
Celſa num tandem valuit poteſtas
Vertere inſani rabiem Neronis?
Heu gravem ſortem, quoties iniquus
Additur ſævo gladius veneno!

Was iſt ein *Verſus ADONICVS.*

Ein Verſus Adonicus, welcher gemeiniglich dreyen Sapphicis Verſibus nachgeſetzet wird / beſtehet in einem Dactylo und Spondæo oder Trochæo. Boëthius gibt in Ermanglung des Cardinals Bona abermal dieſes Beyſpiel der Adoniſchen Verſe.

Nubi-

Nubibus atris
Condita, nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen.
Si mare volvens
Turbidus Auſter
Miſceat æſtum,
Vitrea dudum
Parque ſerenis
Unda diebus,
Mox reſoluto
Sordida cœno
Viſibus obſtat.
Quique vagatur,
Montibus altis
Defluus amnis,
Sæpe reſiſtit
Rupe ſoluti
Objice ſaxi.
Tu quoque ſi vis,
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adſit.
Nubila mens eſt,
Vinctaque frænis,
Hæc ubi regnant.

Wie ein Adonicus dreyen Sapphicis nachgeſetzet werde / zeiget dieſe Ode des Cardinals:

 Magne

Magne rex terræ, nitidique cœli,
Chriſte, qui nutu moderaris orbem,
Mentis arcanum jubar, & paternæ
Lucis imago.
O ſacrum cœli decus, & coruſci
Luminis candor, ſine nube fulgens,
Huc ades, puro tibi dum ſacramus
Carmina voto.
Serviunt curſu tibi concitato
Nox, dies, annus, properique menſes,
Teque circumſtant glomerata blandis
Aſtra choreis.
Huc nitens cæcis male pulſa terris
Lux ades, nulla temerata nocte,
Myſticum lumen, niveosque nobis
Annue mores.
Pax, fides tecum, pietas, & omnis
Audeat virtus remeare ab alto.
Pectus illuſtra, refluatque ſummi
Flumen amoris.
Erudi terras meliore flamma,
Et per ignotas tibi fundat oras
Prodigus laudes populus ſacratam
Pronus ad aram.
Annuos cultus, patriosque ritus,
Lætus antiqua renovare pompa
Indus, & Maurus, gelidique diſcat
Incola Ponti.

Was iſt ein *Carmen* JAMBICUM.

Ein Carmen Jambicum iſt / das in denen Regionibus imparibus, einen Jambum, Spon-

Spondæum, Dactylum, Anapæſtum oder Tribrachyn, in denen Regionibus paribus einen Jambum oder Tribrachyn erfordert. Es ſind aber die Verſus Jambici fürnehmlich dreyerley.

Quaternarii welche aus 4. Regionibus,
Senarii welche aus 6. Regionibus,
und *Octonarii* welche aus 8. Regionibus beſtehen. Aus Quaternariis beſtehet dieſes Carmen des Cardinals:

O ſolitudo mentibus
Orantium gratiſſima,
O vera cordis ſuavitas,
Ignota vulgi ſenſibus:
Vt te requiro, & expeto,
Turbam peroſus improbam!
Hic, hic ſerena ſpiritus
Aſpirat aura pectori.
Hic nullus auditur fremens
Tumultuantium fragor.
Hic corda nullus inquinat
Vapor, vel umbra criminis.
Campi ſonant hic mellicis
Pſallentium concentibus,
Hic Angelorum cœtibus
Immixtus. & vindex ſui
Sapiens, quietam tranſigit
Vitam procul negotiis,
Curis procul nocentibus,
Solutus omni jurgio.
Hic alta vitans curiæ
Potentioris limina

Innoxios aucu dies
Inanis expers ambitus.
Hic lucra conſcientiæ
Quadrante juſto computans,
Studet mereri fletibus
Amiſſa cœli gaudia.
Optet ſuperba culmina,
Optet domosque ſplendidas
Quicunque vult: me neſcium
Fraudis juvat ſilentium.
Me ſolitudo, me quies,
Abſcondat ignotum omnibus,
Deoque ſoli cognitum.
Hoc ſcire demum, hoc vivere eſt.
Sibi, Deoque vivere.

Zu mercken iſt / daß / wann in dem Quaternario Jambico eine Sylben fehlet / ſolcher Vers Anacreonticus genennet wird. Dergleichen ſind folgende:

Procul hinc tenebræ, & horror,
Procul ſopor, procul nox.
Clara nitentis aſtri
Caligo luce fugit,
Tellus ſoluta ridet.
Atrisque jam tenebris
Nox victa ceſſit, ortum
Solis monent adeſſe
Titaniæ volucres.
Dux Phosphorus nitorum
Lucis parens diurnæ.
Inter globos olympi

Blan-

Blandas init choreas.
Procul o procul faceſſat
Tenebroſa turba Averni.
Procul hinc tenebræ, & horror,
Procul ſopor, procul nox.
Jam læta ſurgit hora,
Qua dulciore cantu
Loquax avis canorum
Modulamen ore promit:
Omnisque per vireta
Proles amœna veris,
Aſperſa luce vernat.
Roſæque, liliumque,
Venuſtiorque caltha,
Crocusque purpuraſcens
Produnt amoris ignes.
Procul hinc tenebræ, & horror,
Procul ſopor, procul nox.
Cantemus atque amemus,
Dum lux ſerena fulget,
Interque dulciorum
Fomenta gaudiorum,
Sopore jam ſoluti
Vultu Dei fruamur.
O ſola digna donis
Cœleſtibus, bonorum
Amica lex, levamen
Mœroris, & perennis
Parens beatitatis,
O lux decora ſalve.
Procul hinc tenebræ, & horror,
Procul ſopor, procul nox.

Die folgende ſind Jambici Senarii.

Tu magne cœli Rector, & mundi Arbiter,
Tremende, ſempiterne, inelactabilis,
Idem ſeverus ultor, & clemens pater,
Immenſa rerum ſpatia qui nutu regis,
Cui ſervit Orbis, Trinus ac unus Deus.
Da celſa virtutum juga, & ſuperum choros
Tranſcendere. Obſident iter vepres mali,
Et denſa tribulorum ſeges: bellum ferox
Intentat hoſtis, fingit & vanos metus.
Sed, te juvante, per rubos, & per truces
Spinas iter parabo: me nullus labor,
Pericla terrent nulla, ſunt dudum mihi
Hæc tela præviſa. Adjuva audentem Deus;
Serena donec fulgeat mihi dies,
Qua ſiſtar innocens, & omnis inſcius
Labis, tuo conſpectui. Quid hic moror;
Et hactenus mortalium ſordes colo?
Vos nubila ſuper Solis, & Lunæ vias
Me citius erigito volatu præpeti.
O me beatum! Jam mihi tellus perit,
Et regna decreſcunt, ſuum mundi globus
Vaneſcit in punctum. O veneranda Numinis
Præſentia! o cœli coruſcantes faces!
Perenne vitæ gaudium, verum decus,
Et clauſa nullo margine voluptas! dies,
Quem nulla temerat nox, bonorum fons patens!
Utinam ſemel veſtris receptus ſedibus
Quiete vera perfruar. Tu ne cadam
Adſis Pater. Gravi ruinæ eſt proximus,
Quicunque ſine te ad ſidera aſcenſum parat.

Zu mercken iſt/daß/wann in dem Senario Jambico zuletzt ein Spondæus oder Trochæus gebraucht wird / ſolcher Vers Scazon heiſſet. Zum Beyſpiel:

Ergone quiſpiam ſub axe cœlorum eſt,
Delirus adeo, ut dicat in ſuo corde
Non eſt Deus? vel plenus improbis votis,
Orbis Monarcham, ſiderumque rectorem
Turpi veterno publicæ rei ignarum
Clauſum latere in ædibus poli credat?
Sicne in Deum conſpirat, & minas jactat
Vilis homo, ſpolium mortis, urna fœtoris,
Lutoſa terræ maſſa, pulveris, ſaccus?
Ergo ſolutus Numinis metu infelix
Sic in diurna luce ſponte caligas,
Naturæ apertis abnegans fidem dictis?
Videsne ut undas legibus nitens Phœbe
Temperet? ut uda comprimat Thetis fluctus,
Tenuis arenæ terminum mari ponens?
Ut ſemper Helles portitor, parens florum
Juſtis adæquet partibus diem nocti?
Vides ut æſtu torridus ferus Cancer,
Caprique ſidus algidum ſtatis horis
Siſtant diem, Solisque curſui metas
Ponant? ut errent fulgidæ poli flammæ,
Serventque certo fœdere inditas leges?
Quis volvit aſtra? quis rotat vices rerum?
Quis e recondito, abditoque theſauro
Educit Æoli furentis inſanam
Turbam, procellarumq; concitat nimbos?
Quis lacte pingit lilium, quis argento
Liguſtra, calthas ignibus, roſas auro?

Quis

Quis univerſam graminumque, florumque,
Hortique, pratique decorat venuſtatem?
Anne reperiri vanitas poteſt major,
Quam mentis effræni impetu Deum ſummum
Temerare, & illi ſceptra denegare orbis?
An quod ſceleſtis proroget viris pœnas,
Dormire credit impius pigrum Numen?
Sed præſtat alto nos ſilentio Divos
Colere; luent mox impii ſcelus: tuncque
Vindicta cœlum abſolvet, & malos perdet.

Was iſt ein *Verſus* GLYCONICUS?

Ein Verſus Glyconicus beſtehet von einem Spondæo, und zweyen Dactylis: Als:

Jam Phœbus rutilum caput
Vectus cæruleis equis
Elotum pelago extulit.
Noctem Phosphorus horridam,
Clara percutiens face,
Stellas depulit æthere.
Lux fulgens radiantibus
Pingens cuncta coloribus,
Umbras lumine temperat.
Tellus omniferos ſinus
Pandens ætheris ignibus
Ardet murice flammeo.
Errantes pecudum greges
Herbis luce rubentibus
Carpunt gemmea pabula.
Largis flet lacrymis polus
Noctis triſtia funera,

Quas

Quas blanda excipit obſtetrix
Natura, & teneris cibum
Hortis melliſluum parat.
O quam floriferum ſolum
Vultu ridet amabili!
Flammas exacuunt roſæ,
Candent lilia pulchrius
Rident prata venuſtius,
Vernant cuncta decentius.
Arguta alituum cohors
Vocis nectare diffluens,
Naſcentem recinit diem.
Cantat flebilibus modis
Sylvoſum recreans nemus
Ales garrula Daulias.
Muſæ ruris acanthides
Ludentes hilari ſono
Mulcent aëra cantibus.
O Solis nitidum jubar
Squallentem tenebris humum
Optata irradians face,
Dum tu per tibi cognitas
Alti ſigniferi vias
Terris lumina dividis,
Nos certo quoque tempore
Immixti ſuperum choris,
Summo carmina Numini
Pſallentes terimus diem.

Was iſt ein *Verſus CHORIAMBICVS* oder *ASCLEPIADEVS.*

Ein Verſus Choriambicus oder Aſclepiadeus beſtehet in vier regionibus, deren die erſte

ſte einẽ Spondæum, die andere einen Dactylum, mit einer überbleibenden langen Syllben/die dritte und vierte wiederum einen Dactylum erfordern. Dergleichen ſind:

O curas hominum, ſtultaque pectora!
O quam deſipiunt, qui nimium ſuo
Credunt arbitrio, qui ſapiunt nimis!
Quam deſideriis difficile eſt modum,
Et metam propriis ponere ſenſibus!
Neſcitis cupidi quo lateant loco,
Mundi proſperitas, veraque gaudia:
Felicem Tyriæ non faciunt opes,
Non gemmæ, & Perues munera divitis,
Non regni ſolium, rubraque purpura.
Sed lætis fruitur conditionibus
Æternis inhians ſemper honoribus,
Qui prudens timidos edomuit metus,
Fœdoque impoſuit fræna Cupidini,
Nec vultum variè fingit ad improbæ
Plebis conſilium, nec popularibus
Arctatur ſtudiis, quem ſapientia,
Et virtus ſolidi pectoris hoſpita,
Quem ſimplex probitas, nudaque veritas,
Quem firmat pietas, & niveus pudor.
Quem fluctus tumidi non quatiunt freti,
Non miſſum ſupero fulmen ab æthere,
Non vultus procerum ſæva minantium,
Qui tuto latitans eximius loco
Infra ſe placidus conſpicit omnia.
Quem non ambigui dura neceſſitas
Fati terrefacit, nec queritur mori.
Hic felix nimium, ſolus eſt entheo
Per nubes medias percitus impetu,
Sublimem intrepidus tranſiliet polum.

Was iſt ein *Verſus ANAPÆSTICUS*?

Ein Verſus Anapæſticus hat drey Regiones, deren die erſte und andere einen Anapæſtum oder Spondæum zulaſſen / die dritte erfordert bloß einen Anapæſtum, mit einer überbleibenden Sylben. Von dergleichen beſtehet des Prudentii ſchöner Hymnus.

Jam mœſta quieſce querela,
Lacrymas ſuſpendite matres,
Nullus ſua pignora plangat,
Mors hæc reparatio vitæ eſt.
Quidnam ſibi ſaxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quod niſi creditur illis
Non mortua, ſed data ſomno.
Nam, quod requieſcere corpus,
Vacuum ſine mente videmus,
Spatium breve reſtat, ut alti
Repetant collegia ſenſus.
Venient cito ſecula, cum jam
Socius calor oſſa reviſet,
Animataque ſanguine vivo
Habitacula priſtina geſtet.
Quæ pigra cadavera pridem,
Tumulis putrefacta jacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Sic ſemina ſicca vireſcunt,
Jam mortua, jamque ſepulta,
Quæ reddita ceſpite ab imo
Veteres meditantur ariſtas.

Was iſt ein Carmen TROCHAICUM?

Ein Carmen Trochaicum iſt / das in denen Regionibus paribus einen Trochæum oder Tribrachyn erfordert / in denen Regionibus imparibus aber / läſſet es auſſer dem Trochæo und Tribrachy, auch einen Spondæum, Anapæſtum und Dactylum zu. Der Jambus findet hie keine ſtat / gleich wie auch der Trochæus in den Jambiſchen Verſen nicht gedultet wird. Es ſind aber die Trochaiſchen Vers ſchön / wann ſie keine Cæſur haben / und werden nach Art der Jambiſchen fürnehmlich in Quaternarios, Senarios, und Octonarios abgetheilet. In folgender Ode werden Dimetri acatalectici und catalectici vermiſchet.

Eja cantu perſonate
Quotquot eſtis muſici.
Eja laudes, eja nomen
Perſonate Numinis.
Huc adeſte voce, plauſu,
Orbis omnes incolæ.
Huc adeſte mente pura
Qui Deum veremini.
Barbito dulci ſonate,
Mollibusque canticis,
Organorum, buccinarum,
Et lyræ concentibus.
Nunciate quam potenti
Cuncta firmet dextera.
Prædicate quam benigna
Nos regat clementia.

Forte

Fertelaudes,ferte cantus
Ejus ad ſacrarium.
Plaudat orbis,plaudat æther,
Nabliis,& tympanis.
Angelorum candidati
Perſonent exercitus.
Cœlitumque glorioſa
Turba laudes concinat.
Aſtra ludant,& ſerenum
Quicquid ornat æthera.
Terra ſaltet, & choreis
Læta blandis perſtrepat.
Alta plaudant floridorum
Montium cacumina,
Pontus adſit, & capaci
Quicquid alvo continet,
Amniumque para rauco
Pſallat unda murmure.
O ſuperne Rex polorum,
Quo jubente vivimus,
Te parentem prona adoret
Trina rerum machina.
Te potentem læta honoret
Omnis orbis natio.
Eja cantu perſonate
Quotquot eſtis muſici.
Eja laudes,eja nomen
Perſonate Numinis.

Was iſt ein *Verſus ALCAICVS?*

Ein Verſus Alcaicus von dem Poëten Alcæo ſo genañt/hat vier Regiones,deren erſte

 einen

einen Spondæum, die andere einen Jambum mit einer überbleibenden langen Sylben / die dritte und vierte aber einen Dactylum erfordern. Zum Beyſpiel ſey:

Numen coruſco ſidere pulchrius
Non uſitatis per liquidum æthera
Vidi triumphans curribus, & vagos
Circumvolantes Aligerum choros.
Quis credet? ingens jam nebulæ globus
Clarique nimbus luminis aëra
Perrumpit æthræ non ſine gaudio.
En jam beatis ſepta cohortibus
Regina celſo venit ab æthere.
Agnoſco vultum: nam Fidei ſacra
Dudum mihi ſunt cognita ſtemmata,
Sanctæque felix relligio Crucis.
Quæ forma, & oris quanta ſerenitas,
Qualis venuſtas! Audio jam prope
Vocem loquentis, jam reſonat polus,
Favete linguis; nil humili juvat
Cantare plectro, fas mihi grandia,
Non dicta priſcis carmina vatibus,
Fas & ſuperni ſit mihi Numinis
Arcana cunctis gentibus eloquis
Fas ſit canoris verſibus ardui
Tentare cœli difficiles vias.
Nec me paventem ſancta fides vetet
Incomparandæ vim ſapientiæ,
Verique fontem, lucis & igneas
Luſtrare ſedes, & ſuperum domos,
O grata ſummis cœlitibus Fides,
O prima virtus, o decus & ſalus,

Per

Per quam ſereni ſemper iter poli
Cunctis apertum terrigenis patet.
Tu ſola nobis das penetralia
Semper verendi noſcere Numinis.
Tu ſola Trinum fallere neſcia,
Vnumque dicis, quem colimus Deum.
Divinitatis principium Pater,
Auctor bonorum ſufficiens ſibi,
Immenſus, omni principio carens,
Expers fugacis temporis, ac modi,
Dum ſe beatus, cunctaque perſpicit,
Verbum paternæ mentis imaginem,
Prolemque gignit perſimilem ſui.
Sed cum Parentem Filius inſpicit,
Amans amantem diligit, atque amor
Spiratur unus, tertia ſcilicet
Perſona ſummum perficiens chorum,
Vtrique compar Numine ſimplici.
Poſt hæc ad extra ter triplici gradu
Rerum creator per ſobolem ſuam
Diſtincta cœli condidit agmina.
Sed dum ſupremi de numero chori
Vnus recepta dote ſuperbiens
In conditorem ſpirituum ferox
Inſanientum prælia concitat,
Heu! pulſus amplo corruit æthere,
Præceps, rebelli cum comitum grege,
Damnatus igni carcere in infimo.
Tunc e rubenti pulvere compotem
Mentis creavit progeniem, boni
Summi capacem; ni ſtygiis dolis
Seductus eheu! mox hominum parens
Omnes eodem crimine poſteros

Fæ-

Fœdaſſet hoſti credulus improbo.
Natis miſertus, ſed miſeris Deus,
Offenſionis debita noxiæ,
Et dira ſolvit vincula criminum.
Lignum ſalutem terrigenis dedit,
Si prima lignum pernicies fuit.
Nam miſſus alto de ſolio Patris,
Mortale corpus Filius induit,
E ventre puræ Virginis editus,
Ferroque fixus, ſupplicium grave
Injurioſæ ſuſtinuit crucis,
Ut quæ Draconis conciderat dolo
Gentem paterno redderet ætheri.
O ter beatos cœlituum choros,
Quos ſcripta cœlo pagina cenſuit.
Jam vincla mortis, jam ſtygiæ fera
Timenda non ſunt caſtra tyrannidis:
Victor reſurgit Chriſtus ab inferis,
Infertque fratrum primitias polo.
Venturus inde eſt, cum ſonitus tubæ
Omnes tremendo judicio offeret.
Sed quo furenti concita ſpiritu
Mens tendit audax? Deſine, deſine,
Et magna parvis ne tenues modis.

Zu mercken iſt / daß die Alcaici nicht leicht gantz allein gebraucht werden / ſondern man ſetzet gemeiniglich nach zweyen Alcaiſchen Verſen / einen Jambicum Quaternarium / ſo noch dazu eine überbleibende Sylbe hat / und hierauf folgt ein Dactylicus Alcmanicus, welcher aus zweyen Dactylis und zwey-

zweyen Trochæis beſtehet. Dergleichen Ode iſt.

Sic nempe velox orbita temporum
Propellit annos: ſurgit, & occidit
Quicquid polorum continetur
Præcipiti nimium ſub axe.
Cæco rotantur ſecula turbine,
Veſper ſequenti veſpere truditur.
Mortale nil longum, nec ætas
Præteritam reparat ruinam.
Vitæ quid auras, quid ſenium miſer
Dies ve longos, ſtultaque ſomnia
Mentiris? heu! puncto futurus
Præda necis, gelidum cadaver.
Quicunque lucis munere veſcimur,
Omnes eodem tramite currimus.
Mors æquat omnes, parque ſæpe eſt
Neſtoreæ una dies ſenectæ.
Centena quamvis ſecula vixeris,
Æternitatis ſi numeras diem,
Nilejus ætatem antecelles,
Unica quem rapit hora vitæ.
Fruſtra ſenectæ tempore computet
Ales quæ ad undas naſcitur Hypanis,
Quam ſi videt naſcentem Eous,
Decrepitam aſpicit occidens Sol.
Hæc de fugaci fabula luditur
Vita. Quod ortum eſt, vergit ad Heſperum,
Diesque veloces, & anni,
Pegaſeo fugiunt volatu.

Was iſt ein *Verſus LEONINUS*?

Ein Verſus Leoninus iſt / der in der Cæſur, und am Ende gleichen Laut hat / und ſolche werden für untüchtig gehalten / dannenhero ſie auch Rophalici und Knüttel-Verſe genennet werden. Als:

Juſtitiæ cultor, vitiorum ſtrenuus ultor.
Ars manet, ars durat; fortuna recedere curat:
Res valet, ars præſtat, ſi res perit, ars mihi reſtat.
Tempore felici multi vocitantur amici,
Cum fortuna perit, nullus amicus erit.

Es werden jedoch bey guten Autoribus dergleichen Verſe gefunden / welche ihnen ohngefehr entfallen. Als bey den Ovidio:

Nec niſi finitâ per plurima pondera vitâ.
Si Trojæ fatis aliquid reſtare putatis.
Quot cœlum ſtellas, tot habet tua Roma puellas.
Ipſe ego librorum video delicta meorum.
Quærebant flavos per nemus omne favos.
Si mihi quod prodeſt, hoc tibi lector obeſt.

In denen vorigen Seculis hat man ſich ſehr befliſſen / Lateiniſche Verſe zu machen / welche ſich miteinander am Ende gereimet haben / und zwar bißweilen ohne in-achtnehmung der Quantität: So aber beedes ſträflich. Als:

Durus Durandus jacet hic ſub marmore duro,
An ſit ſalvandus, ego neſcio, nec ego curo.

Zu Nürnberg in dem Kreutzgang zu St. Egidien/ ſtehen dieſe Verſe / welche für Alter kaum mehr zu leſen:

Judicabit Judices Judex generalis,
Ibi nihil proderit dignitas Papalis,
Sive ſit Epiſcopus, ſive Cardinalis,
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.
Ibi nihil proderit quicquam allegare,
Nec ad Apoſtolicam Sedem provocare,
Nec quicquam excipere, neque replicare,
Reus condemnabitur, ſciet bene quare.
Cogitate miſeri, qui & quales eſtis,
Quid in hoc judicio dicere poteſtis:
Hic non erit Codici locus, aut Digeſtis,
Idem erit Dominus, Judex, Actor, Teſtis.

Was iſt ein *Verſus ACATALECTICUS*?

Ein Verſus Acatalecticus iſt / der den letzten pedem gantz hat/ alſo/ daß keine Sylbe zu viel noch zu wenig iſt. Als:

Vitam quæ faciunt beatiorem.

Was iſt ein *Verſus CATALECTICUS*?

Ein Verſus Catalecticus iſt/ dem zur Vollkommenheit des letzten pedis eine Sylbe fehlet. Als:

Cœleſtis illa vis eſt,
Qua conſit hæc corona.
Qua conſit hæc corona,
Cœleſtis illa vis eſt.

Was iſt ein *Verſus HYPERCATALECTICUS*?

Ein verſus Hypercatalecticus iſt/ welcher zu letzt eine Sylben zu viel hat. Als bey den Virgilio.

Jamq; iter emenſi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes.
Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem,
Aut foliis undam.
Clamore incendunt cœlum Trœcesq; Latiniq;
Advolat Æneas.
Navigiis pinos, domibus cedrosq;, cupreſſosq;
Hinc radiis trivere rotis.
Et magnos membrorum artus, magna oſſa lacertosq;
Exuit.

Wie mancherley ſind die *Carmina*?

Die Carmina ſind entweder *Monocola* oder *Polycola*. Die *Monocola* behalten nur eine Art des Metri durchgehends; als wann ein Gedicht von lauter Hexametris beſtehet. Die *Carmina Polycola* beſtehen aus unterſchiedlichen Metris, und werden die ſo zwey haben/ *Dicola*, die aber ſo drey haben, *Tricola* genennet.

Ferner ſo werden die Carmina auch unterſchieden/ in Monometra die habẽ nur eine gleiche dimenſion, oder Art / aber zwey pedes. Dimetra die haben zwey dimenſiones, uñ vier pedes. Trimetra die haben drey dimenſiones und ſechs pedes. Tetrametra, die haben vier dimenſiones und acht pedes.

Nun

Nun folgen einige ZUGABEN.

CENTO

Der Probæ Falconiæ von der Flucht der Heiligſten Mutter GOttes mit ihrem Sohn JEſu in Egypten:

G. 4.	*At mater gemitu non fruſtra exterrita tanto.*	G. 4.
Æ. 11.	*Ipſa ſinu præ ſe portans, turbante tumultu.*	Æ. 6.
Æ. 11,	*Infantem fugiens plena ad præſepia reddit.*	G. 3.
Æ. 1.	*Hic natum anguſti ſubter faſtigia tecti.*	Æ. 8.
Æ. 11.	*Nutribat teneris immulgens ubera labris.*	Æ. 11.
E. 4.	*Hic tibi prima puer fundent cunabula flores.*	E. 4.
E. 4.	*Miſtaq; ridenti paſſim cum bacchare tellus,*	E. 4.
E 4.	*Molli paulatim colocaſia fundet acantho.*	E. 4.

ÆNIGMATA

Des Caſparis Barlæi

Dic, quibus in terris pereunt ſua rura colonis,
Ipſaque concepto fomite flagrat humus?
Et mox effoſſi vectantur navibus agri,
Najadesque natant nunc, ubi Veſta ſtetit.

Loca Bataviæ, unde ceſpes eruitur.

Non bibor, & bibor, & populo ſum potus, & haud ſum.
Mandor ab Occiduis, nec tamen eſca fui.
Cum bibor ipſa ſitis creſcit, ſum victima vulgi,
Torqueor, incidor, torreor, uror idem.

Con-

Conſedere viri,& conſpecto munere Divum
Quælibet exitio eſt dextra reperta meo.
Pars in fruſta ſecant,pars igni humentia ſiccant
Corpora,pars flammas admovet,atque faces
Otia qui fugiunt,in nobis otia perdunt,
Et magna peragunt ſedulitate nihil,
Quo capior, perdor; quo claudor,pellor ab ore,
Noſtraque mox difflat fercula,quisquis amat.
Quæ mihi,quæ nitidos aperis,matrona,penates,
Præmia tam clari ſputa laboris habe.

Tabacum.

Magna mihi rerum vis eſt,vis maxima vocum,
Et tamen hic vili venditur ære labor,
Ignarus doceo,credor ſine voce magiſter,
Cum proſum,taceo: non ſapiens,ſapio.
Sæpius exuror,dominis pecantibus,inſons
Victima,nec culpæ conſcius ipſe meæ.
Veſtior exuviis,vinclis conſtringor ahenis;
Et tandem tineis vermibus eſca teror.

Liber.

Cingit lana caput,contortaque viſcera corpus,
Parte mei moveor,parte quieſco mei.
Quos ſine me nudos paupertas detegit artus,
Hos opibus per me dextera fulta tegit.
Lingua,manus,digiti,facto glomerantur in uno:
Decedens capiti gloria,finit opus.

Colus.

VER

VERSUS FORTUITI.

Joh. III.

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris,

Luc. VI.

Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum.

Matth. XI

Væ tibi Chorazim, væ tibi Bethzaida!

Der Tacitus fähet ſeine Annales ſo an:

Vrbem Romam à Principio Reges habuere.

und der Salluſtius ſeine hiſtoriam Belli Jugurthini:

Bellum ſcripturus ſum, quod Populus Romanus.

Bey den Cicerone l. 3. de Oratore, findet ſich ein gantzes Diſtichon: Ac mihi quidem veteres illi majus quiddam animo

Complexi, plus multo etiam vidiſſe videntur,
Quam quantum noſtrorum ingeniorum acies.

Intueri poteſt.

Letztlich ſind folgende Vers / welche die Figuras Gramaticas enthalten / zu mercken:

Proſtheſis apponit capiti: ſed *Aphæreſis* aufert.
Syncopa de medio tollit: ſed *Epentheſis* indit.
Aufert *Apocope* finem: ſed dat *Paragoge*.
Dicitur e binis conflare *Synæreſis* unam.
Rurſus at in binas diffiare *Diæreſis* unam.
Litera ſi legitur tranſpoſta *Metatheſis* extat.
Antitheſin dices, aliam ſi litera mutat.
Compoſitæ vocis diſſectio *Tmeſis* habeatur.

Pro-

Proſtheſis, als Gnatus, für Natus.
Aphæreſis, als Temnere, für Contemnere.
Syncopa, als Dixti für Dixiſti.
Epentheſis, als Relligio für Religio.
Apocope, als Tun' für Tune.
Paragoge, als Dicier für Dici.
Synæreſis, als Negoti für Negotii.
Diæreſis, als Diſſolüendo für Diſſolvendo.
Metatheſis, als I præ, für præi.
Antitheſis oder *Antiſtœchon*, als Olli für Illi. Optumus für Optimus.

Tmeſis, als: Quæ me cunque vocant terræ, für Quæcunque. Septem ſubjecta trioni. Für: Septentrioni.

Antimeria iſt / wann eine pars orationis pro alia gebraucht wird. Als / Scire tuum, für / ſcientia.

Enallage oder *Heteroſis* iſt / wann ein Wort ejusdem partis orationis für das ander geſetzt wird. Als: Facile omnes perferre ac pati: für: perferebat, ac patiebatur.

Antiptoſis iſt / wann ein Caſus für den andern geſetzt wird. Als: Vrbem quam ſtatuo veſtra eſt: für: Vrbs.

Ellipſis iſt / wann ein Wort ſo zu Erfüllung der conſtruction und ſenſus vonnöthen / ausgelaſſen wird. Als: Vbi ad Dianæ (*templum*) veneris. Quarto (*die ante*) Calendas Januarii.

Pleonaſmus iſt / wann etwas in einer Rede

zu viel geſetzet wird. Als: Piſciculi minuti. Sic ore locuta eſt.

Syntheſis iſt/wann die conſtructio, ad intellectum, nit ad vocem referirt wird: und iſt entweder Numeri, oder Generis. *Syntheſis Numeri* iſt/wann einem nomini collectivo ſingulari, ein Verbum oder Adjectivum plurale zugeſetzet wird. Als: Maxima pars ab equitibus acti: das iſt: plurimi. *Syntheſis Generis* iſt/wann dem Subſtantivo ein Adjectivum diverſi generis zugeſetzet wird. Als: Sola bubo, nemlich avis. Eunuchus ſua, nemlich fabula.

Zeugma iſt / wañ diverſis Subſtantivis ein adjectivum oder verbum hinzu geſetzet wird / welches mit dem nechſten überein kommt. Als: Sociis & Rege recepto. Hic illius arma, hic currus fuit.

Synecdoche iſt / wann ein Accuſativus zu denen Adjectivis, oder verbis Paſſivis wie auch Abſolutis, geſetzet wird/einen Theil bedeutend. Als: Albus dentes. Expleri mentem nequit. Doleo caput.

Hypallage, iſt eine umgekehrte Ordnung der conſtruction. Als: Solſtitium pecori defendite: für: defendite pecus a ſolſtitio.

Anaſtrophe iſt/wañ die Præpoſitio ihrem Caſui nachgeſetzt wird. Als: Italiam contra.

Wir ſchlieſſen mit dem Cardinal Bona:

Omnipotens Genitor, cœli ſuprema poteſtas,
Principium ſine principio, ſator unice rerum,
Immenſus ſine fine potens, ſine tempore durans,
Abſque loco loca cuncta replens, ſine luce coruſcans,
Cuncta ſimul ſine voce loquens, ſine robore fortis,
Mundum mente gerens, ſine motu cuncta gubernans:
Vnicus, & ſimplex, placidus, ſeu parcis amanti,
Expectasque tacens; ſeu crimina vindice pœna
Corrigis iratus, ſeu juſtis præmia reddis.
Haud opis humanæ eſt dignas tibi ſolvere grates;
Sed cœli dum luce fruar, te carmine ſemper,
Pectore te memori cantabo, nulla carebit
Laudibus hora tuis.

PRÆCEPTA

De

COPIA VERBORUM.

SCitum eſt illud Tullii : Qui Eloquentiæ laude ducitur, noverit primum vim, naturam, genera verborum, & ſimplicium & copulatorum : deinde quot modis quidque dicatur. *Hoc igitur caput artis eſt, ut primum diſcamus res ſingulas ſuis deſignare veris nominibus. Deinde progrediendum ad vocum illarum conjunctionem, quo apte inter ſeſe cohæreant, nec ea combinentur, quæ juxta conſiſtere nequeunt. Ea ſemita ſic ſtrata, tentandum porro ut una res aut ſententia, diverſis verborum modis exprimi queat, & velut cera quædam, in aliam atq; aliam formam immutari. Id poſtremum tanti fecit laudatus Tullius, ut etiam provectior, cum Roſcio Mimo familiari ſuo, frequenter contenderet, utrum hic eundem ſenſum ſæpius geſtuum, quam ipſe verborum varietate oſtendere valeret. Pauperis eſt numerare pecus, divitum magni greges in montibus oberrant. Idem hic putandum, & quaſi penum orationis ſtruere oportet. Quod, quia difficultatem aliquam habet, nec levi negotio peragitur, Filium tamen, per Eraſmi & aliorum, qui honeſte præceſſerunt, magis calcata, atque ſic pauca tantiſper veſtigia, manu comiter duxi, quoad viæ peritior, ipſe ultra contendere, aliaque præſidia ſibi parando, conari poſſet, ne ſermonem habeat, publici omnino ſaporis.*

PRÆ-

PRÆCEPTA
De
Copia Verborum.

Copia Verborum, eſt facultas, eandem ſententiam, multipliciter, alia atq; alia orationis forma, & per Vocum, Troporum item ac Figurarũ varietatem, efferendi.

Copia Verborum paratur diligenti Autorum Claſſicorum lectione, & crebro, tum in ſcribendo, tum in loquendo, Latini Sermonis uſu.

Confert Copia Verborum, ad vitandam primo ταυτολογίαν, ſive ejusdem verbi, aut ſermonis iterationem; deinde ad vitandam ὁμοιολογίαν, hoc eſt orationem unius coloris, & ubique ſui ſimilem; quæque nulla varietatis gratia, tædium legentis aut audientis levat. Promovet amplius, extemporalem dicendi ſcribendique vim; quin & in enarrandis Autoribus, in convertendis ex aliena lingua libris, & in pangendis Carminibus, non parum adjumenti præbet.

Variandi ſermonem rationes dividuntur in Grammaticas & Rhetoricas. E Grammaticis variandi rationibus, ſequentes notare juvat.

Variatio per SYNONYMIAM.

Per Synonymiam variandi ratio, eſt ſimpliciſſima, perque eam verba idem omnino ſignificantia commutantur, ita ut ad ſenſum nihil interſit, hoc an illo malis uti. Vt:

Enſis, gladius. Domus, ædes. Literæ, epiſtola. Doceo, inſtituo, erudio. Exiſtimo, puto, arbitror, opinor, judico, duco. Alexandrum M. mors occidit, enecavit, trucidavit, interfecit, interemit, ſtrangulavit, ſuffocavit. Valde, vehementer, nimium, mire, mirificè.

Variatio per CASVS.

Per Caſus variandi ratio eſt, cum eadem ſententia diverſis Caſibus exprimitur: uti in his exemplis:

Alexander M. mortuus eſt.
Alexandri M. vitam mors finiit.
Alexandro M. mors exitium intulit.
Alexandrum M. mors e medio ſuſtulit.
O Alexander M. te quoque mors peremit.
Alexandro pereunte mors gaviſa eſt.

*

Fortitudo ingens inerat Alexandro M.
Alexander M. *fortitudinis* erat exemplar.
Alexander M. *fortitudini* ſe totum devovit.
Alexandri M. *fortitudinem* tot loquuntur illuſtria facta.

O For-

O Fortitudo Alexandri M. quam & inimici ſuſpexerunt!

Fortitudine Alexander M. gloriam & immortalitatem conſecutus eſt.

Variatio vocis Omnis.

Vox *Omnis* variatur 1. per *Æquipollentiam*. 2. per *Interrogationem*. 3. per voces *Quantum, Quicquid, Si quid, Ad unum*. 4. per *modum proverbialem*.

Sic, pro *Omnibus eſt moriendum*, dicas licet: 1. *Nemini non* eſt moriendum.

2. *Cui non* eſt moriendum?

3. *Quantum* eſt hominum peribit. *Quicquid* eſt hominum fatis ſuis urgebitur. *Si quid* eſt hominum occumbet. Homines *ad unum* peribunt.

4. *Juvenesque ſenesq;* ad fatum properant ſuum, & cum iis quoque Magnus Alexander.

Variatio Comparativi.

Comparativus deſcribitur 1. per Poſitivum, adjectis vocibus *Magis* vel *Potius*: item 2. per particulas *Non tam, quam. Non perinde ac.* & 3. per *Verbum*, vim comparandi habens: *Verbi cauſa*:

1. Voluptatum avidus eſt *potius, quam* pecuniæ: pro: Avidior eſt voluptatum quam pecuniæ. Alexandri M. mors *magis avida* fuit, *quam* Iri.

2. *Non tam* pretioſum eſt aurum, *quam* Virtus. *Non perinde* pretioſum eſt aurum, *ac* Virtus. pro: Virtus pretioſior eſt auro.

3. Virtus pecunia *præſtat*. pro: Virtus præſtantior eſt pecunia. Cicero *ſuperat* Platonem facundia: pro: Cicero Platone eſt facundior.

Variatio SUPERLATIVI.

Superlativus variatur 1. per *genitivum pluralem*; 2. per particulas *Inter*, *Ex*, *Apprime*, *Inſanum*, *Longe*, *Maxime*, *Multo*, *Omnino*. 3. per *Adjectivum* cum *Abſtracto*, aut *Poſitivo* in ablativo: 4. per *Interrogationem*, aut per *Comparativum negantem*. Denique 5. per verba *Superandi*, *Vincendi*, & ſimilia. *Verbi cauſa:*

1. Alexander *omnium* fuit fortiſſimus, ſed tamen fato reſiſtere non potuit. Roſa *florum* ſuaviſſima.

2. Mediocritas eſt *inter* res omnes utiliſſima. Mediocritas eſt *ex* rebus omnibus utiliſſima. Alexander M. *apprime* ſummo genere natus erat, ad ima tartara tamen detruſus eſt. Negotium *inſanum* magnum ſuſcepiſti. *Longe* amantiſſimus noſtri. Bonas artes qui ſinceriter cupiunt appetuntque, hi ſunt vel *maxime* humaniſſimi. *Multo* omnium fortunatiſſimus. Miſerrima eſt *omnino* ambitio, bonorumque contentio.

3. Alexander erat ipſa *fortitudine* fortior, *æquitate* æquior. O *melle* dulci dulcior tu es. Nemo illa vivit *carie* carioſior.

4. *Quis* hoc viro humanior? *Quid* eſt ſtultius, quam incerta pro certis habere, aut falſa pro veris? *Quis* major Alexandro? & tamen nunc in exili jacet ſepulchro. *Quid* poſſet dici ſtultius? *Non* potuerunt a te *elegantiores* ſcribi, *quam* ſcriptæ ſunt literæ. *Nihil* mihi *gratius acceptiusque* obtingere poteſt, quam aſſidue tecum converſari. Vir eſt, quo *non alius humanior*.

5. Ale-

5. Alexander fortitudine *ſuperat* omnes. Alexander non facile fortitudine *ſuperatur* a quoquam.

Variatio Verbi.

Verba motum ad locum ſignificantia, cum priore Supino, Gerundio, ac Participio futuri temporis, aliaque ratione commutari poſſunt. *Verbi cauſa:*

Alexander M. venit *ut ſalutet* Manes.
Venit *ſalutatum* Manes.
Venit *ad ſalutandum* Manes.
Venit *ad ſalutandos* Manes.
Venit *ſalutandi* Manes gratia.
Venit *ſalutandorum* Manium gratia.
Venit *ſalutare* Manes.
Venit *ſalutaturus* Manes.

Elegans *Futuri* commutatio, per, *Futurum eſt*, inſtituitur: ut:

Futurum eſt, o Alexander, ut olim moriaris. pro: olim morieris. *Futurum eſt* ut Deus aliquando nos liberet: pro: Deus aliquando nos liberabit.

Pro *Imperativo*, ſecunda futuri activi, modeſtiæ cauſa adhibetur: Vt:

Accipies igitur hoc opuſculum: pro, Accipe.

Notentur: *Vale, valeas, fac valeas, valeto, valebis.*

Sententia aliqua per Modos & Tempora varie deduci poteſt: Vt:

Præſens: Alexander fortitudine *ſuperat* omnes *Heroas*. *Alexander* a nemine Heroum fortitudine *ſuperatur*. Ab Alexandro omnes Heroes *fortitudine ſuperantur*. *Imper-*

Imperfectum. Alexander *ſuperabat* omnes Heroas fortitudine.

Perfectum. Nullus Heroum hactenus extitit, qui fortitudine *ſuperavit* Alexandrum.

Plusquamperfectum. Superaverat utique Alexander, quicquid unquam fuit Heroum.

Futurum. An quis unquam Heroum deinceps Alexandrum fortitudine *ſuperabit* ?

Imperativus. Supera, ſi potis es, ſummi Herois Alexandri fortitudinem.

Infinitivus. In confeſſo eſt apud omnes æquos rerum æſtimatores, Alexandrum fortitudine cunctos *ſuperaſſe* Heroas.

Variatio NEGATIONIS.

De Negationis variatione ſequentia exempla notare oportet:

Non audit vel parentem: neminem audit, ne parentem quidem. Nemo parem gratiam referre parenti poteſt, ne malo quidem: nec malo parenti quiſquam parem referre gratiam poteſt: non poteſt par gratia referri, vel malo parenti. Non veretur neque Deos, neque homines: neq; Deos, neque homines veretur.

Variatio ADVERBIORUM TEMPORIS.

Adverbiorum Temporis variationem hæc oſtendunt exempla:

Diu eſt quod nos non viſis: multum temporis eſt, quod nos non viſis: ſeculum exiſſe mihi videtur quod nos non viſis. Paucis poſt diebus in Africam proficiſcitur: ante pauculos dies: poſt paucos dies: aliquanto poſt. Id ætatis erat, ut turpe ſibi duceret diſcere; non pudet te iſtuc ætatis laſcivi-

ſcivire: Hoc ætatis cum ſim, non admodum timeo mortem. Poſt tempus advenis: poſt feſtum, ut ajunt, advenis: ſero advenis.

Variatio Coniunctionum.

Conjunctionum variatio præcipue in Diſcretivis & Copulativis ſpectatur. Atque Diſcretivarum exempla ſunt:

Etſi eſt fortis, *tamen* non eſt felix.

Vir fortitudine *quidem* egregia, *verum* exiguæ felicitatis.

Vir eſt, *ut* fortitudine magna, *ita* felicitate nulla.

Copulativarum exempla ſunto:

Alexander eſt fortis *&* felix.

Alexander eſt *&* fortis, *&* felix.

Alexander heros eſt fortis, *& idem* felix.

Alexander fortis eſt, *idemque* felix.

Alexander fortis eſt, *& item* felix.

Alexander fortis eſt, *itemque* felix.

Alexander *quemadmodum* fortis eſt, *ita* & felix.

Alexander eſt fortis *ſimul* ac felix.

Alexander fortis *pariter* & felix.

Alexander *æque* fortis ac felix.

Alexander *perinde* fortis ac felix.

Alexander fortis *juxta ac* felix.

Alexander fortitudine felicitateq; *juxta* clarus.

Alexander *ex æquo* fortis ac felix.

Alexander heros *non minus* fortis *quam* felix.

Alexander heros *tum* fortis, *tum* felix.

Alexander heros *cum* fortis, *tum* felix.

Alexander heros *non ſolum* fortis, *ſed etiam* felix.

Alexander *præter* magnam fortitudinem *etiam* felix exiſtit.

De Alexandro *dubites* fortiorne ſit *an* felicior.

Alexander heros eſt, in quo *cum* fortitudine felicitas *ex æquo* certant.

Alexander heros eſt, qui fortitudinem *æquat cum* felicitate.

Alexander heros eſt, cujus fortitudini *reſpondet* felicitas.

Alexander, qui *parem* fortitudinem, *cum* felicitate copulavit.

Alexander, heros *pari* fortitudine & felicitate.

In Alexandro felicitas *cum* fortitudine facit *paria*.

Alexander heros magnæ *quidem* fortitudinis, verum felicitate *neutiquam* inferior.

In Alexandro felicitas *æquat* fortitudinem.

Alexander heros eſt, *qua* fortitudinis, *qua* felicitatis laude inſignis.

Alexander, heros, cui *multum* eſt fortitudinis, felicitatis quoque tantundem.

Alexander heros *fortiſſimus*, & nihilo infelicior.

Variatio per SYNTAXIN.

Per Syntaxin variandi ratio eſt, cum ex ordine ſive conſtructione varietas oritur. *Verbi cauſa*:

Non aliena mors fuit rationibus Alexandri: non aliena mors fuit ab Alexandro. Scripſit mihi: ſcripſit ad me. Idem huic: idem cum hoc.

Variatio per ENALLAGEN.

Per Enallagen variandi ratio eſt, cum eadem voce, modice deflexa, varietatis nonnihil inducitur. Vti:

1. Quan-

1. Quando Subſtantivum nomen, cum Adjectivo comutatur, vel contra. *Verbi cauſa*: Alexander heros mire *fortis*: heros mira *fortitudine*. Adoleſcens inſigniter impudens; adoleſcens inſigni impudentia.

2. Quando Verbum Activum mutatur in Paſſivum, aut contra. *Verbi cauſa*: Plurimam habeo tibi gratiam: plurima tibi a me habetur gratia. Magna me tenet admiratio: magna teneor admiratione. Non ſic amat filium mater; non ſic amatur a matre filius.

3. Quando Verbum Nomine permutatur, aut contra. *Verbi cauſa*: Judicent alii: aliorum eſto judicium. Quid huc rediſti? quid huc reditio eſt? Deſine nugari: deſine nugas. Virtus eſt vitium fugere: virtus eſt fuga vitiorum. Amantem redama, promerenti benefac: redama eum qui te amat, benefac ei, qui promeretur. Cupidus litigandi: cupidus litium.

4. Quando Adverbium cum nomine permutatur. *Verbi cauſa*: Plurimum eſt in foro: plurimus eſt in foro. Multus eſt apud mulierem: multum eſt apud mulierem. Rarus eſt conviva: raro eſt conviva.

5. Quando permutatur Numerus cum Numero; aut Perſona cum Perſona, aut Genus cum Genere; aut Caſus cum Caſu. *Verbi cauſa*: Romanus prælio victor: Romani prælio victores. Haud ſecus ac patriis acer Romanus in armis. Hoſtem vicimus: hoſtem vici.

Quî

Qui ſcire poſſes? qui ſcire poſſet quispiam? Videas & flumina ſicca: videri poterant. Nec me meminiſſe pigebit Elyſſæ; i.e. tui. Plurima ſalute Parmenonem ſummum ſuum impertit Gnatho: i. e. plurima ſalute te impertio.

Hic pileus, & hoc pileum. Hic helleborus, & hoc helleborum. Hic naſus, & hoc naſum, apud Plautum.

Omnia vincit amor: omnia vincuntur ab amore. Dives pecore. Dives pecoris. Dono te libro: dono tibi librum.

Variatio per ÆQUIPOLLENTIAM.

Per Æquipollentiam variandi ratio eſt, quæ conſtat negationis additione, detractione, geminatione, & verbis contrariis. *Verbi cauſa*:

Alexander mortuus eſt: Alexander mortem neutiquam effugit. Ille primas obtinet: non eſt in poſtremis. Vir egregie doctus; Vir minime indoctus. Placet; non diſplicet. Accipio conditionem: non recuſo conditionem. Eſt puella deformis; eſt minime formoſa. Eſt homo minime ſurdus: eſt egregie auritus. Nulli placet: omnibus diſplicet; nemini placet: nulli non diſplicet. Neminem admittit; neminem non rejicit.

Variatio per RELATIVORUM COMMUTATIONEM.

Quomodo Relativorum fiat commutatio, ex ſequentibus cognoſcere licet exemplis:

Mors Alexandrum docuit, neminem eſſe interitus expertem: Alexander a morte didicit, neminem

minem eſſe interitus expertem, O me tali felicem præceptore: o me felicem qui tuus ſim diſcipulus. Nolim tibi debere: nolim te mihi creditorem. Pudet me hujus nurus: pudet me hujus ſocrum videri. Hoc mihi retulit Paulus: hoc ex Paulo didici. Pater filio reconciliatus eſt: filius cum patre rediit in gratiam.

Sequuntur per Rhetoricam variandi modi:

Variatio per ANTONOMASIAM.

Per Antonomaſiam variandi ratio eſt, cum proprium ponitur pro communi, aut contra. *Verbi cauſa*, ſi, quis *Alexandrum Magnum* pro viro forti; *Verrem*, pro fure; *Sardanapalum*, pro molli; *Crœſum*, pro divite; *Phalaridem*, pro crudeli dicat. In Terentio ſæpe *ſenex*, pro hero; apud Livium *Pœnus*, pro Hannibale; apud Virgilium, Thalamo quæ fixa reliquit *impius*: ubi *impius* ponitur pro Ænea. Tale fuerit: *Pellæum juvenem* mors peremit, i.e. Alexandrum M.

Variatio per PERIPHRASIN.

Per Periphraſin variandi ratio eſt, cum res una pluribus verbis circumſcribitur. *Verbi cauſa:*

Peripateticæ Scholæ princeps; *pro Ariſtotele.* Stoicæ familiæ pater: *pro Zenone.* Mantuanus Vates, *pro Virgilio.* Homo cibo ventrique deditus; *pro paraſito.* Ars bene dicendi; *pro Rhetorica.* Item ſi dicas: *Conditorem tertii univerſalis Imperii, tot*

genti-

gentium victorem, tot domitorem barbarorum, ſæva mors e medio ſuſtulit. Alexander naturæ ceſſit, vitæque peregit fabulam.

Variatio per METAPHORAM.

Per Metaphoram variandi ratio eſt, cum vox a genuina & propria ſignificatione ad aliam transfertur, ob ſimilitudinem.

Verbi cauſa, ſi hominem odioſæ atque inſulſæ loquacitatis, rudere *aut* grunnire *dicas: aut, ſi* pilos fruticare, *vel* barbam ſylveſcere *dicas, quod eſt arborum. Talia ſunt:* Vitrea unda; florida ætas; ferreus ſcriptor; avolat ætas; labuntur anni. Ipſum Alexandrum M. mors denique ſupplantavit.

Variatio per ALLEGORIAM.

Per Allegoriam variandi ratio eſt, cum non una tantum vox, ſed tota aliqua oratio, aliud verbis, aliud ſenſu præ ſe fert, per ſimilitudinem, ita ut Metaphora continuetur.

Uſus hujus frequentior eſt in proverbiis & ænigmatibus. Verbi cauſa: Flamma fumo eſt proxima: *quo ſignificatur, tempeſtive eſſe cavendum periculum.* Vino vendibili non opus eſt ſuſpenſa hedera: *quo ſignificatur, rei per ſe laudabili, nihil opus eſſe aliena commendatione. Egregia eſt illa Allegoria Ciceronis:* Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commotiones, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita, ſæpe & perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam

com-

commutat aura rumoris. *Huc quadrat:* Alexander flos Heroum, cum odorem fragrantiſſimum per totum orbem diffudiſſet, tandem emarcuit, nil niſi graveolentiam poſt ſe relinquens.

Variatio per CATACHRESIN.

Per Catachreſin variandi ratio eſt, cum verba quædam adhibentur in duriore ſignificatu, quod fit imprimis, cum propria nomina deficiunt.

Veluti, cum parricidam *vocamus, qui fratrem occiderit, quia fratricida non dicitur; &* piſcinam *in qua lavamus, & cui piſces nulli inſunt. Huc pertinet, cum dicimus,* Alexandrum brevem, & minutum annis fuiſſe.

Variatio per ONOMATOPOEIAM.

Per Onomatopœiam variandi ratio eſt, quæ fit fictione nominis.

Vt: Alexandro claſſica ſemper canenti, denique mors tuba ſua, terribili ſonitu taratantara *dixit.*

Huc refertur deductio ac derivatio novorum verborum, ex analogia deſumta, ad quam illi interdum confugere coguntur, qui libros ex aliena, in Latinam linguam transferunt. Vti ſi quis, cum poëtari, græcari, philoſophari, *boni Autores dicant, etiam* theologari *uſurpet.*

Variatio per METONYMIAM.

Per Metonymiam variandi ratio eſt, cum 1. inventorem pro re inventa, 2. id quod continet, pro re contenta, & 3. efficientem cauſam pro effectu ponimus; vel contra. *Verbi cauſa:*

1. Rece-

1. *Receptus terra* Neptunus. *Claſſes* Aquilonibus *arcet.* Vulcano *dicare. Vario* Marte *pugnare.* Vinum precemur*: pro, Bacchum invocemus.*

2. *Epoti cadi. Cœlo* gratiſſimus amnis ; i. e. cœlitibus. *Seculum* felix.

Jam proximus ardet *Vcalegon.* Eamus *ad nos:* i. e. ad noſtras ædes.

3. *Plinius* ſemper in manibus habendus. Vendit *Virgilium.*

Pallentesque habitant *morbi, triſtisque ſenectus.* Præceps ira, hilaris adoleſcentia, inconſultus amor, inverecunda nox, audax vinum.

Eſt quoque Metonymiæ exemplum: Alexander, qui Liberum, Cererem, *ac* Venerem *vivus egregie ſectabatur, nunc apud* Plutonem *degit.*

Variatio per SYNECDOCHEN.

Per Synechdochen variandi ratio eſt, cum pars pro toto, vel totum pro parte uſurpatur. *Verbi cauſa:*

Totus *Alexander periit, & in cineres ac favillas redactus eſt.* Omne *Alexandri quod fuit, in nihilum abiit.*

Alexandri fortiſſimum pectus *mortis ſpiculis ſuccubuit. Tandem vacillavit* pes *Alexandri.*

Poſt variationem Rhetoricam per Tropos, quam hactenus vidimus, ſuccedit nunc porro ea, quæ fit per FIGVRAS. Hujus nos ſpecimen exhibemus ex Nobiliſſimi juxta Clariſſimique Viri, quem amavimus, & qui nos quoque amavit, EMANVELIS THE-

SAVRI

SAVRI libro, qui *Cannochiale Ariſtotelico* inſcribitur. Nempe, fingit is Alexandri M. tumulo inſcriptum fuiſſe, plano, & citra Figuram, ſermone:

BREVI HAC IN VRNA CONDVNTVR
CINERES MAGNI ALEXANDRI.

Hunc titulum, ſic ipſe per omnes Figuras παθημάτων diduxit:

Cognitio. Nunc ſcio, quam magnus fuerit Alexander; ex Vrna metior.

Ignoratio. Magnus fuerit Alexander, neſcio: ſane puſilla eſt Vrna.

Oſtenſio. En, adſpice Viator, quantulus ſit ille Magnus.

Narratio. Magna narro, Viator: Exiguus hic cinis, Magnus eſt Alexander. Sat mihi debes; abi.

Didaſcalia. Diſcite ſuperbi: brevis hæc Vrna docet, quam parva ſint maxima.

Affirmatio. Credite Principes: Nihil ſunt magna; cum magnus ille nihil ſit.

Negatio. Nego magnum fuiſſe Alexandrum. Vix Vrnam æquat.

Ironia. Magnus ille, ſcilicet, Jovis filius, ſpatiatur in Vrceo.

Reticentia. Alexander hic jacet: ſatis dixi.

Præteritio. Non dico mendacem fuiſſe Alexandri magnitudinem: Vrnam vide.

Juramentum. Juro per iſtos Alexandri cineres: nihil eſt magnum.

Teſtatio. Alexandri magnitudinem mentita eſt Fama: teſtem do cinerem.

Animadverſio. Cui nullus ſuffecit locus, loculus ſufficit.

Parentheſis. Hic eſt, (ſi tamen eſt,) Magnus Alexander.

Correctio. Hic eſt Alexander. Fallo: hic non eſt Alexander. Imo, nunc eſt, quod vere fuerat.

Repetitio. Huc devenit ille Magnus: huc inquam devenit.

Admiratio. Miraculum; tam parvus pulvis Orbem totum evertit.

Exclamatio. O Vanitas! Tantulus eſt ille Magnus.

Exaggeratio. Quis credat? Parva hæc Vrna, Alexandria eſt; unico Cive plena.

Extenuatio. Hui: Alexander in Vrna? lutum in luto.

Memoratio. Tenuitatis veſtræ memores eſte, Magni Principes: Hic pulvis memoriam juvat.

Præſagitio. Vaticinor ex hoc cinere: cras nihil eritis Magni Reges.

Dubitatio. Dubito, parvusne, an Magnus fuerit Alexander. Parvum, geſta negant: magnum, cinis.

Inquiſitio. Magnum lego Alexandrum: puſillum invenio cinerem: Alexandrum quæro in Alexandro.

Interrogatio. Quo parva devenient, ſi magna ſolvuntur in nihilum?

Reſpon-

Reſponſio. Ecquis in urna? parvus. Quis parvus? Magnus. Qui Magnus? nihil. Si Magnus, cur nihil? Hæc mortis Dialectica.

Interpretatio. Magnus Alexander hic jacet. Hoc eſt; Omnes Magni jacebitis.

Occupatio. Magnum fuiſſe Macedonem putas? falleris. Pyxidulam hanc nihil intrat magnum.

Fictio. Finge Orbem univerſum circumſpectare iſtos cineres: dicet ſe de nihilo trepidaſſe.

Imaginatio. Quale oſtentum? frigidus ebullit Magni cinis. Redivivus Heroum Phœnix genialem excutit rogum, aciemque in urna reſtituit, in debellatos Perſas rebellaturus. Ah, vana ludor imagine! vermes cinerem movent.

Expreſſio. Tam leve pondus eſt Macedo: ut naulo Charontem fraudare poſſe videatur.

Proſopopœia. Audi Viator, quid Mortuus loquatur ex oſſuario: Ille ego ſum Alexander, quem Magnum effecit Fama: minorem Facta: nullum Fata.

Apoſtrophe. Dicite Alexandri cineres; ubi Alexander?

Ratiocinatio. Chasma fuit Alexander. Quare? quia fluxit, dum fulſit. Hoc extincto, cur nomen ſupereſt? quia nomen ut acquireret, ſeſe perdidit.

Concluſiuncula. Hic cinis eſt Alexandri: ergo cætera fumus.

Epiphonema. Ite jam Magni Heroës, ac magnitudini allaborate: Heroum maximus, vix cotylam implet.

Compendium. Hac in urna clauduntur Gloria, Terror, Victoria, Fortuna, Fama. Brevi; Alexander hic clauditur.

Perplexitas. Ambigo, flerene an ridere debeam. Alexandri calamitas, fletum; vanitas, riſum provocat.

Approbatio. Bene eſt: Mortis conſilium placet, Ferarum maximam, parva in cavea concluſit.

Imperium. Jubeo te iſtic quieſcere, dire Macedo. Sola Vrna ingentes ſpiritus domat.

Admonitio. Quam cito magna fluant te monet hæc Clepſydra: ubi Vrna, Pyxis eſt, Alexander, pulvis.

Obſequium. Cedite fatis Mortales. Fata ſi vinci poſſent, hic non jaceret.

Blanditiæ. Nunc amo te Magne Macedo, ſepoſita magnitudine blandior. Coluntur magna, non amantur.

Salutatio. Salvete Magni Alexandri, parvi cineres.

Apprecatio. Bene precare Alexandro, Viator: ni quieſcat, nemo quieſcet.

Veneratio. Submitte faſces parvo huic ſarcophago, quicunque regnas. Magnus hic eſt Alexander.

Abominatio. Apage te ad Vmbras infelix Vmbra. Tartarum everte poſt Terras.

Objurgatio. Graſſator Imperii, Patriæ proditor, peſtis Hominum, Numinum pudor, Naturæ noxa: nunc cognatorum vermium emporium: nemini noces, niſi uni tibi.

Irriſio. Diogenem in dolio riſit Alexander: ridendus in urceo.

Execratio. Sit tibi Terra gravis, qui tam gravis Terræ fuiſti.

Optatio. Vtinam quam magnus es, ſemper fuiſſes.

Voca-

Vocatio. Adeſte Cives; Gemina jam miracula oſtentat Babylon; Vrbem in Turri; Alexandrum in Vrna.

Votum. Quieti Publicæ ingentem hanc Victimam voveo; publicis ſpoliis ſaginatam.

Obſecratio. Obſecro te Viator; exiguum mihi pulverem inſperge. Terrarum Orbe devicto, terra indigeo.

Commendatio. Commendo tibi puſillum hunc cinerem, anguſte Lapis. Ex Orbe triumphato, hoc demum eſt meum.

Conceſſio. Do, quod poſcis, avara Tellus. Spoliatoris tui ſpoliũ cape: poſſide eum, qui te poſſedit.

Gratiarum actio. Pares tibi gratias rependo, Natura Parens: Pulverem locaſti; reſtituo pulverem.

Recuſatio. Tolle ſepulcralium invidiam fornicum: nolo contigua fulminibus Mauſolea: reſpuo illiteratæ Mempheos literata faſtigia. Non jam ille ſum Magnus.

Exultatio. Hic putreſcit Alexander. Gaudete Græci, Syri, Perſæ. Tineæ vos ulciſcuntur.

Jactantia. Ille ego Terrarum terror: Orientis occaſus; orbator orbis: tot palmas adeptus, vix palmam impleo.

Gratulatio. Gratulor tibi magne Alexander. Terram tandem quæ te caperet, occupaſti. Orbem poſſides, quem nemo invideat.

Plauſus. Plaudite populi: magna peracta eſt fabula. Alexander perſonam exuit: ex Semideo cinis.

Ejulatio. Heu rerum vices! pridie magnus, poſtridie nullus.

Improperium. Ingrata mors! ſiccine occidis cui tantum debes? Fœnus amittis, dum ſortem rapis. Quot hic perimeret, niſi periret?

Pœnitentia. Pœnitet tam magni nominis, quod parvo cineri nequeat inſcribi, citra mendacium.

Spes. Sperate Populi: nullum magnum malum perennat. Alexander in cinerario jacet.

Deſperatio. Actum de vobis, magni Principes: etiam Alexander evanuit.

Timor. Timete Superi: magnum quoque Jovis Filium mors protrivit.

Verecundia. Ah nimium mei me pudet tam arcte jacentis: Terrarum victori Vrna debebatur Oceanus.

Audacia. Pone metum, Viator. Alexandro impune illudas, licet. Huic nullo jam periculo Calliſthenes mortalitatem obtruderet.

Impudentia. Nimis impudenter, Viator, ibi ſtas, ubi Magnus jacet.

Excandeſcentia. Ardet animus ira, veſana mors. Alexandrum perimis, nemini parcis? Hoc eſt fata dividere.

Minæ. Væ vobis, Magni Principes. Parvus hic cinis, magnis minatur.

Nemeſis. Habes, quod mereris, qui Jovis te filium mentiebare. Inceſti Olympiam abſolvit hic cinis; Philippo te aſſerit, non Jovi.

Miſeratio. Tui me miſeret, magne Macedo; poſt Regiam Pori, poſt Perſicum ſolium, tam incommode jacentis.

Confeſſio. Fateor falſam me mihi magnitudinem arrogaſſe. Auribus impoſui, non oculis,

Deprecatio. Parcite Perſarum manes; ſat pœnarum pendit hic prædo, Terra eget, quam rapuit.

Vix

Vix eſt, ut cuiquam ſingula ſingularum Figurarum, eaq; brevia valde Theſauri exempla, ſufficiant. Proinde juvat omnino ea geminare, (hanc veniam nobis polliciti) Danielis Georgii Morhofi, Viri quo in elegãtiore literatura haud doctior alter, Schematibus. Is enim Polyhiſtoris *l. 2. c. 14.* eodem quẽ Theſaurus obſervavit ordine, formulam Ciceronis *ex epiſt. 8. lib. 1.* ad Familiares: **Tu velim tibi ita perſuadeas, nullam rem eſſe vel minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non carior ſit, quam meæ res omnes**; ſic egregie variavit.

Cognitio. Quod rerum tuarum major mihi cura ſit, quam mearum, id tibi puto certis ſpeciminibus eſſe cognitiſſimum. Dubitare certe te nunquam ſinam.

Ignoratio. Quanti tibi mea fides ſit, ignoro equidem. Eam mihi eſſe ſcias velim, ut vehementius de ſalute tua laborem, quam mea.

Oſtenſio. En dexteram, cum hoc calamo! En fidem, cum hoc animo, qui non tam ſuus, quam tuus eſt! & quem nullæ tangunt curæ, niſi tuæ.

Narratio. Quid alii de fide ſua tibi narrent aut jactent, parum tu ad animũ revoca. Id ſcio, ſurdis ſæpe narrari fabulas, cum amicorum fidem imploramus. At, hæc ego tibi narro, non fabulas, ſed amici oracula; nihil mihi amicitia tua eſſe ju-

cundius, qui fortunas tuas inter meas reputo: ſalute tua meam contineri exiſtimo, cujus ego majorem, quam mei ipſius, rationem ſum habiturus.

Didaſcalia. Qui nihil neſcis, id unum a me docebere, vel reclamantibus Philoſophorum Scholis, ne numero quidem differre amicos, ac nos præcipue; cum te in mei velut poſſeſſionem dudum vocaverim. Quicquid tu volueris, id ita volo, ut nec mea voluiſſe cupidius, quicquid juſſeris, ita exequar, ut nec mea exequi promptius poſſim.

Affirmatio. Crede mihi, nihil eſt, quod tua cauſa non velim. Vel me ipſum, ſi juſſeris, odero, ut amem tua.

Negatio. Nunquam fiet, ut a meo animo, tuus vel latum unguem dimoveatur. Pereant, qui inter nos divortium volunt. An unquam per me deſertæ jacuerunt res tuæ? Nunquam. Citius mihi oculos, os, manus negaverim, quam ut illos ad nutus tuos cæcutire, hoc ad juſſa tua obmuteſcere, has tibi compreſſas atque deſides eſſe patiar, qui tuo ſpiritu magis vivo, quam meo; tuis oculis magis mihi proſpicio, quam meis; tuo ab ore pendeo; tuis manibus fulcior atque ſuſtentor.

Ironia. Qui ſuis utilitatibus ducuntur, ſuis in rebus gerendis, opibus corradendis, centimani Briarei, in aliorum auxiliis vix Scævolæ, eos amicos appelles, iis committas, ſi quid recte curatum velis. Sint procul a nobis iſtæ virtutum & amicitiæ peſtes! A me nihil eorum metues. Patet tibi cum animo fides, hominis magis tibi quam ſibi obnoxii, magis tuis, quam ſuis rebus invigilantis.

Reti-

Reticentia. De rebus tuis angeris? Me vide; in me recipio. Sapienti ſatis.

Præteritio. Non dicam jam, quanta in me tua ſemper fuerint merita: vivunt tamen illa, ob oculos verſantur, manibus palpantur, aures vellicant, animo inſident, ut mearum citius rerum, adeoq; mei ipſius, quam tui tuarumque rerum, me capiat oblivio.

Jusjurandum. Ne vivam, niſi vivo tuus. Hos ego oculos tango, quibus te fero. Hanc ego dextram teſtor, fidei mei pignus, nihil me omiſſurum diligentiæ, in rebus, quæ ad te pertinent, vel cum dispendio mearum, recte curandis.

Teſtatio. Quid tui cauſa fecerim, tuæ magis deprædicant, quam teſtantur literæ. Quid porro facturus ſim, faxo, ut re potius ipſa, quam meo tibi teſtimonio conſtet. Vbi enim in rem præſentem venero, ita ad ea, quæ ſunt e re tua, animum advertam, ac ſi nullo in momento res meas ſim poſiturus.

Animadverſio ſeu Epitaſis. Accedam ad res tuas curandas. Nam meæ ſunt: meæ ſunt, quia tuæ. Tu amicum me habeas, ſed inertem, ſed ſuarum rerum ſatagentem, ſed amici rebus ſecurum? Adeone tua tibi vel diffidentia, vel modeſtia imponit, ut fidei amici nihil committas, nullum humeris onus ejus imponas?

Parentheſis. Si me amas, (amas autem, quam qui maxime) non committes, ut ab alio (alii enim alia magis & ſua, quam tua curabunt) res tuæ curentur; qui non ut alienas (nihil enim inter amicos alienum eſt) ſed ut meas, & plus quam meas, planeque ut tuas curabo.

Correctio. Tantum mihi non eſt a rebus meis otii, aliena ut curem; ſed curo tamen tua. Imo hæc non ſunt aliena, ſed mea. Sed ego illa curo, plus, quam mea, quo tu plus oculis iſtis, ac me ipſo mihi charior.

Repetitio. Quoties tuas mihi literas mittis, toties præconis cujusdam voces audire videor, qui mihi ſuum, *hoc age*, inculcet. *Hoc* ſcilicet *age*, non quod tuum eſt, ſed amici tui negotium. Quod ideo magis tuum eſt, quia non eſt tuum, ſed amici negotium.

Admiratio. Papæ, quam tu mirabilis homo! Novum hoc mihi monſtrum eſt; nova in amico, in familiari, verecundia, tam intempeſtiva modeſtia. Non audes in me rejicere tua negotia, cui nihil magis eſt in votis, quam tua ut impleat vota, & in tuis ſua?

Exclamatio. O fortunatum illum felicemque diem, quo negotiorum tuorum me facis participem. Jam demum te vere amo, quia te me amare video, ut fidei meæ aliquod ſpecimen requiras, quam ita tibi totam cum animo ipſo addico, ut nec ipſe in aliquam ejus partem admitti velim.

Exaggeratio. Quis credat tanti tibi nomen meum eſſe, ut negotio tuo arduo conficiendo, homuncionem hunc præficere non dedigneris? Ego vero tanti beneficii memor, omnem ei rei curam, operam, diligentiam, nervos, vires, vitam, ſpiritumque ipſum impendam.

Extenuatio. Res tuas bene ut curem rogas. Quam hoc rogare ridiculum eſt, hominem tui amantiſſimum, ſtudioſiſſimum, te, qui qua polles autoritate, imperare potes, quo flagras amore, debes

bes. Jube, impera, tuus ſum, mancupii tibi jure acquiſitus: quanquam & tuæ mihi preces, quemadmodum magnatum, ſunt imperia. Nunc cum me rogas, currentem incitas; qui, tui ut maximam habeo reverentiam, ita majorem rerum tuarum curam gero, quam mearum.

Memoratio. Memorem mones amice. Et nunc hærent mihi in animo tua juſſa, ac, dum ipſe mei memor ero, hærebunt. Citius enim mei ipſius, quam tui tuarumve rerum, quas diligentiſſime curabo, mihi oblivio obrepet.

Præſagitio. Quæ mihi in mandatis dediſti, eâ, quâ debeo, fide exſequor: & jam neſcio, quid mihi animus præſagit boni, fore, ut quamprimum ad vota tua, imo ſupra illa, expediantur. In me, quod accredas mihi velim, mora non erit ulla: id enim prædico tibi, habiturum te quidem aliquos, qui res tuas, eâ, quâ ſuas, diligentia, neminem, qui majori quam ſuis impendit, curaturus ſit.

Dubitatio. Tene audiam potius, an me, dubito. Tu rebus tuis, recte curandis, me præficere vel non vis, vel non audes. Ego vero volo, & ſi me audis, tibi, ut mihi, quæ vis, imperes, impero. Res enim tuas diligentius, quam meas, curabo. Amici non ſumus, ſi tu, an imperes, ego, an faciam, dubitemus. Neque tu fidem meam in dubium, ſcio, vocabis, nec tuam ego fiduciam.

Inquiſitio. Nunc ego quæro abs te, quare alii potius, quam mihi res tuas curandas commiſeris: quando me vel infidum, vel negligentem in rebus tuis inveneris, qui plerunque a meis, quam a tuis, ſum omiſſior. Juſtas certe conquerendi adverſus te cauſas habeo, Actio conſtituetur. Tu

mihi

mihi & reus, & judex eris, niſi te ipſum condemnaveris. Cave ne te condemnem. Centum enim epiſtolarum numerum ſolves, antequam te abſolvam.

Interrogatio. Ain vero? Non te mihi gravem fore tuis negotiis? An hæ amico, an te, an me dignæ voces ſunt? Qua tu mihi fronte id occinis? quo animo? An mea tibi fides ſuſpecta? An tua ego unquam ſegnius curavi? An meæ ſunt tot occupationes, ut tuis excludar? fuitne ſemper major apud me in meis, quam in tuis rebus, ſollicitudo? Quis obſequio, officiis, induſtria promtior? reſponde, ſi vir es, defende te, ſi amicus.

Reſponſio. Visne ut in me negotii hujus moles recumbat? En Atlantem, qui ferat animo intrepido, nec latere infirmo. Vis hominem induſtrium, diligentem? En tibi, qui tua omnia ita geret, reget, gubernabit, ut nihil a te ipſo amplius expectes.

Interpretatio. Amicus tuus ſum, id eſt, res tua. Vtere illa, prout libet: verbo innue, occultos interpretabor ſenſus. Optimus amicus amici interpres eſt, i.e. omnia quæ vult, ille volet alter. Manus alter alteri commodabit; ora, animos, res amici curabit, plus quam ſuas.

Occupatio. Ergone nullum fuit e tot negotiis, quæ inter amicos quaſi dividis, cui me admoveres? Jam ſcio, iterum veterem mihi cantilenam occines: Tot negotiis circumſideris, ac pene opprimeris, ac nova quæris? Nolo tua facilitate abuti, nolo publicis detrahi, quæ meis impendis tempora. Tu vero aufer mihi iſtas excuſatiunculas. Non ita aulæ ſervio, ut inſervire amicis vel nolim,

vel

vel non poſſim. Totas citius dies, omnes quæ ſuperſunt, horas, omnia momenta, aulæ & mihi eripiam, ut tibi tuisque rebus impendam. Aulam deniq; res ſuas ſibi habere malim, quam, ut a tuarum mihi rerum cura ſit discedendum.

Fictio. Quod rerum tuarum curam mihi imponis, gaudeo: committe huic homini omnia. Finge ex tuo ingenio promptum, alacrem, officioſum. Argum me finge, qui centenis oculis invigilet. Briareum finge, qui centum manus ad opus tuum adferat: non fallam ſpes tuas & vota, mea etiam vota, meumque genium fraudaturus, ut tua impleam deſideria, tuæ me accommodem voluntati. Finge denique novam aliquam mei in Te μεταμόρφωσιν: Sic idem tecum & plus, quam tu ipſe, & cupiam, & exequar.

Imaginatio. Jam videor mihi te videre moroſum, meditabundum, circumſpicientem omnes angulos, circumcurſitantem omnes plateas, prenſantem amicos, quos in negotio tuo expediendo conſulas. Ad me non reſpicis. Quin dic, quid velis. Illud mihi Pythagoreum: αὐτὸς ἔφα, tibi erit αὐτὸς ἐποίησε. Ni enim ego, quicquid tu dixeris, ita effectum dederim, ut ipſe non posſis accuratius, omnem apud te fidem decoxero.

Expreſſio. Ego tuas res non curem? Plus quam meas. Si Jovis quadrigas inſcenderis, aut Diogenis accenderis lucernam, parem in alio fidem fruſtra quæras. Manibus pedibusque ſaxum hoc tuum volvo. Si mihi centum linguæ eſſent, centies hæc tibi inculcarem; nihil eſſe, quod non tui cauſa cupiam. Si centimanus eſſem Briareus,

vel

vel centies effecta darem, quæ ſemel tu facta cupis.

Proſopopœia. Si charta hæc conſiliorum meorum particeps loqui tecum poſſet, quæ vellem, candorem tibi noſtrum vel ipſo colore ſuo conſeſſa, deſideria noſtra panderet, quibus in obſequia rapimur. Si ipſa fides hæc ſcriberet, me puto rebus tuis unice commendaret.

Apoſtrophe. Agite ergo. Ite, literæ noſtræ, ad virum noſtri amantiſſimum. Ite atque hæc ei in aurem: Heus tu, ſi quid curatum velis, huic homini curandum da.

Ratiocinatio. Nulla mei tibi cura eſt. Quid ita? Rogas? Quia nullam mihi vis eſſe tui tuarumque rerum curam. Ego vero rogo te non ſolum, ſed & pro jure meo contendo, ut in earum partem me admittas. Debes enim, quia amicus: velle debes, quia fidei meæ certus. Ejus puto non pauca habes ſpecimina. Quid enim? Annon ſemper ita curavi res tuas, ut nec tu ipſe diligentius?

Concluſio. Amicus meus es. Ergo fac, ut te videam, non nomine, ſed opere ipſo talem. Feci, inquies, juvi, quibus potui, re, opera, conſilio. Sed tuo bono, mutuus amicorum amor eſt: Ergo & reciproca ſunt officia. Niſi enim reſpondere officiis me velis (cupio certe, quam qui maxime,) cum omnia mei cauſa agis, nihil agis, ac ipſo beneficio es ingratus.

Epiphonema. Cum in omnibus & conſilia & operam tuam requiro, ita omnia agis mea, ut nec ipſe diligentiam meam requiram. Ego vero cum tui cauſa omnia agere velim, ne minima quidem in re noſtrum deſideras officium. Iſta quidem vis, aut

aut, ut mollius dicam, fraus eſt. Heu quam eſt miſerum, ita vivere, ut, ſi vel maxime nolis, vivas tamen ingratus! Quam eſt hoc in amicitia ambitioſum! addo, quam callidum! Vt ſolus bene mereri videaris, amici excludere officia.

Compendium. Nihil eſt, quod tibi tuarumque rerum commodo impendere nolim: Nihil adeo mihi dulce eſt & ſuave, quorum ego jacturam non facere malim, quam ut tuæ amicitiæ per negligentiam meam vim inferam. Plenum tibi in operas, res, conſilia, fortunas, ſalutem, vitam denique meam, jus tranſcribo, atque ut paucis multa dicam, tibi toti me totum.

Perplexitas. Quid agam? Hinc animum timor diſtrahit: hinc amor: illinc mea etiam commoda. Hujus ego Jovis in me fulmina temere concitare nolim. Te ut iratum mihi habeam? Sancta amicitiæ lex prohibet. Commoda mea ut negligam? Amici, uxor, liberi intercedunt. Quid velim ego nolimve neſcio. At certe tui cauſa vel cum ſalutis meæ diſpendio, velle omnia debeo.

Approbatio. Hem iſtud eſt amicum eſſe! O factum bene! Beaſti me tuis literis, quibus rerum tuarum curam mihi imponis. Jam te amicum eſſe ſentio, tuque me eum eſſe, faxo ſentias, cui ſtatutum eſt omnia ferre atque pati, quam ut in te aut in fortunas tuas iniquius aliquid conſtituatur.

Imperium. Hoc tibi edico, ſeveritate plusquam prætoria, ne cuiquam alii, quam mihi res tuas commendes. Eam tibi legem jus amicitiæ ponit, ſanctum, inviolabile: ut parendi mihi neceſſitatem impoſuit, plus in rebus tuis, quam meis laboraturo.

Ad-

Admonitio. Quidvis impera. Dictum factum. Viſne curem res tuas? Meæ erunt.

Vnum illud repetens, iterumq; iterumq; monebo,

ne mihi magis, quam tibi ipſi diffidas.

Obſequium. Non ero, ut ille in fabula, ad mandata claudus, cæcus, mancus, debilis. Quæ enim apud Maronem ventorum Deus, mihi tibi liceat, non fumos vel ventos vendenti,

Tuus eſt o Amice, quid optes,
Explorare labor, mihi juſſa capeſſere fas eſt.

Blanditiæ. Nunc amo te, anime mi, ocelle jucundiſſime, cum in negotiorum tuorum conſortium me admittis, qui tuis immori malim, quam meis immorari.

Salutatio. Salvete mihi vel centies, quæ ſalvum mihi nunciaſtis amicum noſtrique memorem: ut vos exoſculor: ut lego lubens! Nihil enim iſta memoria mihi accidit ſuavius: præſertim, cum ea obſequiis officiisque mutuis fovetur. Quæcunque etiam juſſa feratis ferte, mea ſemper reportaturæ obſequia.

Apprecatio. Dii te ament, Amicorum optime, pro amore in me tuo. Jam enim (quod bonum fauſtumque tibi mihique ſit,) totum expedivi negotium: tam bene proceſſiſſe primum hujus amicitiæ ſpecimen, tui cauſa gaudeo, mei cauſa triumpho; qui omnia moliturus ſum, ne pœnitere te amicitiæ meæ poſſit.

Veneratio. Graviſſimum eſt; quod fidei mei commiſiſti, negotium, ac periculoſæ plenum opus aleæ: videbo tamen, ut illis difficultatibus te, eripiam, nulla etiam ſupplicia formidaturus. Deum vene-

veneror, ne tam præclaram bene de te merendi occaſionem mihi e manibus elabi ſinam.

Abominatio. O factum male! Annon pluris tibi ſum, quam homo ille mercenarius, cujus tu fidei res tam arduas commiſiſti? Aufer lucellum illi, & aberit fides, quæ non excedit loculorum amplitudinem. Certiora a me, quam ab illo homine, rei tuæ præſidia expectare potuiſſes, debuiſſes. Ut tuas enim erigerem res, vel meas paterer deſertas.

Objurgatio. Verberavi te hactenus cogitationis tacito duntaxat convitio, nunc te palam objurgo, Euclionem temporum, prædonem literarium, helluonem librorum, amicitiæ deſertorem, cauſæ tuæ proditorem: qui in tam arduo tuo negotio, non tantum tibi otii ſumis, ut amico res tuas commendes, qui certe diligentius quam ſuas, aut tu ipſe tuas, geſturus eſſet. Dicam ego hanc tuam vel ſocordiam, vel ſuperbiam, vel aſtutiam? Nam certe vel ſalutis tuæ curam abjeciſti, vel me huic rei ineptum exiſtimas, vel denique hoc tam pertinaci ſilentio artes quasdam, quibus diſſui amicitia ſolet, alere mihi videris. Vel mores tuos muta, vel amici nomen abjice.

Irriſio. Vis ſcire quid agam? Albis, quod ajunt, dentibus te rideo, qui dignum abſtuliſti diffidentiæ tuæ præmium; cum amicum haberes, cui ſecure crederes omnia. Quæſiviſti alios, quorum vel malitia, vel negligentia, res in ſummum diſcrimen tuæ deductæ. Nunc, cum nemini obtrudi poſſunt, ad me itur.

Diſce fidem noſtram, monite, & non temnere Amicos.
I nunc, & impone illis negotia, qui tam pulchre tibi imponunt.

Execratio. Male ſit morbo illi, qui me hactenus rebus & meis & tuis ſubtraxit. Nunc poſtquam ille à me receſſit, ad me redeo, & ad te, & ad tua negotia, quantus quantus ſum, omni fide, officio, ſervitio, tuus.

Optatio. En erit unquam

Ille dies, mihi cum liceat tua noſcere juſſa?

Totos ego menſes compreſſis manibus ſedeo, totos ego años expecto, nec quicquam in literis tuis comparet, in quo fidem periclitari velis, quam tibi propriam perpetuamque ſpondet amicus.

Vocatio. Ubi jam ſunt illi Aretalogi, philoſopha ſua ſententia, ignava opera? Jam veniant, & viros ſe præſtent, verbis adeo ſplendidi. Nunc illi deliteſcunt, nec quiſquam eorum domi eſt. Tu, ſi ſapis, veteribus amicis, quorum tibi ſpectata fides eſt, utere. Inter eos me habes ſemper tuum, & ὄργανον ἔμψυχον. In tua ſum poteſtate, & quæ de tuis in mea eſſe vis, in tua eſſe non deſinent.

Votum. Si quid habes, in quo amici fidem requiris; en! tuus ſum; ad aram enim fidei me tibi nunc ſiſto. Tibi victimam me voveo: Tibi me totum omniaque mea conſecro.

Obſecratio. Non deſinam te fatigare precibus, ut mea tandem utaris amicitia, niſi ipſe habeas inutilem: qua ne me afficias injuria, tibi ſupplico. Quanquam vulgus, ut vetus habet verbum, amicitias utilitate probet, vinculo tamen aliquo amicitiæ illæ contineri debent, ne collabaſcant.

Commendatio. Qui multos commendare tibi ſoleo, nova apud te commendatione ipſe apud te egere mihi videor. Adeo enim oblitus mei es, ut operam noſtram nulla in re deſiderare videaris;

cum

cum nullis libentius quam tuis rebus curam intendam.

Conceſſio. Scribe modo: tuis ego deſideriis ſubſcribam. Nihil ita meæ poteſtatis erit, ut non ipſe velim tuæ. Omnibus, quibus potero, officiis, tibi commodaturus.

Gratiarum Actio. Gratias tibi ago, quod magno me beaveris beneficio. Quod enim majus contingere amico beneficium poſſit, quam ad officia beneficiaque invitari? Vtinam eorum aliquam partem implere poſſem, quæ ad te ornandum pertinent.

Recuſatio. Odi aulicos illos verborum apparatus, quibus adverſus Amicum uteris. Annon noſti Græcum illud: ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Nolo blanditias, juſſa volo: quæ, quo ſeveriora, eo mihi blandiora: quo tu me minus rogas, eo promptiora tibi mea erunt officia.

Exultatio. Cum mea diligentia effectum tibi viderem, quod tu efflagitabas cupidiſſime, exultare lætitia & triumphare gaudio cœpi. Et hunc ego a negotiis tuis fructum primus capio, primum hoc mihi quod ſit gaudium, tuum vero ſecundum. Cum affectui meo prærogativam non invidebis, ut, qui ſtudio ac efficiendi deſiderio me ipſum & induſtria prævêni, tua quoque gaudia prævenirem.

Jactantia. Nunc ego de rebus tuis bene a me geſtis gaudeo. Hanc enim mihi gloriolã in hoc amicitiæ certamine vindico; nulli fide, diligentia conceſſurus. Tu modo cave, ne tua vel diffidentia, vel ſocordia, gloriæ huic noſtræ quicquam detra-

hatur; quam ita cuſtodire cupio, ut ſi idem mecum velis, res tuæ jaceant nunquam.

Gratulatio. Jam licet acclamem tibi *feliciter* & mihi, de feliciter expedito negotio; nec potes tam tibi ipſi, aut alii ita gratulari, ut ego mihi gratulor, atque in ſinu de hac felicitate tua, quæ & mea eſt, gaudeo. Nihil enim mihi gratius unquam accidet, quam ſi per meam operam, grati aliquid tibi accidere poſſit.

Plauſus. Plaude, jam peracta tua eſt fabula. Ego Roſcius in hac ſcena perſonam tuam perbelle tractavi. Succeſſit e voto res. Quid vis amplius? Tibi plaudo,

& mihi plaudo

Ipſe domi, ſimul ac numos contemplor in arca,

quos tibi induſtria mea extorſit. Plura tui cauſa, ſi velles, vellem.

Ejulatio. Heu mihi! Adeone me a bona fortuna derelictum, ut tui cauſa efficere nihil valeam, qui velim omnia. Non equidem omnia poſſumus omnes, in aulis præſertim, in quibus ab unius Jovis nutu pendent omnia. Sed & hic interdum Semideis & Diis Tutelaribus, & Satyris aliquid licet.

Exprobratio. Satisne tibi cauſæ eſſe ingrato putas, quod omne inter nos amicitiæ commercium ſublatum velis. Nam certe amicitiam ſuſtuliſſe mihi videris, qui fomenta ejus tollis, ac iſta mutuorum officiorum ſolatia. Quænam hæc ſatietas eſt? quod faſtidium te a nobis abalienavit? Omnes alii etiam, quos non ſatis noſti, a te habent, quod agant; ego nihil, qui & animo tibi ſum conjunctiſſimus, & rerum tuarum gerendarum cupidiſſimus.

Pœnitentia. Jam pene promiſſorum meorum me pœnitet, cum tam ſegniter res tuæ mihi procedant

cedant; non mea quidem, ſed unius moratoris culpa. Hæc mihi pene quotidiana ſunt ſupplicia. Ipſa itaque neceſſitas mihi manum injecit. Vbi removero hæc obſtacula, ita res expeditas dabo, ut nec me pœnitere laboris, & hujus ipſius tædii poſſit, nec te meæ amicitiæ.

Spes. Bene te ſperare jubeo: In portu enim tua cauſa navigat, jamque ad optatum finem res omnes ſpectant. Jam gaudeo impletas tibi eſſe a me ſpes tuas, quas de me conceperis. Atque ut ita ſemper ſperes, rogo. Ego illud operam dabo, ne ſpes tuas fides noſtra deſtituat.

Deſperatio. Quanta ſpe decidi! Actum de amicitia noſtra eſt! animam agit, niſi tu ſuccurras. Ne quid enim diſſimulem, non mediocriter animi angor, quod ab alio quam a me, cujus tamen fidei olim credebas omnia, negotia tua velis curari. Ego vero ad inſaniam cupio. Tu vide, ne hoc mœrore & deſiderio contabeſcam. Jam iſtæ res meæ mihi ſordent, ipſe mihi diſpliceo, cum diſplicere tibi ſtudia mea video.

Timor. Metue, o bone, quem non metuis. Habemus interdum amicos, qui blandi ſunt oris, amari vero pectoris. Ego profecto non parum tibi tuæque cauſæ metuo, qui parum adeo tibi ipſi metuis. Mira alacritate omnia obſervo, omnia etiam tuta timens. Notæ enim mihi ſunt hominum inſidiæ. Atqui ita, ſpero, lento & ſuſpenſo gradu ipſam cauſæ arcem invadam.

Verecundia. Pudore confectus pene ſum, cum a rerum tuarum cura excluſum me eſſe ſentio, quem unum atq; unicum amicum appellare toties conſueviſti; qui tuis rebus eam ſemper adhibuit diligenti-

gentiam, quam non adhiberet vel ſuis, vel aliorum negotiis. Nunc itaque verecundia deterritus, pluribus te verbis non rogabo, ut quicquam mihi oneris imponas: Metuo enim, ne ſi repulſam feram, ſecundo pudori animus ipſe ſuccumbat.

Audacia. Magnum in me facinus tui cauſa ſuscepi; jacta jam eſt alea. Atque utinam videre poſſes, quo vultu, qua confidentia, quibus cervicibus, quo ſpiritu, negotia tua ſubeam. Nulli cedere paratus, nec ipſos equuleos formidaturus, ut rem tuam tibi conficiam, quæ meis omnibus meaque ſalute mihi eſt charior.

Impudentia. Jam ergo os ferreum, & perfrictam tibi frontem opponam, qui nullis moveri precibus potes. Ingeram me negotiis tuis, vel te invito. Velis, nolis, morem te mihi gerere oportet, homini, qui eadem, qua hæc a te audacia petit, (animos enim addit amicitia) effecta daturus eſt. Si me importunius hæc flagitare miraberis, cogita non erubeſcere amici literas.

Excandeſcentia. Totus in fermento ſum, neque cui ſuccenſeam ſcio. Non mihi: Nihil enim eorum, quæ ad rerum tuarum curam ſpectant, e manibus dimitto. Indignor tamen, ac propemodum ringor, me nihil adeo promovere. An itaque cum fato meo expoſtulem? Sed & hoc ſtultum eſt, & homine prudenti indignum tibi videbitur. Ego potius impatienti deſiderio tempus illud, quo tua mihi vota implere liceat, expectabo.

Minæ. Quæ (malum!) iſta cunctatio? Hæc tua mihi verba aures circumſonant: Væ illi, qui has mihi moras nectit, & cujus ego culpa iſtam

apud

apud te ſuſpicionem incurro? Si non fecero ignavo huic homini mala aliquo pacto, me eſſe dicito ignaviſſimum. Habebis etiam in me vel Fabium aliquem, qui cunctando etiam res tuas ſit reſtituturus.

Nemeſis. Non ergo impune tibi abiit iſta nunc injuria. Jam par ego pari. Tu me a tuis excluſiſti negotiis, ego te a meis. Jam diſce impoſterum, ſuo pretio amici æſtimare fidem.

Miſeratio. Miſeret me tui, qui adeo cum difficultatibus rerum tuarum conflictaris, nec ex iis eluctari anguſtiis potes. Ergone amici tui ita tibi excidit memoria, ut in earum partem eum admittere nolis, qui ea fide tua curat, ut fidelius non poſſit ſua?

Confeſſio. Nullæ mihi magis curæ, quam res tuæ, ſunt. Ea enim me, fateor, ambitione teneri, ut inter amicos tuos, & qui plurimum tui cauſa cupiunt, principatum quendam affectem.

Deprecatio. Parce, precor, o Amice: ſatis pœnarum jam luimus. Citius enim aqua & igni mihi interdixeris, quam officiorum communioni, quæ ex amicitia oritur; ſine qua vel ipſa mihi vita acerba eſt.

Certum eſt in ſylvis inter ſpelæa ferarum
Malle pati,

quam iis carere utilitatibus, quas tua mihi parit amicitia, quæque in eo præcipue conſiſtunt, ſi tibi ulla ratione utilis eſſe obſequio ac opera mea poſſim. Qua in re omnem pono diligentiam.

MAN-

MANTISSÆ

Vicem ſubeunt numeri, ut Plautus, in Epigrammate ſepulchro ſuo incidendo, loquutus, in numeri, ſive VERSVS VERSATILES, qui metri lege ſalva, plures, quam credi poteſt, mutationes patiuntur, nunquam eadem verborum diſpoſitione recurrente. Ille notus eſt, ſed inelegans, nec niſi ſeptingentis converſionibus obnoxius:

Nuper quidam doctus cœpit
ſcribere verſus.

Sequens, de Diva Maria Virgine venuſtior:

Tot tibi ſunt dotes, Virgo, quot
ſidera cœlo.

& mutatur milleſies ac bis & vigeſies.
Petrus Herrera iſtum de S. Agatha compoſuit:

Quis det me ſacros Virgo tibi
fundere verſus?

atque hic ultra ter mille admittit multiplicationes.
Succedunt bini, quorum unus bona, alter mala enumerat:

Lex, Rex, Grex, Res, Spes, Jus, Thus,
Sal, Sol, (*bona*) Lux, Laus.
Mars, Mors, Sors, Fraus, Fæx, Styx,
Nox, Crux, Pus, (*mala*) Vis, Lis.

Hi variari poſſunt vicibus *undequadragies millies mille, & nongenties ſedecies mille*, atque inſuper octin-

octingentis; quod vulgatis numerorum, quas Arabibus acceptas ferimus, notis, ſic exprimitur: 39916800. Jam ſi ſolers feſtinusque Scriba, ſingulis diebus vel mille ac ducentas variationes ſtylo conſignet, ad omnes deſcribendas opus ei erit *annis nonaginta & uno*, cum *quadraginta novem diebus*. Iſtorum imatione, tales in vernacula effinxit dulce decus Reipublicæ Noribergenſis, Georgius Philippus Harsdörfferus:

(Auf) Angſt / Noth / Leid / Haß /
Schmach / Spott / Krieg / Sturm /
Furcht / Streit / Müh / und (Fleiß.)

(Folgt) Luſt / Rath / Troſt / Gunſt /
Ruhm / Lob / Sieg / Ruh / Muth /
Nutz / Lohn und (Preiß.)

Atque hæc poſtrema, *tibi Fili*, omnibusque qui bonam Mentem amant, evenire, ex animo voveo.

DE STYLO
PRÆCEPTA.

Quæ præcedunt omnia, non aliter ſe habent, ac tigna, lapides, calx, cum reſpectum habemus ad ædificium; quod utique nunquam exſurget, niſi illius arte, qui iſta jungere, & invicem ſociare edoctus. Sed humiles prius caſæ pauperumque tabernæ ædificandæ ſunt, antequam ad Regum turres & domicilia condenda quis manum admovere ſuſtineat. Eadem prorſus ſermonis cum ſit ratio, tandem Filius docendus erat, in ſcribendo aliquid conari, iis Exercitationibus, quas ex Antiquiorum conſilio, Joh. Henricus Bœclerus, & Johannes Schefferus, *ambo inſigni doctrina facundiaque Viri, ac ille quidem in* Styli Gymnaſio, *hic in libello* de Stylo exercitiisque ejus, *commendarunt. Excerpſi ſumma capita illorum, quæ prolixe inculcant, additis ab iis ipſis, aut aliunde petitis exemplis. Atque ſic primum impletum eſt Loculamentum, & habemus ea, quibus Latini Sermonis facultas aliqua paratur. Sed his uſus accredat oportet. Eſt imprimis ardua res juſtam Orationem ſcribere, etſi nimis præpoſtero inſtituto juvenes apud nos hoc ſibi ſumunt, omiſſis Progymnaſmatibus, ita, ut quemadmodum ii in quos* Plinius *Junior invehitur, ſtatim ſapiant, ſtatim ſciant omnia, neminem vereantur, imitentur neminem, atq; ipſi ſibi exempla ſint. Hac vero ratione id denique conſequuntur, ut maturi ætatis, vix latine amplius balbutire poſſint. Scilicet, quia in ephebis conſtituti, omnem jam Eloquentiæ vim exhauſere.*

DE

DE STYLO

PRÆCEPTA.

Quid eſt Stylus?

STylus eſt facultas, promte decoreque conſignandi ſcripto, quicquid animo concipitur, ac proinde circa ea omnia verſatur, circa quæ oratio.

Stylus nihil eſt aliud, niſi tacitus quidam inter abſentes ſermo. Cum igitur ſermo noſter, ſeu orátio, verſetur circa omnia tum divina, tum humana, etiam in iſtis Stylus erit occupatus.

Quotuplex eſt Stylus?

Stylus alius eſt Poëticus, alius Hiſtoricus, alius Phiſoſophicus, alius Oratorius. Pro materiæ enim diverſitate ſtyli ratio mutatur.

Stylus, ſive dictionis character, ſemper attemperandus eſt materiæ qualitati, & alia ſublimi, alia mediocri exponenda ſunt ſermonis genere. Horatius de arte:

Verſibus exponi Tragicis res Comica non vult.
Indignatur item privatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.

Quid

Quid eſt Stylus Poëticus?

Stylus Poëticus in verbis liber eſt, in figuris licentioſus, totus ad oſtentationem comparatus.

Quintilianus l. 10. Inſtitut. Orat. c. 1. *Meminerimus non per omnia Poëtas eſſe Oratori ſequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum.* Ex hac licentia, eſt *cœlum flammigerum* apud Statium: *Equi alipedes*, apud Virgilium: *cretata ambitio*, apud Perſium; *dens fulmineus apri*, apud Catullum: *aqua vitrea*, apud Statium. Sic, *inlatebrare*, velut poëticum Gellius notavit in Quadrigario.

Quid eſt Stylus Hiſtoricus?

Stylus Hiſtoricus verbis utitur minus anxie quæſitis, figuras quidem adhibet, minus tamen licentioſas, in oratione tota, ineſt fuſum quid, & æquabiliter profluens.

Abſtinet Hiſtoria a vocabulis ab uſu remotis, vulgaribus item, adhibetque decora & ſelecta, ornaturque figuris non moleſtis, & non affectatis. Sic Livius. l. 2. c. 20. quidem inquit: *Moribundus Romanus ad terram ex equo defluxit*: non tamen ut Virgilius undecimo:

Sanguinis ille vomens rivos, cadit atq; cruentam
Mandit humum, moriensq; ſuo ſe in ſanguine verſat.

Quid eſt Stylus Philoſophicus?

Stylus Philoſophicus in verbis purus eſt, figuras nec frequentes admittit, nec remotas, totus ſine pompa, ad docendum comparatus.

Philo-

Philoſophicum dicendi genus Cicero lib. 1. Offic. appellat *æquabile, temperatum, quietum.* Quintilianus l. 10. Inſtit. c. 1. *Philoſophiam ex profeſſo oſtentantibus, parum decori ſunt plerique orationis ornatus, maxime ex affectibus, quos illi vitia dicunt. Verba quoque exquiſitiora, & compoſitio numeroſa, tali propoſito diverſa.* Igitur, pro eo quod Poëta de Achille apud Ciceronem ait:

Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris:

itemque Cæcilius apud eundem:

Nunc enim demum mihi animus ardet:
Nunc meum cor cumulatur ira.

proque eo quod ipſe Cicero dixit: *excandeſco iracundia*: Philoſophus ſimpliciter uſurpabit verbum *iraſcor.*

Quid eſt Stylus Oratorius?

Stylus Oratorius verba habet exquiſita, figuras tempeſtivas decoraſque, totus factus eſt ad majeſtatem, vim, & efficaciam.

Cicero in Oratore requirit *vim, gravitatem, ornatum, ſplendorem*: Quintilianus vero *ſublimitatem, magnificentiam, nitorem, & autoritatem.*

Ecquæ ſunt Media ad Stylum neceſſaria?

Vt Stylum ſibi aliquis, quemcunque tandem, compareṭ, neceſſaria ſunt tria: Natura, quam largitur Deus; Ars, quam tradunt Grammatici, & Rhetores; Exercitatio, quæ a nobis ipſis petenda eſt.

De *Natura* res eſt clara, ſecundum illud Poëtæ:

Tu nihil invita dices, faciesve Minerva.

Quan-

Quanquam neminis tam dura videtur natura, ut, modo operam ſumere velit, ſtylum ſibi comparare nequeat, ſi non excellentem, ſaltem mediocrem ac tolerabilem. De *Arte* dubitari non poteſt, cujus ope in plerisque Natura imbecillior juvatur, firmior perficitur. In *Exercitatone* vero tanta vis eſt, ut eam unice nonnulli ſufficere putarint, & in his Poëta:

Solus & artifices qui facit uſus adeſt.

Pulchre & probe Joachimus Camerarius in Prooemio, Elementorum Rhetoricorum: *Conſtituendum in primis & ponendum hoc, quod eſt certiſſimum: Non poſſe perveniri ad notitiam ullius artis, niſi per viam præceptorum: quam, ſive quis non ingreſſus ſit, ſeu minus tenuerit, quamvis interdum ingenii quadam divinitate admirabilia opera ab hoc elaborentur, tamen a conſtantia & certitudine artis illa abeſſe neceſſe ſit. Sed ut hoc itinere præceptorum ad artis ipſius conſpectum & notionem deferimur, ita perfectio hujus & facultas in uſu omnis conſiſtit, quo efficiantur ea, quæ præcepta jubent atque monſtrant.* Cæterum, ut iſte labor, in Eloquentiæ præcipue ſtudio, eò felicius procedat, Autor aliquis bonus proponendus, & ſemper ante oculos habendus, ut ad illius imaginem ſumma cum religione, nos & noſtrum ſermonem conformemus. Conformatio autem hic intelligitur, non ea, qua verba, aut formulæ aliquæ, vel externus quoque habitus tantummodo, ſed interna vis ac figura exprimuntur. Lipſius in epiſtola ad Vergerium: *Vbi ſola imitatio eſt, & huic adhæremus: quid fit? perſona ſcenica, & ut quidam magnorum virorum habitum, atque inceſſum, aut geſtus imitantur, cætera & interna diſpares: ſic dictiun-*

culas

culas aut clauſulas aliquas Tullii, ſi forte referimus, ad vim & Venerem ejus non adſpiramus.

Quid eſt Exercitatio?

Exercitatio, eſt ſtyli ad præcepta artis & exempla veterum, per omne argumenti genus, crebra diligensque accommodatio.

Quæ ſunt Genera Exercitationum?

Exercitationes ad duas Claſſes revocari poſſunt, nimirum ad Grammaticas, & Rhetoricas.

Grammatica Exercitia Veteribus dicebantur, quæ Grammatici proponebant, Rhetorica, quæ Rhetores.

Quæ ſunt Exercitationes Grammaticæ?

Ex Grammaticis Exercitationibus primum locum ſibi vindicat, vernaculæ in linguam aliam converſio. Alterum, loci alicujus ex autore probo per tempora, modos, perſonas variatio. Tertium, Carminis ſolutio, illiusque mutatis verbis interpretatio, vel etiam paraphraſi audaciore converſio. Quartum, verſio Græcorum in ſermonem Latinum. Quintum, veteris alicujus hiſtoriolæ, orationis, deſcriptionis, in argumento ſimili, ſimplicior imitatio. Sextum, Sententiæ brevis explicatio per rationes. Denique Septimum, eorum, quæ audimus vel videmus, conſignatio & deſcriptio.

I. Vſus ejus exercitii, quo aliquid e vernacula in linguam Latinam convertitur, eſt notiſſimus. Is adducit ad cognitionem vocabulorum, formularumque; docet locutiones in numerato habere; oſtendit, quantum a noſtræ, linguæ Latinæ differat ratio, naturaque. Non inutile eſt proponere hic ea, quæ jam antea ab idoneo, & claſſico ſcriptore ſunt tractata: e. g. Epiſtolam Ciceronis, vel hiſtoriolam ex Valerio Maximo; ut conferri verſio cum Autore ipſo poſſit. Laudat hunc modum Ob. Giphanius in Orat. de Ratione diſcendarum Linguarum, iſtis verbis: *Epiſtolas Ciceronis ad verbum a Magiſtro vulgari ſermone expreſſas, Latine de ſuis facultatibus reddat. Hoc enim modo pueri oratio non doctoris ſui arbitrio, ſed præſtantiſſimorum Autorum judicio emendabitur.*

II. Innuere videtur hoc genus Suetonius, in libello de Clar. Rhetor. c. 1. quando de antiquis Magiſtris ait: *Dicta præclare per omnes figuras, perq; caſus exponere conſueverunt.* Quo ſignificatur, ſententias magnorum virorum, eos alio atq; alio modo, mutatis caſibus, temporibus, figuris reddidiſſe, ut eundem tamen retinerent ſenſum. De hac re ſatis actum, in iis quæ præcedunt, Præceptis, de Copia Verborum. Juvat tamen hic ſuperaddere. Curtii exemplum, e libro 3. cap. 3. ubi unicum verbum *ſequuntur*, notabili variatione quinquies mutatum videas, hoc modo: *Magis proximi erant. Haud procul erant vehicula. Sequebatur hæc equitatus. Proximi ibant Immortales. Exiguo intervallo ibant Cognati. Proximum his agmen erat.* Extat aliud ſimile exemplum apud Cornelium Nepotem, in Præfatione Operis, iſtis verbis:

Ci-

Cimoni non fuit turpe. Non noſtris moribus nefas habetur. Laudi ducitur adoleſcentibus. Magnis in laudibus eſt tota Græcia. Nemini eſt turpitudini. Non ſunt apud nos infamia. Non ſunt ab honeſtate remota. Sunt noſtris moribus decora. Quod ad *Curtii* locum attinet, primo ſenſus idem redditur per contrarium, & loco nominis ponitur adverbium. In tertio & quarto commate, mutatur phraſis per Synonymiam. In quinto, fit variatio per contrarium, & nomen prius ad perſonam relatum, refertur nunc ad locum. In *Cornelio Nepote*, primo loco variatio fit priorum per Synonymiam; in ſequenti, per contrariũ; in tertio, per mutationem numeri & phraſeos; in quarto, per mutationem adjectivi, in ſubſtantivum; in quinto, per Synonymiam phraſeos; in ſexto, per contrarium; in ſeptimo per aliud contrarium, & mutationem ſubſtantivi in adjectivum.

III. Quintilianus l. 1. Inſtit. c. 9. *Diſcat puer verſus primo ſolvere; mox mutatis verbis interpretari; tum paraphraſi audacius vertere.* Tripliciter igitur, ex mente ejus, hæc inſtituitur exercitatio. Nam, vel ſuffecerit qualitercunque ſolvi verſus; vel mutatis vocabulis interpretari eos fas erit; vel, ut ipſe loquitur, paraphraſi audaciore verti poterunt. Hic autem cavendũ, ut omittatur numerus Poëtis proprius, ordo etiam verborum turbatior aliquanto in carminibus, ad evidentiam orationis proſæ, plus accommodetur. Deinde dictio vitanda, quæ Poëtis propria, & conſiſtit in audaciori vocabulorum compoſitione, figuris inſolentioribus, & cæteris hujusmodi. Eſt denique in ipſa rerum expoſitione aliquid poëticum, id eſt, grande,

ſublime, inuſitato ornatu cultum, variis fabularú velut tenebris involutum, & ad venerationem majeſtatemque compoſitum; quod ſolventi ſedulo vitandum, atque aliis cum judicio permutandum. Exemplum nobis ſuppeditat Cl. Morhofius, qui ex Horatii Libro 1. Epiſtolam 9. ad Claudium Neronem, quæ Commendatoria eſt, e ligato in ſolutum ſermonem convertit. Nempe Horatius ſcripſerat:

Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus,
Quanti me facias, nam quum rogat, & prece cogit
Scilicet, ut tibi ſe laudare, & tradere coner,
Dignum mente, domoque legentis honeſta Neronis,
Munere quum fungi propioris cenſet amici;
Quid poſſim videt, ac novit me valdius ipſo.
Multa quidem dixi, cur excuſatus abirem:
Sed timui, mea ne finxiſſe minora putarer,
Diſſimulator opis propriæ, mihi commodus uni.
Sic ego, majoris fugiens opprobria culpæ,
Frontis ad urbanæ deſcendi præmia. Quod ſi
Depoſitum laudas ob amici juſſa pudorem;
Scribe tui gregis hunc, & fortem crede bonumque.

Iſta ſic transformat Morhofius: *Quanti tu me facias, Claudi Nero, Septimius unus intelligit. Vehementer enim rogavit, precibusque ſuis quaſi coëgit, ut commendare ſe tibi ac tradere vellem, hominem nec ingenio tuo, nec domo tua, qui optimos eligere ſoles, indignum. Nam, quoniam me propiori tibi junctum amicitia cenſet, facile quid apud te efficere valeam, ac me ipſo quidem novit accuratius. Multa quidem cauſabar; ſed cum verendum mihi eſſet, ne data me opera extenuare amicitiam noſtram putaret, tui favoris meæque potentiæ diſſimulatorem, aut utilitatum amici incurioſum*

ſum,ut ſequi meas rectius poſſem,atque ita apud amicum in culpam incurrerem; perfricare frontem apud te malui, urbanorum more hominum,per impudentiam extorquens a te, quod modeſtia vel non poteram, vel non audebam. Quod ſi apud te violatæ modeſtiæ, amici cauſa, reus, non tamen vituperor, rogatum te peramanter velim,ut in domeſticorum tuorum numerum, hominem bonum, tibique ,ut ſpero,ad omnia obſequia promtiſſimum, recipere ne dedigneris.

IV. Quintilianus l. 10. c. 5. *Vertere Græca in Latinum veteres noſtri Oratores optimum judicant. Id ſe L. Craſſus in illis Ciceronis de Oratore libris,dicit factitaſſe. Id Cicero ſua ipſe perſona frequentiſſime præcipit; quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit,hoc genere translatos. Id Meſſallæ placuit, multæq; ſunt ab eo ſcriptæ ad hunc modum orationes.* Quia Ciceronis imprimis autoritate ſeſe tuetur Quintilianus,hic ipſe audiendus,cujus iſta ſunt in lib. de opt. gen. orat. *Converti ex Atticis duorum eloquentiſſimorum nobilisſimas orationes inter ſe contrarias, Æſchinis, Demoſthenisque :nec converti ut interpres,ſed ut Orator, ſententiis eisdem,& earũ formis tanquam figuris; verbis ad noſtram conſuetudinem aptis.* Eſt autem imprimis utile ac ſalutare hoc exercitationis genus; ſuppeditat enim proprietatem & ſplendorem verborum, ſubminiſtrat copiam figurarũ,conciliat vim explicandi,exacuit facultatem inveniendi ſimilia, denique intelligentiam & judicium, dum ſingula accuratius expendere cogimur, confirmat. Neque vero Græcanicæ tantum, ſed & alterius linguæ,tali ſucceſſu converſio inſtitui poteſt.

V. Macrobius Saturnal. l. 6. c. 1. *Hic eſt fructus legendi, æmulari ea, quæ in aliis probes, & quæ maxi-*

maxime inter aliorum dicta mireris, in aliquem uſum tuum opportuna derivatione convertere. Talem exercitationem inſtituet, qui, verbi cauſa, exemplo prælii inter Alexandrum & Darium, apud Curtium, aliud prælium deſcriberet; vel, qui ad modum Orationis Catilinariæ apud Salluſtium, quendā ſeditioſum loquentem introduceret. Sed verba rebus cum judicio, non res verbis accommodare oportet, quæq; aliena adhibentur, iis ſic utendum, ut non aliunde accepta, ſed ex ſuo depromta videantur. Nam, qui ſola verba anxie & ſolicite exquirunt, & in iis hærent, ii ſunt, qui ab Horatio *ſervum pecus* appellan[illegible] de alium imitaturus, cogitabit pr[illegible] ventione illius, diſpoſitioneque. [illegible] verba, figuras & ſententias atte[illegible] demum quantum argumenti diſſi[illegible] dit, per veſtigia ej[illegible] præceſſi[illegible] que, quod vulgo d[illegible] omnia i[illegible] & ſanguinem con[illegible] Pro exe[illegible] gilii locus, ex Lu[illegible] Macr[illegible] expreſſus. Lucr[illegible] it. l. [illegible]

Nec me animi fal[illegible] obſcu[illegible]
Percuſſit thyrſo la[illegible] ma me[illegible]
Et ſimul incuſſit ſu[illegible] ctus a[illegible]
Muſarum, quo nunc [illegible] te vi[illegible]
Avia Pieridum pera[illegible] ant[illegible]
Trita ſolo.

Hæc Virgilius eruditi[illegible]

Nec ſum animi dubius, v[illegible]
Quam ſit, & anguſtis hunc[illegible]
Sed me Parnaſſi deſerta per[illegible]

Raptat amor, juvat ire jugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.

Si conſideretur paulo attentius iſte Virgilii imitandi modus, apparebit, quanta induſtria ab eo fuerit adhibita. Primum enim verba *nec me animi fallit*, variat per ſynonymiam; deinde iſta, *quam ſint*, transponit in verſum ſequentem, quem per eandem ſynonymiam amplificat. Poſtea illa, *ſed acri percuſſit thyrſo*, quæ abſolvuntur vix tribus apud Lucretium verſibus, Virgilius cogit in unum, ſola inventione retenta, oratione vero immutata. Denique poſtrema, *avia Pieridum*, iterum ſynonymia variat, ac quod alter, *pedum veſtigiis*, id [illegible] *orbitis vehiculorum* declarat.

[illegible] Brevis ſententiæ explicationem per ratio[illegible] [illegible]uintilianus l. 1. c. 9. reponit inter exercitia [illegible], inquiens: *Sententiæ, & Chriæ, & E*[illegible] [illegible] *dictorum rationibus, apud Gramma*[illegible] [illegible] Facit præcipue hoc exercitium [illegible] judicii; docet declarare aptis [illegible] animi, atque ſic paulatim [illegible] Rhetorica.

[illegible] ius in Nobili triennio [illegible] ingerum: *Hoc impri*[illegible] [illegible] *commendo, ut juxta* [illegible] *ito ſtylo effodere.* [illegible] *endum animum* [illegible] *atione, quam* [illegible] *m vitam,* [illegible] *oo forte* [illegible] *rrata,* [illegible] *&* [illegible]

maxime inter aliorum dicta mireris, in aliquem uſum tuum opportuna derivatione convertere. Talem exercitationem inſtituet, qui, verbi cauſa, exemplo prælii inter Alexandrum & Darium, apud Curtium, aliud prælium deſcriberet; vel, qui ad modum Orationis Catilinariæ apud Salluſtium, quendã ſeditioſum loquentem introduceret. Sed verba rebus cum judicio, non res verbis accommodare oportet, quæq; aliena adhibentur, iis ſic utendum, ut non aliunde accepta, ſed ex ſuo depromta videantur. Nam, qui ſola verba anxie & ſolicite exquirunt, & in iis hærent, ii ſunt, qui ab Horatio *ſervum pecus* appellantur. Proinde alium imitaturus, cogitabit primum de inventione illius, diſpoſitioneque. Deinde ad ipſa verba, figuras & ſententias attendat; atque ſic demum quantum argumenti diſſimilitudo concedit, per veſtigia ejus qui præceſſit, ſequatur, atque, quod vulgo dicitur, omnia in ſuum ſuccum & ſanguinem convertat. Pro exemplo eſto Virgilii locus, ex Lucretio, ut Macrobius teſtatur, expreſſus. Lucretius ſic canit. l. 1.

Nec me animi fallit, quam ſint obſcura, ſed acri
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor,
Et ſimul incuſſit ſuavem mi in pectus amorem
Muſarum, quo nunc inſtinctus mente vigenti,
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo.

Hæc Virgilius eruditiſſima imitatione ſic effert:

Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere, magnum
Quam ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem:
Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis

Raptat

Raptat amor, juvat ire jugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.

Si conſideretur paulo attentius iſte Virgilii imitandi modus, apparebit, quanta induſtria ab eo fuerit adhibita. Primum enim verba, *nec me animi fallit*, variat per ſynonymiam; deinde iſta, *quam ſint*, transponit in verſum ſequentem, quem per eandem ſynonymiam amplificat. Poſtea illa, *ſed acri percuſſit thyrſo*, quæ abſolvuntur vix tribus apud Lucretium verſibus, Virgilius cogit in unum, ſola inventione retenta, oratione vero immutata. Denique poſtrema, *avia Pieridum*, iterum ſynonymia variat, ac quod alter, *pedum veſtigiis*, id ipſe, *orbitis vehiculorum* declarat.

VI. Brevis ſententiæ explicationem per rationes, Quintilianus l. 1. c. 9. reponit inter exercitia Grammatica, inquiens: *Sententiæ, & Chriæ, & Ethologia, ſubjectis dictorum rationibus, apud Grammaticos ſcribantur.* Facit præcipue hoc exercitium ad confirmationem judicii; docet declarare aptis & idoneis verbis ſenſa animi, atque ſic paulatim viam ſternit, ad exercitia Rhetorica.

VII. Arnoldus Clapmarius in Nobili triennio ſtudiorum, ad Volcardum Suingerum: *Hoc imprimis conſilio tibi epiſtolas Ciceronis commendo, ut juxta eas conſueſcas, animo cogitata, polito ſtylo effodere. Nam iis abſolutis, ſtatim te volo ad ſcribendum animum adjungere, ſive ad amicos, ſive etiam alia ratione, quam egomet olim in more habui, ut omnem tuam vitam, aliorum etiam actiones, conſcribas. Sicubi ego forte cœnam condixeram, poſtero die omnia geſta, narrata, eleganti, & quoad poſſem, terſo ſermone exarabam, & quicquid lepidi doctique occurrerat: ſed omnia ſine livo-*

maxime inter aliorum dicta mireris, in aliquem uſum tuum opportuna derivatione convertere. Talem exercitationem inſtituet, qui, verbi cauſa, exemplo prælii inter Alexandrum & Darium, apud Curtium, aliud prælium deſcriberet; vel, qui ad modum Orationis Catilinariæ apud Salluſtium, quendā ſeditioſum loquentem introduceret. Sed verba rebus cum judicio, non res verbis accommodare oportet, quæq; aliena adhibentur, iis ſic utendum, ut non aliunde accepta, ſed ex ſuo depromta videantur. Nam, qui ſola verba anxie & ſolicite exquirunt, & in iis hærent, ii ſunt, qui ab Horatio *ſervum pecus* appellantur. Proinde alium imitaturus, cogitabit primum de inventione illius, diſpoſitioneque. Deinde ad ipſa verba, figuras & ſententias attendat; atque ſic demum quantum argumenti diſſimilitudo concedit, per veſtigia ejus qui præceſſit, ſequatur, atque, quod vulgo dicitur, omnia in ſuum ſuccum & ſanguinem convertat. Pro exemplo eſto Virgilii locus, ex Lucretio, ut Macrobius teſtatur, expreſſus. Lucretius ſic canit. l. 1.

Nec me animi fallit, quam ſint obſcura, ſed acri
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor,
Et ſimul incuſſit ſuavem mi in pectus amorem
Muſarum, quo nunc inſtinctus mente vigenti,
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo.

Hæc Virgilius eruditiſſima imitatione ſic effert:
Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere, magnum
Quam ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem:
Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis

Raptat

Raptat amor, juvat ire jugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.

Si conſideretur paulo attentius iſte Virgilii imitandi modus, apparebit, quanta induſtria ab eo fuerit adhibita. Primum enim verba *nec me animi fallit*, variat per ſynonymiam; deinde iſta, *quam ſint*, transponit in verſum ſequentem, quem per eandem ſynonymiam amplificat. Poſtea illa, *ſed acri percuſſit thyrſo*, quæ abſolvuntur vix tribus apud Lucretium verſibus, Virgilius cogit in unum, ſola inventione retenta, oratione vero immutata. Denique poſtrema, *avia Pieridum*, iterum ſynonymia variat, ac quod alter, *pedum veſtigiis*, id ipſe, *orbitis vehiculorum* declarat.

VI. Brevis ſententiæ explicationem per rationes, Quintilianus l. 1. c. 9. reponit inter exercitia Grammatica, inquiens: *Sententiæ, & Chriæ, & Ethologia, ſubjectis dictorum rationibus, apud Grammaticos ſcribantur.* Facit præcipue hoc exercitium ad confirmationem judicii; docet declarare aptis & idoneis verbis ſenſa animi, atque ſic paulatim viam ſternit, ad exercitia Rhetorica.

VII. Arnoldus Clapmarius in Nobili triennio ſtudiorum, ad Volcardum Suingerum: *Hoc imprimis conſilio tibi epiſtolas Ciceronis commendo, ut juxta eas conſueſcas, animo cogitata, polito ſtylo effodere. Nam iis abſolutis, ſtatim te volo ad ſcribendum animum adjungere, ſive ad amicos, ſive etiam alia ratione, quam egomet olim in more habui, ut omnem tuam vitam, aliorum etiam actiones, conſcribas. Sicubi ego forte cœnam condixeram, poſtero die omnia geſta, narrata, eleganti, & quoad poſſem, terſo ſermone exarabam, & quicquid lepidi doctique occurrerat: ſed omnia ſine livo-*

maxime inter aliorum dicta mireris, in aliquem uſum tuum opportuna derivatione convertere. Talem exercitationem inſtituet, qui, verbi cauſa, exemplo prælii inter Alexandrum & Darium, apud Curtium, aliud prælium deſcriberet; vel, qui ad modum Orationis Catilinariæ apud Salluſtium, quendã ſeditioſum loquentem introduceret. Sed verba rebus cum judicio, non res verbis accommodare oportet, quæq; aliena adhibentur, iis ſic utendum, ut non aliunde accepta, ſed ex ſuo depromta videantur. Nam, qui ſola verba anxie & ſolicite exquirunt, & in iis hærent, ii ſunt, qui ab Horatio *ſervum pecus* appellantur. Proinde alium imitaturus, cogitabit primum de inventione illius, diſpoſitioneque. Deinde ad ipſa verba, figuras & ſententias attendat; atque ſic demum quantum argumenti diſſimilitudo concedit, per veſtigia ejus qui præceſſit, ſequatur, atque, quod vulgo dicitur, omnia in ſuum ſuccum & ſanguinem convertat. Pro exemplo eſto Virgilii locus, ex Lucretio, ut Macrobius teſtatur, expreſſus. Lucretius ſic canit. l. 1.

Nec me animi fallit, quam ſint obſcura, ſed acri
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor,
Et ſimul incuſſit ſuavem mi in pectus amorem
Muſarum, quo nunc inſtinctus mente vigenti,
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo.

Hæc Virgilius eruditiſſima imitatione ſic effert:
Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere, magnum
Quam ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem:
Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis

Raptat

Raptat amor, juvat ire jugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.

Si conſideretur paulo attentius iſte Virgilii imitandi modus, apparebit, quanta induſtria ab eo fuerit adhibita. Primum enim verba *nec me animi fallit*, variat per ſynonymiam; deinde iſta, *quam ſint*, transponit in verſum ſequentem, quem per eandem ſynonymiam amplificat. Poſtea illa, *ſed acri percuſſit thyrſo*, quæ abſolvuntur vix tribus apud Lucretium verſibus, Virgilius cogit in unum, ſola inventione retenta, oratione vero immutata. Denique poſtrema, *avia Pieridum*, iterum ſynonymia variat, ac quod alter, *pedum veſtigiis*, id ipſe, *orbitis vehiculorum* declarat.

VI. Brevis ſententiæ explicationem per rationes, Quintilianus l. 1. c. 9. reponit inter exercitia Grammatica, inquiens: *Sententiæ, & Chriæ, & Ethologia, ſubjectis dictorum rationibus, apud Grammaticos ſcribantur.* Facit præcipue hoc exercitium ad confirmationem judicii; docet declarare aptis & idoneis verbis ſenſa animi, atque ſic paulatim viam ſternit, ad exercitia Rhetorica.

VII. Arnoldus Clapmarius in Nobili triennio ſtudiorum, ad Volcardum Suingerum: *Hoc imprimis conſilio tibi epiſtolas Ciceronis commendo, ut juxta eas conſueſcas, animo cogitata, polito ſtylo effodere. Nam iis abſolutis, ſtatim te volo ad ſcribendum animum adjungere, ſive ad amicos, ſive etiam alia ratione, quam egomet olim in more habui, ut omnem tuam vitam, aliorum etiam actiones, conſcribas. Sicubi ego forte cœnam condixeram, poſtero die omnia geſta, narrata, eleganti, & quoad poſſem, terſo ſermone exarabam, & quicquid lepidi doctique occurrerat: ſed omnia ſine livo-*

maxime inter aliorum dicta mireris, in aliquem uſum tuum opportuna derivatione convertere. Talem exercitationem inſtituet, qui, verbi cauſa, exemplo prælii inter Alexandrum & Darium, apud Curtium, aliud prælium deſcriberet; vel, qui ad modum Orationis Catilinariæ apud Salluſtium, quendã ſeditioſum loquentem introduceret. Sed verba rebus cum judicio, non res verbis accommodare oportet, quæq; aliena adhibentur, iis ſic utendum, ut non aliunde accepta, ſed ex ſuo depromta videantur. Nam, qui ſola verba anxie & ſolicite exquirunt, & in iis hærent, ii ſunt, qui ab Horatio *ſervum pecus* appellantur. Proinde alium imitaturus, cogitabit primum de inventione illius, diſpoſitioneque. Deinde ad ipſa verba, figuras & ſententias attendat; atque ſic demum quantum argumenti diſſimilitudo concedit, per veſtigia ejus qui præceſſit, ſequatur, atque, quod vulgo dicitur, omnia in ſuum ſuccum & ſanguinem convertat. Pro exemplo eſto Virgilii locus, ex Lucretio, ut Macrobius teſtatur, expreſſus. Lucretius ſic canit. l. 1.

Nec me animi fallit, quam ſint obſcura, ſed acri
Percuſſit thyrſo laudis ſpes magna meum cor,
Et ſimul incuſſit ſuavem mi in pectus amorem
Muſarum, quo nunc inſtinctus mente vigenti,
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo.

Hæc Virgilius eruditiſſima imitatione ſic effert:
Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere, magnum
Quam ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem:
Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis

Raptat

Raptat amor, juvat ire jugis, qua nulla priorum
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.

Si conſideretur paulo attentius iſte Virgilii imitandi modus, apparebit, quanta induſtria ab eo fuerit adhibita. Primum enim verba *nec me animi fallit*, variat per ſynonymiam; deinde iſta, *quam ſint*, transponit in verſum ſequentem, quem per eandem ſynonymiam amplificat. Poſtea illa, *ſed acri percuſſit thyrſo*, quæ abſolvuntur vix tribus apud Lucretium verſibus, Virgilius cogit in unum, ſola inventione retenta, oratione vero immutata. Denique poſtrema, *avia Pieridum*, iterum ſynonymia variat, ac quod alter, *pedum veſtigiis*, id ipſe, *orbitis vehiculorum* declarat.

VI. Brevis ſententiæ explicationem per rationes, Quintilianus l. 1. c. 9. reponit inter exercitia Grammatica, inquiens: *Sententiæ, & Chriæ, & Ethologia, ſubjectis dictorum rationibus, apud Grammaticos ſcribantur.* Facit præcipue hoc exercitium ad confirmationem judicii; docet declarare aptis & idoneis verbis ſenſa animi, atque ſic paulatim viam ſternit, ad exercitia Rhetorica.

VII. Arnoldus Clapmarius in Nobili triennio ſtudiorum, ad Volcardum Suingerum: *Hoc imprimis conſilio tibi epiſtolas Ciceronis commendo, ut juxta eas conſueſcas, animo cogitata, polito ſtylo effodere. Nam iis abſolutis, ſtatim te volo ad ſcribendum animum adjungere, ſive ad amicos, ſive etiam alia ratione, quam egomet olim in more habui, ut omnem tuam vitam, aliorum etiam actiones, conſcribas. Sicubi ego forte cœnam condixeram, poſtero die omnia geſta, narrata, eleganti, & quoad poſſem, terſo ſermone exarabam, & quicquid lepidi doctique occurrerat: ſed omnia ſine livo-*

re annotabam, more Athenæi, Platonis, etiam Ciceronis, & aliorum. Id quod mihi, incredibile eſt, quanto uſui fuerit.

Quæ ſunt Exercitationes Rhetoricæ?

Exercitationes Rhetoricæ ſunt vel Progymnasmata, ſive, ut Priſcianus vocat, Præexercitamenta, vel Declamationes.

Quæ vocant Rhetores Progymnaſmata?

Progymnasmata Rhetores vocant, Narrationem ſive falſam, ſive veram : Deſcriptiones locorum, perſonarum, rerum: Amplificationem vel Coarctationem : Paraphraſin : Chriam : Confirmationem : Deſtructionem : Epiſtolam : Dialogum : nec non Laudem vel Vituperium: Comparationem : Theſin: ac denique Proſopoeïam, quam Latini Conformationem vocant.

Quid eſt Narratio?

Narratio eſt, qua res geſtæ, vel quaſi geſtæ, exponuntur.

Quintilianus, cum Fabulam conceſſiſſet Grammaticis, Rhetorem ab Hiſtoriola vult auſpicari. *Apud Rhetorem*, ait, *initium ſit hiſtoria, tanto robuſtior, quanto verior.* Per Hiſtoriam vero intelligit, non abſolutum & perfectum quoddam opus, ſed rei alicujus geſtæ, ut eſt geſta, dilucidam & ſuavem expoſitionem. Fructus præcipuus eſt in eo, quod hæc exercitatio tribuit rerum copiam, & ſermonem verbaque ad varietatem ac naturam rerum accommodare docet. Exemplum ſim-

ſimplicioris Narrationis ſuppeditat Cicero l. 3. Offic. fraudem qua Pythius argentarius C. Canium decepit, ſic elegantiſſime ediſſerens: *C. Canius Eques Romanus; homo nec infacetus, & ſatis literatus, cum Syracuſas otiandi cauſa, non negotiandi, ut ipſe dicere ſolebat, ſe contuliſſet, dictabat ſe hortulos aliquos emere velle, quo invitaret amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellationibus poſſet. Quod, cum percrebuiſſet, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracuſis, dixit, venales quidem ſe hortos non habere, ſed licere uti Canio, ſi vellet, ut ſuis. Et ſimul ad cœnam hominem in hortos invitavit, in poſterum diem. Cumque ille promiſiſſet, tum Pythius, ut argentarius, qui eſſet apud omnes ordines gratioſus, piſcatores ad ſe convocavit, & ab iis petivit, ut ante ſuos hortulos poſtridie piſcarentur, dixitq; quid eos facere vellet. Ad cœnam venit Canius, erat opipare a Pythio apparatum convivium. Cymbarũ ante hortulos multitudo: pro ſe quisq; quod ceperat, adferebat; ante pedes Pythii piſces projicebantur. Tum Canius: Quæſo, inquit, quid eſt Pythi? tantumne piſcium? tantumne cymbarum? Et ille; quid mirum? inquit, hoc loco eſt, Syracuſis quicquid eſt piſcium; hic aquatio, hac villa iſti carere non poſſunt. Incenſus Canius cupiditate, contendit a Pythio, ut venderet: gravatur ille primo. Quid multa? impetrat. Emit homo cupidus & locuples, tanti, quanti Pythius voluit, & emit inſtructos, nomina facit, negotium conficit. Invitat Canius poſtera die familiares ſuos, venit ipſe maturus, ſcalmum nullum videt. Quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piſcatorum eſſent, quod eos nullos videret? Nullæ, quod ſciam, ille inquit, ſed hic piſcari nulli ſolent. Itaque mirabar heri, quid accidiſſet. Stomachari cœpit Canius. Sed, quid faceret?*

Quid eſt Deſcriptio?

Deſcriptio eſt, quæ perſpicue ſubjicit oculis id, quod cognoſci volumus.

Hoc genus exercitii eſt jucundiſſimum, & ad ſplendorem orationis, pulchritudinemque plurimum confert. Deſcribuntur autem fere, Res, Tempora, Perſonæ, Loca: atque opera hic danda eſt, ut exæquetur dignitati rerum, ſtyli ratio, & ut omnino imitemur res, quas deſcribimus. Operæ pretium eſt videre, quam ſcite Apulejus in Floridis, nobis Hippiam Sophiſtam expreſſerit: *Plura mea extant in Camœnis, quam Hippiæ in opificiis opera. Quid iſtud ſit animo attendatis: diligentius & accuratius diſputabo. Is Hippias e numero Sophiſtarum eſt, artium multitudine prior omnibus, eloquentia nulli ſecundus. Ætas illi cum Socrate, patria & genus ignoratur, gloria vero magna, fortuna modica; ſed ingenium nobile, memoria excellens, ſtudia varia, æmuli multi. Venit Hippias iſte quondam certamine Olympio Piſam, non minus cultu viſendus, quam elobaratu mirandus. Omnia ſecum quæ habebat, nihil eorum emerat, ſed ſuis ſibi manibus confecerat: & indumenta quibus indutus, & calceamenta quibus erat inductus, & geſtamina quibus erat conſpicuus. Habebat indutui ad corpus tunicam interulam, tenuiſſimo textu, triplici licio, purpura duplici. Ipſe eam ſibi ſolus domi texuerat. Habebat cinctui baltheum: quod genus, pictura Babylonica miris coloribus variegatum. Nec in hac eum opera quisquam adjuverat. Habebat amictui pallium candidum, quod ſuperne circumjecerat. Id quoque pallium comperitur ipſius laborem fuiſſe. Etiam pedum tegumenta crepidas ſibi compegerat, & an-*

annulum in læva aureum, faberrimo ſignaculo, quem oſtentabat, ipſe ejus annuli, & orbiculum circulaverat, & palam clauſerat, & gemmam inſculpſerat. Nondum ejus omnia commemoravi. Etenim, non pigebit me commemorare, quod illum non puditum eſt oſtentare: qui magno in cœtu prædicavit, fabricatum ſemet ſibi ampullam quoque oleariam quam geſtabat, lenticulari forma, tereti ambitu, preſſula rotunditate: juxtaque honeſtam ſtrigileculam, recta faſtigiatione clauſulæ, flexa tubulatione ligulæ, ut & ipſa in manu capulo moraretur, & ſudor ex ea rivulo laberetur. Quis autem non laudabit hominem tam numeroſa arte multiſcium? tam jugi ſcientia magnificum? tot utenſilium peritia Dædalum? Miranda prorſus eſt apud Virgilium l. 1. Æn. Tempeſtatis deſcriptio, & inter ſingularia ejus Poëtæ artificia numeranda, tali verborum conceptione:

—— Venti velut agmine facto,
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Vna Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad littora fluctus.
Inſequitur clamorque virûm, ſtridorque rudentum.
Eripiunt ſubito nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis: Ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther:
Præſentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra:
Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Trojæ ſub mœnibus altis,
Contigit oppetere. ——
Talia jactanti, ſtridens Aquilone procella,

Velum

Velum adverſa ferit fluctusque ad ſidera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit, & undis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi ſummo in fluctu pendent; his unda dehiſcens,
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet,
—— —— tres Eurus ab alto
In brevia & Syrteis urget, (miſerabile viſu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Vnam quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens a vertice Pontus
In puppim ferit: excutitur, pronusque magiſter
Volvitur in caput: aſt illum ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vor-
Apparent rari nantes in gurgite vaſto, (tex.
Arma virûm, tabulæque, & Troïa gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, & qua grandævus Alethes,
Vicit hyems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiſcunt.

Ecce, quam egregie, ad veritatem rei, omnia oculis ſubjiciantur. Jam primum cuncta plena ſunt tumultus. Miſcentur venti, fluctus, clamor hominum, fragor navigiorum, uti ſolet in periculo & magno, & improviſo. Deinde eſt in tota oratione horror, & ſtridor; unde vis ventorum, & fluctuum inter ſe pugnantium concurſus, & navigiorum fragores, velut auribus percipiuntur. Quam autem miſerabilis eſt iſta navium jactatio, diſperſio, ſolutio; & tabularum hominumque mixtim fluitantium lamentabile ſpectaculum.

Quid

Quid eſt Amplificatio?

Amplificatio, eſt argumenti unius accuratior, clarior, ac prolixior tractatio, vel expoſitio.

Amplificatio conſiſtit & in Rebus, & in Verbis. Ad Res pertinet tractatio locorum ab antecedentibus, cauſis, partibus, adjunctis, item ſimilibus, oppoſitis, exemplis, teſtimoniis. Ad verba vero ſpectant Figuræ evidentiæ, hypotypoſeos, elevationis, congeriei, correctionis, & ejusmodi. Id omnino diligenter obſervandum, primo, non omnia amplificationem admittere, ſed eſſe quædam natura ſua tam exilia, ut amplificando lacerentur potius, quam augeantur. Deinde, nec illos ipſos locos aut Figuras, quas Rhetores commemorant, in amplificatione quavis omnes eſſe neceſſarias aut utiles. Sæpe unius tantum, ſæpe duarum aut trium, aliquando tamen & omnium, in argumento uno rationem haberi poſſe. Quare adhibendum hic judicium, quo diſcernatur cum cura, quid materiæ natura indolesque, quam amplificare ſuſcepimus, quid ratio temporis, ingenium auditoris, aut illius, cujus gratia ſcribitur, vel admittant, vel requirant. Nimirum, nullum vitium magis a vera germanaq; eloquentia alienum, quam inepta & puerilis amplificatio, rerum & ſententiarum inanis, vanoque ſtrepitu verborum intemperantius laſciviens, ac de qua, poſtquam diu te fatigavit, tandem cogeris illud Laconicum pronunciare: *Nihil es præter vocem.* Luculentum exemplum Amplificationis depromere licet ex lib. 5. Tuſculanarum Ciceronis. Ibi, cum propo-

ſuis-

ſuiſſet dicere : *Philoſophiam eſſe rem optimam , ac utiliſſimam :* id ſic diffundit copioſiori oratione: *O vitæ Philoſophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum ! quid non modo nos, ſed omnium vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu urbes peperiſti: diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti : tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis , tum literarum & vocum communione junxiſti : tu inventrix legum : tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti. Ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos totos tradimus. Eſt autem unus dies, bene & ex præceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus. Cujus igitur potius opibus utamur, quam tuis? quæ & vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis ſuſtuliſti?* Liquet, non omnes locos hic adhibere Ciceronem, quibus potuiſſet uti, ſed optimos, propoſitoque aptiſſimos. Incipit enim *a loco definitionum conglobatarum*, qui multum facit ad pompam & ornatum. Deinde definitiones non quasvis hic affert, ſed quæ utilitatem Philoſophiæ in univerſum demonſtrant, de qua hic agebatur. Retinet denique modum, nec ad ſupervacua & inania dilabitur, quod præcipue hic obſervandum. Ab iſto loco accedit *ad locum effectorum*, quem pulchre tractat, primum *per remotionem. Quid*, inquit, *ſine te vita hominum eſſe potuiſſet?* Figura interrogationis multum hic ad gravitatem aſſertionis facit. Subdit mox poſitionem, eamque explicat per ſingularum partium commemorationem. Tu, ait, *urbes peperiſti*, & quæ ſequuntur. Accedit denique *locus conſequentium.* Ex eo enim depromta ſunt iſta: *Ad te confugimus*, & cætera. Quæ omnia gravitatis plena, ob ea, quæ prorſus ſententioſe ubiq; proferuntur.

Suc-

Succedit exemplum dilatationis periodicæ ex Cl. Morhofii Polyhiſtore, circa verba Ciceronis Epiſt. 11. l. 5. Familiar.

Grata tibi eſſe officia mea non miror; cognovi enim te gratiſſimum omnium; idque nunquam deſtiti prædicare: nec enim tu mihi gratiam modo habuiſti, verum etiam cumulatiſſime retuliſti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me ſtudio erga te, & eadem voluntate cognoſces.

Reſolvitur in has propoſitiones. 1. Grata tibi fuerunt officia mea. 2. Id ego non miror. 3. Es enim homo gratus 4. Quod multis rebus cognovi. 5. illud ſemper prædicavi. 6. Non enim tantum gratiam habuiſti. 7. Sed & retuliſti. 8. Invenies me eundem erga te. 9. In officiis atque rebus omnibus.

Deductio. 1. *Tam effuſa in me tua eſt humanitas, longeque excelſior, quam in te mea, ut omnia, quæ a me proficiſcuntur officia, utut parva ſint & exigua, non modo verbis in majus extollas, ſed omni genere officiorum non exæquare tantum, ſed omni opera ſuperare contendas.*

2. *Tu quidem illud ſolenne tuum ſervas, qui, quos induiſti a tenera ætate ab optimis Doctoribus mores, ita ſemper excoluiſti, ut nunquam ab illis deſciſceres: quo minus mirum mihi viſum eſt nunc, cum plane non exſpectarem, & nulla mea in te tanti eſſent merita, tantum gratiarum reponi.*

3. *Tantum apud te grati animi fidelis memoria valet, ut vitam tibi ipſam acerbam putes, niſi pietate, comitate, fide, ſtudiisque omnibus erga amicos, notos, ignotos, illuſtraveris.*

4. *Annales quosdam virtutum rerumque tuarum texere mihi viderer, ſi, quæ tu dediſti, grati animi documen*

cumenta maxima, percenſere numerando vellim. Nam profectò infinitum hoc eſſet, neque exigua poſſet epiſtola comprehendi.

5. Nulla mihi dies abit, quin ob oculos illa mihi verſentur, in animis hæreant; idque beneficiorum tuorum memoria efficit, ut cùm te in oculis etiam abſentem feram, illa mihi ſemper in ore ſint & ſermonibus, & erga omnes illa deprædicem & extollam.

6. Longe tu ſemper abſuiſti ab illorum moribus, qui cum opere ipſo ſtrigoſi ſunt & parci, verbis tamen copioſi gratias, quas re ipſa non præſtant, lingua ſemper circumferunt, vel etiam muſſitant illa, & ſilentio ſepulta conſervant.

7. Tantum vero abeſt, ut in amicorum officiis quicquam tibi exiſtimes diſſimulandum, ut potius non verbis tantum illa omnia mirifice ornes & augeas, ſed pro plumbeis & æneis beneficiis, plusquam Diomedæa permutatione, aurea reponas.

8. Quæ tua tam præclara & aurea beneficia, ſi ferrea fronte exciperem, homo eſſem omnium ignariſſimus & ingratiſſimus. Ego vero illa non ſolum libere agnoſco & deprædico, ſed &, quoad ejus fieri poteſt, paria paribus reſpondebo.

9. Quare ne minimam quidem cauſam & occaſionem prætermittam, qua tibi inſerviam, omnemque vel officii umbram & ſpeciem, quæ mihi oſtenditur, arripiam: imo omnia, quæ in poteſtate mea ſunt, & me ipſum cum omnibus, quæ a me proficiſci poſſunt, officiis, ſtudiis, beneficiis tibi tradam.

Quid eſt Coarctatio?

Coarctatio, eſt eorum, quæ cum ambitu ſunt dicta, brevis quædam, preſſa, & ſuccincta expoſitio.

Vti-

Vtiliſſimum eſt hoc Exercitationis genus, Veteribusque valde notum & probatum. Videlicet, non minus aliquando neceſſarium, paucis includere multa, quam in multum verborum ambitum pauca amplificare. Nec ad Styli facultatem tantum, ſed & reliqua ſtudia plurimum conducit; quotiens excerpendum quid, quotiens quod integris ſæpe voluminibus continetur, in paucarum pagellarum breviarium contrahendum eſt. Tractationis ratio, ex iis quæ de Amplificatione dicta, intelligi poteſt. Qua namque ratione quid augetur, ea ſimili, ſed contraria ratione, in breviarium contrahitur. Interim judicio hic vel præcipue opus eſt, ne quid ponatur, omittaturve, quod omitti, vel poni non debet, aut neceſſe eſt. Habemus apud Veteres breviariorum iſtiusmodi exempla, in compendio Juſtini, quo XLIV. Trogi Volumina continentur; item Xiphilini, quo ampliſſima Dionis Caſſii Hiſtoria eſt expreſſa. Dionyſius Halicarnaſſenſis, ipſe ſui operis, quod libros continet XX. compendium ſcripſit, quinq; libris abſolutum. Nec in hiſtoricis tantum præivere nobis induſtria priſci, ſed & cæteris diſciplinis artibusque. Theophraſtus epitomen Platonis ſcripſit de Republica. Oribaſius, medicus inſignis, integrum Galenum prius juſto opere expoſitum, rurſum ipſe contraxit in exiguum breviarium.

Quid eſt Paraphraſis?

Paraphraſis eſt locorum operumq; obſcuriorum, verbis aliis pluribusque continua velut explicatio.

Vſum potiſſimum habet Paraphraſis, in iis quæ obſcurius dicta ſunt; illa enim quæ per ſe clara, & facilia intellectu, paraphraſi diducere, abutentis eſt & ſuo otio, & alieno. Non autem Paraphraſeos eadem eſt ubique ratio. Alia namque prolixior, alia brevior & adſtrictior. Illa fit, cum ſenſus Scriptoris per adductas ex locis omnibus cauſas circumſtantiasque explicatur: hæc, cum ea tantum, quæ peculiariter & præcipue ad intellectum faciunt, adducuntur. Occupat ſe autem tractatio hæc maxime circa Res, & circa Verba. Nam, cum obſcuritas omnis, cujus remedium Paraphraſis eſſe debet, a duobus iſtis proveniat, & Rebus quidem, ſi abſtruſiores ſubtilioresque ſint: Verbis, ſi remotiora ab uſu, vel ob compoſitionem cum aliis intellectu difficilia deprehendantur, iſtis duobus paraphraſin remedium afferre debere, dubio caret. Cæterum, in verbis quidem id peculiariter obſervandum eſt, primum ut obſcuriora & ab uſu remotiora immutentur clarioribus & notioribus. Deinde, ut figurata, vel ad imitationem ſermonis peregrini expreſſa, reddantur ſimplicioribus. Tertio, ut brevitate ſua obſcura, copia majore illuſtrentur. Quarto, ut ornatus interdum gratia omiſſa, expleantur. Quinto, ut in toto opere obſcurius cohærentia, per inſertionem vocum connexivarum, idoneasque tranſitiones, inter ſe connectantur, atque ita operis totius ſeries per omnes partes probe declaretur. Exemplum Paraphraſeos eſto illa, quatenus *Theodorus Marcilius* Profeſſor Eloquentiæ Regius Lutetiæ, capiti primo perdifficilis libelli Tertulliani de Pallio, lucem fœnerari ſtuduit. Etſi enim fortaſſe deſiderari ali-

aliqua in ea poſſunt, tum in rebus ipſis, tum & circa dictionis & connexionum habitudinem: tamen illud præſtat, quod paraphraſeos munus eſt, ut nimirum obſcura quæ ſunt, illuſtret, idq; preſſo gradu incedendo per veſtigia Tertulliani, & verba ejus retinendo, quod alii Paraphraſtæ non faciunt. Sic autem ipſe Marcilius primo nudum Tertulliani textum nobis exhibet, ſed à cujus lectione, in paraphraſi poſtea frequenter admodum diſcedit:

Principes ſemper Africæ, Viri Carthaginienſes, vetuſtate nobiles, novitate felices: gaudeo vos tam proſperos temporum, cum ita vacat ac juvat, habitus denotare pacis: hæc & annona & ocia, ab imperio & à cœlo. Bene eſt, tamen & vobis habitus aliter olim tunicæ fuêre, & quidem in fama de ſubteminis ſtudio, & luminis conſilio, & menſuræ temperamento, quod neque trans crura prodige, nec intra genua inverecunde, nec brachiis parce, nec manibus arcte, ſed nec cingulo ſinus dividente, expedita atque quadrata inſtita. In viris autem, pallii extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus, ab utroque laterum regeſtus, & cervicibus circumſtrictus, in fibulæ morſu humeris acquieſcebat: inſtar ejus hodie Æſculapio jam veſtro ſacerdotium eſt. Sic in proximo ſoror civitas veſtiebat, & ſicubi alibi in Africa Tyros: at cum ſecularium ſortium domina Fortuna, & Romanis Deus maluit, ſoror quidem civitas, ſuopte arbitrio mutare properavit, ut adpulſum Scipionem ante jam de habitu ſalutaret Romana præcoqua. Vobis vero poſt injuriæ beneficium, ut ſenium non faſtidium exemptis: poſt Gracchi obſcœna omina: & Lepidi violenta ludibria: poſt

trinas Pompeji aras: & longas Cæſaris moras: ubi mœnia Statilius Taurus impoſuit: ſolennia Sentius Saturninus enarravit: cum concordia juvat, toga oblata eſt. Pro! quantum circummeavit, a Pelaſgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos, ut ab humeris ſublimioris populi Carthaginienſes complecteretur. Exinde tunicam longiorem, cinctu arbitrante, ſuſpenditis, & pallii jam teretis redundantiam, tabulata congregatione fulcitis: & ſi quid præterea conditio vel dignitas, vel temporalitas veſtit. Pallium tamen generaliter veſtrum, immemores, etiam denotatis: equidem haud miror præ documento ſuperiore. Nam & arietem (non quem Laberius reciprocicornem, & lanicutem, & teſtitrahum, ſed trabes machina eſt, quæ muros frangere militat) nemini unquam adhuc libratum, illa dicitur Carthago, *ſtudiis aſperrima belli*, prima omnium armaſſe in oſcillum penduli impetus: commentata vim tormenti, de bile pecoris capite vindicantis. Cum tamen ultimarent tempora patriæ, & aries jam Romanus in muros quondam ſuos auderet: ſtupuere illico Carthaginienſes, ut novum extraneum ingenium.

Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas.

Sic denique nec pallium agnoſcitur.

Sequitur Paraphraſis:

Viri Carthaginienſes, *cives Romani coloni novi Carthaginis*, Principes *ordine dignitatis*, Africæ *proconſularis provinciæ*, ſemper, *etſi a Romanis diruta urbs veſtra olim, & quanquam æmula veſtra Utica, principatum veſtrum, ſive primum locum occupare voluit, tamen hodieque principes ſive primi*, vetuſtate, *qua Romanos ipſos vincitis*, nobiles *ſive nobilitati*, novitate *deductione coloniæ novæ ab Octaviano Cæſare*,

feli-

felices: gaudeo,*gratulor vobis*, *quod* habitus pacis toga, vos denotare *vos denotat*, *ſive quaſi adpoſita nota indicat*,tam proſperos temporum,*tam proſpero frui tempore,ut togati ſitis*,cum *& gaudeo ſive gratulor,cum* ita vacat,*ſive vacuum vobis tempus a bellis*, & juvat, *& ita jucundum vobis tempus ex indulgentia principum.* Hæc & annona *annonæ copia, quam erogant vobis Severus, Baſſianus, Geta, A.A.A.* & *hæc* otia,*ſecuritas ſive vita urbana & quieta*,ab imperio, *ab Imperatoribus eſt*, & a cœlo.

Bene eſt,*bene habet,quod jam togati eſtis, non autem ut olim palliati*,tamen & *etiam*, vobis olim, *antequam coloni Romani eſſetis*, tunicæ fuere, *non Romanæ ut hodie,ſed Punicæ*, in fama *in laude*, de ſubteminis ſtudio,*quod eſſent ſtudioſe ſive artite ac tenui filo laneo detextæ*, & luminis *purpuræ* conſilio, *quaſi habito conſilio, & dilectu;ut lumnoſiſſima purpura tinctæ eſſent*,& menſuræ temperamento,*quod menſura juſta ſive mediocri eſſent*, quod, *eo quod*, neque trans crura prodigæ,*nimium demiſſæ*,nec intra, *ſupra*, genua inverecundæ, *non ſat tegentes ea, quæ natura tegi voluit*, nec brachiis parcæ, *neque brachia ſtricte veſtientes,ſed manicis ad brachia, tanquam alis demiſſis*,nec manibus artæ, *non artantes ſive arcte veſtientes, ubi manus junguntur brachiis, ſive ad internodia, quæ Græcis* καρποὶ χειρῶν,ſed nec cingulo dividente expeditæ, *nec cinctu diviſæ, ſive in pectore ſuccinctæ,ut eſſent expeditiores*, atque *ac neque cum* quadrata inſtita,*faſcia lata, purpurea oram tunicæ quadratæ ambiente.*

In viris autem *veſtris*,pallii extrinſecus,*ſuper interulam ſive tunicam* habitus, *amictus*, & *etiam* ipſe, *quemadmodum tunicæ*,quadrangulus, *quadratus*, ab

utroque laterum, *dextro lævoque* regeſtus, *circumcirca remeans*, & cervicibus circumſtructus, *ambiens cervicem*(peccant, qui legunt *circumſtrictus, nam,ut ipſe, c.5. dicturus eſt, pallio nihil circumſtringitur,*) in fibulæ morſu, *morſu fibulæ, ſive nexu mordentis fibulæ*, humeris acquieſcebat, *ex humeris pendebat*; inſtar ejus, *ad exemplum ejus*, jam *etiam hodie*, Æſculapio veſtro, *Æſculapii veſtri*, ſacerdotium, *ſacerdotibus* eſt, *nempe pallium*. Sic in proximo *vicina vobis, & in conſpectu*, ſoror *etiam ipſa, ut tu, colonia Tyriorum*, civitas *Vtica* veſtiebat, *veſtiebatur, nempe tunica Punica, & pallio quadrato*, & ſicubi alibi in Africa, *provincia* Tyros, *Tyriorum aliqua colonia, nempe Adrymetum*. At cum ſecularium ſortium domina Fortuna, *quæ ſortes rerum humanarum verſat*, & Deus, *dominæ Fortunæ dominus*, Romanis maluit *factum eſſe, ſive magis favit*, ſoror quidem *veſtra* civitas *Vtica*, ſuopte arbitrio, *ultro* mutare *tunicam Carthaginienſem Romana, & palliam toga* properavit, *antequam ei offerretur*, ut adpulſum *in Africam* Scipionem *Æmilianum miſſum ad bellum Punicum* III. ante jam *antequam haberet jus coloniæ*, habitu *Romano, ſive togata* ſalutaret, Romana præcoqua, *ante tempus facta juris Romani*: vobis vero, *Carthaginienſes*, toga oblata eſt, *cum jure civitatis Romanæ & coloniæ*, poſt injuriæ, *exſcidii urbis veſtræ* beneficium, *quod in beneficii loco ducendum eſt vobis, quia profuit*, ut *quippe* exemtis *exſutis illo exſcidio*, ſenium *ſenectutem, ſed* non faſtigium, *principatum Africæ, &* poſt *C. Sempronii* Gracchi *tribuni pl. deducentis vobis coloniam Junoniam*, obſcœna omina, *auſpicia inauſpicata*; & poſt trinas Pompeii aras, *tres triumphos*, & poſt Lepidi violenta ludibria, *depopula-*

tionem qua inluſit coloniæ veſtræ novæ, & Octaviano Cæſari, & poſt longas *annorum XVI.* Cæſaris *Octaviani* moras, *in deductione veſtræ coloniæ,* ubi *& poſtquam* Statilius Taurus , *miſſus a Cæſare Octaviano* mœnia impoſuit, *mœnibus cinxit partem illam coloniæ veſtræ, quam M. Lepidus diruerat, & poſtquam* ſollennia, *ritus deducendæ coloniæ ſollennes,* Sentius Saturninus *Augur* enarravit, *præivit, docuit,* cum *quo tempore,* concordia *pax toto orbe Romano cluſo Jano Gemino, & condito Salutis augurio,* juvat, *jucunda fuit.*

Pro *Superi !* quantum *terrarum* circummeavit *toga prius quam ad vos perveniret:* a Pelaſgis *Arcadibus* ad Lydos *Aſiæ minoris populos,* a Lydis ad Romanos *commeavit,* ut ab humeris *quos veſtiebat,* ſublimioris *rerum potientis,* populi *Romani* , Carthaginienſes complecteretur *eos veſtiens.* Exinde, *ab eo tempore,* tunicam longiorem *Romanicam* , *Carthaginienſe longiorem,* cinctu arbitrante, *faciente ne longa nimium aut brevis ſit,* ſuſpenditis, *ne pedes implicet,* & pallii *veſtri,* jam teretis *rotundi, non ut olim quadranguli,* redundantiam, *nimiam laxitatem,* tabulata congregatione *multitudine tabularum ſive tiliarum,* fulcitis, *ſuſtentatis, ne indecenter fluctuet* , & *ſimiliter fulcitis,* ſi quid præterea veſtit, *veſtiri cogit* conditio *genus vitæ,* vel dignitas, *ut magiſtratus,* vel temporalitas, *varietas temporum, ut belli, pacis, funeris, nuptiarum, feſtorum, ludorum.*

Tamen *etſi palliati olim ipſi fuiſtis hodieque ſubinde eſtis,* pallium generaliter veſtrum *ſive quod populariter vobis in uſu,* etiam denotatis, *ceu probrum Chriſtianis objicitis,* Immemores *pallii uſum veſtrum eſſe.* Equidem *& quidem* haud miror, *vos eſſe immemores hujuſce rei,* præ documento ſuperiore,

cum aliud etiam ſuperius ſive fortius ſit argumentum veſtræ oblivionis. Nam & arietem (non quem Laberius *mimographus*, reciprocicornem *cornibus reciprocis præditum*, & lanicutem, *cute lanata*, & teſtitrahum, *teſticulos grandes trahentem quaſi onus*, vocat: ſed trabes machina eſt *belli*, quæ militat, *cujus militia ſive munus eſt*, muros *hoſtiles* frangere *ſubruere*) nemini *a nemine* unquam adhuc *antea* libratum, *libratione mœnibus inliſum*, illa *famoſiſſima* dicitur Carthago, ſtudiis *artibus* belli aſperrima, *in hoſtes*, prima omnium armaſſe *inſtruxiſſe*, in oſcillum, *ad oſcillationem ſive librationem* penduli impetus, *ſuſpenſos impetus facientem in muros*, commentata *Carthago ſive cogitando mutuata* vim tormenti *machinæ bellicæ*, de bile, *ab ira* pecoris *arietis* capite *cornuto* vindicantis *ſe*. Cum tamen ultimarent, *ultima jam eſſent* tempora patriæ *meæ Carthaginis*, & aries *belli* jam Romanus, *a Romanis jam uſurpatus, pro ſuo* in muros *Carthaginienſes* quondam ſuos *intra quos inventus ille olim*, auderet *impetum facere, admoventibus eum Romanis*, ſtupuere illico *Carthaginienſes*, ut novum, *quaſi non jam olim ſuam*, extraneum *& quaſi extraneam ſive exoticam ſive Romanam*, ingenium, *machinam*. Tantum valet, *poteſt mutare faciem rerum*, longinqua, *longa* ævi *temporum* vetuſtas. Denique *ut finem faciam*, ſic *quemadmodum aries tunc agnitus non eſt pro machina Carthaginienſi*, nec pallium *quadrangulum hodie a vobis* agnoſcitur.

Quid eſt Chria?

Chria, quam Latine Sententiam vocant, eſt brevis facti aut dicti alicujus, quod pro-

deſſe

deſſe in inſtituenda vita poteſt, comemoratio, cum ſuccincta rationum expoſitione.

Chriam Priſcianus reddit *Vſum*, quia talem in vita præbet ſplendidiorem. Notiſſimum eſt hoc Exercitationis genus, ſed in quo nemo feliciter verſabitur, niſi qui jam proba Philoſophiæ jecerit fundamenta, Hiſtoriæ præterea ſit peritus. Debet enim expoſitio iſta nonnunquam rationibus, nonnunquam exemplis, nonnunquam teſtimoniis, nonnunquam ſimul omnibus formari. Nam, quod Rhetores primo Cauſam, deinde Contrarium, mox Comparationem, tum Exemplum, ac poſtremo Teſtimonium præcipiunt in tractatione Chriarum, id non alio agunt fine, quam, ut unde tractationis argumenta capi poſſint, oſtendant, & tum unicuique ſeligendi arbitrium cum judicio relinquant. Quod in his omnibus diligenter obſervandum. Exempla Chriarum multa ſunt apud Senecam, quale eſt hoc quoque ex Epiſtola 108.

Virgilii illud egregium : Fugit irreparabile tempus : *item* : Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi prima fugit. *Nunquam dies dicit ire, ſed fugere, quod currendi genus concitatiſſimum eſt, & optimos quosque primos rapit. Quid ergo ceſſamus nos ipſi concitare, ut velocitatem rapidiſſimæ rei poſſimus æquare? Meliora prætervolant, deteriora ſuccedunt. Quemadmodum ex amphora, primum quod eſt, ſinceriſſimum effluit, graviſſimum quodque turbidumq; ſubſidit: ſic in ætate noſtra, quod optimum, in primo eſt. Id exhauriri in aliis potius patimur, ut nobis fæcem reſervemus. Inhæreat iſtud animo, & tanquam Oracu-*

lo miſſum placeat : Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi, prima fugit. *Quare optima? quia juvenes poſſumus diſcere, poſſumus facilem animum, & adhuc tractabilem, ad meliora convertere : quia hoc tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. Quod ſupereſt, ſegnius, & languidius eſt, & propius a fine. Itaque toto hoc agamus animo, & omiſſis ad quæ divertimus, in rem unam laboremus, ne hanc temporis perniciſſimi celeritatem, quam retinere non poſſumus, relicti demum intelligamus. Primus quisque tanquam optimus dies placeat, & redigatur in noſtrum. Quod fugerit, occupandum eſt.*

Tractatio hic eſt evidentiſſima. Primo laudat dictum, vocatque *egregium.* Deinde ipſum ſubjungit, & addit expoſitionem in iſtis, *nunquam dies dicit ire,* &c. Mox eadem illuſtrat ſimili, de *amphora.* Poſtea cauſas addit in illis: *Quare optima,* &c. item Contraria in iſtis : *Quod ſupereſt* &c. In Concluſione pulchram adhortationem adhibet ad ſtudium & diligentiam.

Quid eſt Confirmatio?

Confirmatio eſt rei propoſitæ comprobatio. *Quid eſt Deſtructio?*

Deſtructio eſt rei propoſitæ improbatio.

Confirmatio & Deſtructio nos inducunt in juſtam æſtimationem rerum argumentorumque, & quid fidem mereatur, quid non mereatur, oſtendunt. Tractatio confirmationum traditur ejusmodi, ut demonſtretur aliquid fieri potuiſſe, idque perſonæ aut rei de qua agitur, omnino convenire; fieri probabile, id hoc loco, tempore, mo-

do,

do, perſona geſtum eſſe; magnum ex ea re commodum percipi potuiſſe. Deſtructiones contrario modo inſtituuntur. Verbi cauſa, ſi disquiratur. *Quid ſentiendum de rumore, qui increbuit, Panſam & Hirtium Conſules, quorum hic in acie, ille paulo poſt ex vulnere obiit, ambos opera Auguſti occiſos?* qua de re eſt apud Suetonium in Auguſto c. 11. Dionem l. 46. & Tacitum l. 1. Annal. c. 10.

Pro *Confirmatione* ejus rumoris poſſet dici: Non abhorrere a vero eam famam, ſive æmulatio Auguſti, ſive propoſitum ſpectetur. Quippe, cum pro Prætore juſſus eſſet bellum gerere cum Conſulibus, ſtatim graviter tuliſſe, quod ſua & dignitas & opera conſulari autoritate obumbraretur: cupidine vindicandi omnia pro licitis judicaſſe, conſulatum mox avidiſſime petiiſſe: nemini ſane præterquã Auguſto mortem Conſülum profuiſſe. Calliditatem ejus in ipſo commento agnoſci posſe, ut ad caſum ſcilicet belli referretur, quod ipſe machinatus erat, ejusque rei exempla domeſtica ipſum habuiſſe in Julio patre, qui inimicos pari dolo in tumultu præliorum per ſuos occidi curavit, memorante Dione. Prudentes, non modo ejus temporis, ſed, qui poſtea vixere, Hiſtoricos, non refutaſſe eam famam, ut appareret, pro vera habitam, aut certe pro veriſimili.

Deſtruendi ejus rumoris hæc ſuppeterent argumenta: Hiſtoricos hic nihil certi tradere, Suetonium rumores & ſuſpiciones, Dionem obtrectationes adducere; Tacitum, ſive Prudentes apud Tacitum, dubitare. Infirma fidei documenta eſſe rumores vulgi, qui in utramque partem, ex nihilo ſæpe, & quidem quo vanius eo vehementius conſur-

ſurgant. Suſpicionibus non plebem modo deditam, ſed & Prudentes, pleraque, præſertim eorum, qui dominatum occuparunt, deterius interpretari, & affictis cenſuris vexare. Sparſum haud dubie aliquid tale ab iis, qui patriæ & libertatis amorem præferentes, dominandi cupidis omni modo invidiam creare, civilis officii duxerint. Forte & inde arreptam occaſionem, quod, non uno, ſed utroque Conſule occiſo, ipſa caſus magnitudo perculſos hominum animos, varia cogitatione, & eorum, quæ quocunque modo fieri potuiſſent, excogitatione, in ſuſpicandi & ſequius opinandi licentiam abripuerit. Jam, unde adoleſcenti, & ſuas res cautiſſima & pene timida diſſimulatione adhuc agenti, tantam ſubito inter initia audaciam acceſſiſſe? Panſæ mortem tali perſpicuitate ab Hiſtoricis narrari, ut ne locus quidem ſuſpicioni ſupereſſe poſſit. Quippe veruto per ilia trajectum lethale vulnus accepiſſe, poſteaque nulla maturati exitii indicia, nullam veneni vim prætuliſſe. Idem ergo de Hircii exitu judicandum. Sed nec Prudentiæ Auguſti convenire, ut tanti facinoris infamia, quam præſertim ſervis & militibus in conſcientiam admiſſis, facile emanare poſſe intelligebat, futuris rebus atque operibus ſuis vim & auctoritatem detraheret.

Quid eſt Epiſtola?

Epiſtola eſt tacitum inter abſentes per literas colloquium, cujuſcunque rei ſignificandæ gratia.

Epiſto-

Epiſtola inter abſentes proprie valet. Licet enim aliquando ſcribatur ad præſentes, tamen iſta ſcriptio, non tam epiſtola, quam vel libellus, vel codicillus appellari ſolet, eoque potiſſimum ab epiſtola differt, quod hæc mittatur, iſte tradatur; hæc obſignetur annulo, iſte fere ſit apertus. Cæterum, hoc genus ſcriptionis, nullis ferè legibus rhetoricis adſtringitur, ſed ſuæ libertati relinquendum: non quaſi confuſa hic omnia eſſe debeant, ſed ab iſta cura & ſolicitudine, quam ars requirit, longius remota. Ecquid enim ſunt, niſi familiaria colloquia? Jam vero in his, nec inventione curioſa utimur, nec diſpoſitione. Interdum tamen & in Epiſtolis occurrunt, quæ ſunt graviora; ut, de conſolatione Amicorum, de gratulatione ob ſucceſſus inſignes: qualia cultu exquiſitiore proponenda eſſe, nemo negaverit. Idem quoque de politicis epiſtolis ferendum judicium. Epiſtolarum libri integri in omnium manibus verſantur, juvat tamen exempli cauſa afferre Alexandri ad Darium epiſtolam prorſus egregiam, ex Curtii libro 4. *Rex Alexander Dario. Ille, cujus nomen ſumſiſti, Darius, Græcos, qui oram Helleſponti tenent, coloniasque Græcorum Jonias, omni clade vaſtavit; cum magno deinde exercitu mare trajecit, illato Macedoniæ & Græciæ bello. Rurſus Rex Xerxes, gentis ejusdem; ad oppugnandum nos cum immanium Barbarorum copiis venit: qui navali prælio victus, Mardonium tamen reliquit in Græcia, ut abſens quoque popularetur urbes, agros ureret. Philippum vero parentem meum quis ignorat, ab his interfectum eſſe, quos ingentis pecuniæ ſpe ſollicitaverant veſtri? Impia enim bella ſuſcipitis, & cum habeatis arma, licitamini hoſtium capita. Sicut tu proxime talentis mille*

mille, tanti exercitus Rex, percuſſorem in me emere voluiſti. Repello igitur bellum, non infero. Et Diis quoque pro meliore ſtantibus cauſa, magnam Aſiæ partem in ditionem redegi meam, te ipſum acie vici. Quem, etſi nihil a me impetrare oportebat, quod petieras; tamen ſi veneris ſupplex, & matrem, & conjugem, & liberos ſine pretio recepturum te eſſe promitto. Et vincere, & conſulere victis ſcio. Quod ſi te nobis committere times, dabimus fidem, impune venturum. De cætero, cum mihi ſcribis, memento, non ſolum Regi te, ſed etiam tuo, ſcribere.

Quisque videt, diſpoſitionem non ab arte, ſed natura ipſa profectam. Argumenta ab injuriis Perſarum, ſociis, civibus, patri, ſibi denique ipſi illatis, absque ulla cura & ſolicitudine quæſita. In ſermone pulchra brevitas, cui ſumma gravitas eſt conjuncta. Omnia, ut procul a faſtu, ſic non ſine ſingulari animi magnitudine fiduciaque. Pertinent huc iſta: *magnam partem Aſiæ* &c. ex nulla gloriatione inani, ſed ſuperbiæ Darii retundendæ ſcripta. Item illa: *ſi veneris ſupplex*: &, *ſine pretio*: item, *ſed etiam tuo*, plena ejus generoſitatis, de qua dictum. Nimirum, tale ſcriptionis genus conveniebat Alexandro, & Regi, & tum maxime non in ſchola declamatoria, ſed in bello, inter lituos & armorum ſtrepitus verſanti, præterea victori, & victoria, cum ratione, non ad inania hoſtis convitia & contumeliam, quod procul a mente generoſa eſſe ſolet, utenti.

Quid eſt Dialogus?

Dialogus eſt duorum vel plurium de quacunque re, familiaris quædam inter ſe confabulatio. Dialo-

Dialogi in ſterilioribus argumentis adhiberi poſſunt, ut rerum aliarum opportuna intermixtione, ſubinde animi legentium velut novis ſtimulis excitentur. Eraſmus in Præfatione libelli de Pronunciatione : *Vt materiam, quoniam de rebus minutis ſubtiliter diſſerit, per ſe minus amœnam, aliqua voluptatis illecebra lenocinioque commendaremus, dialogo rem tractavimus, ſubinde nonnihil adſpergentes, quod lectionis ſatietatem vel recreet, vel excludat.* Dictionis genus hic requiritur haud aliud, quam quale in Epiſtolis eſſe ſolet. Exemplum afferre prolixum foret, & liber exſcribendus eſſet. Videri poteſt Cicero, in Tuſculanis, de Divinatione, Legibus, ac Senectute Dialogis.

Quid eſt Laus?

Laus eſt oratio, qua perſonam ob facta honeſta extollimus.

Suetonius in libello de Clar. Rhetor. *Veteres conſueverant viros illuſtres laudare vel vituperare.* Segregandum autem eſt hoc genus exercitationis, ab Orationibus Panegyricis. Nam, hæ magnum apparatum artis, ſplendorem verborum, & ſententiarum gravitatem depoſcunt ; ad iſtud, ſtylus requiritur temperatus & facilis, quadam mediocritate inter panegyricâ magnificentiam, & hiſtoriæ ſimplicitatem, decus gratiamque ſuam obſervans. Admittuntur quidem ſententiæ & de rebus judicia, ita tamen, ut non curioſe adducta, ſed velut adſperſa, aut narrandi inſtituto quaſi interveniſſe videantur. Exemplum laudationis ejusmodi extat apud Plinium l. 1. epiſt. 18. qua Euphratem Philoſophum, his verbis commendat:

Quan-

Quantum mihi cernere datur, multa in Euphrate ſic eminent & elucent, ut mediocriter quoque doctos advertant & affictant. Diſputat ſubtiliter, graviter, ornate: frequenter etiam Platonicam illam ſublimitatem & latitudinem effingit. Sermo ei eſt copioſus & varius: dulcis imprimis, & qui repugnantes quoque ducat & impellat. Ad hoc proceritas corporis, decora facies, demiſſus capillus, ingens & cana barba. Quæ licet fortuita & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt. Nullus horror in cultu, nulla triſtitia, multum ſeveritatis: reverearis occurſum, non reformides. Vitæ ſanctitas ſumma, comitas par. Inſectatur vitia non homines, nec caſtigat errantes, ſed emendat. Sequaris monentem attentus & pendens, & perſuadere tibi, etiam cum perſuaſerit, cupias. Jam vero liberi tres, duo mares, quos diligentiſſime inſtituit. Socer Pompejus Julianus cum cætera vita, tum vel hoc uno magnus & clarus, quod ipſe provinciæ princeps, hunc inter altiſſimas conditiones generum, non honoribus principem, ſed ſapientia elegit.

Nulla hic Rhetorum diviſio, in ea, quæ ante ipſum, in ipſo, poſt ipſum. Nil de patria, genere, parentibus, nomine, & ejuſmodi diſſeritur. Initium fit ab effectu virtutum in Euphrate, mox ea in ipſo com̃endantur, quæ non qualemcunq; hominem, ſed Philoſophum abſolvunt. In his quoq; nulla ordinis Rhetorici cura. Primum graviora, deinde leviora, poſtremo iterum graviora recenſentur. Quod ad elaborationem attinet, iſta, *ſubtiliter, graviter, ornate*, quibus laudat diſputationes ejus, ſunt ſententiola, eaque explicant, quæ in veris diſputationibus ſpectantur, ſuccincta tamen, & brevia. Rhetor ſi tractare debuiſſet, amplificaſſet

per

per circumſtantias, cauſas, effectus, contraria, & hujusmodi. Illa vero, *Platonicam amplitudinem*, lumen, & comparationis magnificentiam habent. *Sermo copioſus, varius, dulcis*, epitheta ſententioſa ſunt; *qui repugnantes*, inſtar judicii ſe habet, de vi eloquentiæ in Euphrate. Patuiſſet hic quoque via Rhetori plana ad amplificationem. *Quæ licet fortuita* : ἐπικριτικῶς dicuntur, plusculasque involvunt obſervationes ac ſententias, nõ longe, ſed ex ipſa, quaſi argumenti ſuperficie petita; quæ iterum Rhetor exornaſſet locis de formæ egregiæ cauſis, & effectis. *Nulla triſtitia, multum ſeveritatis;* oppoſitio, ſenſus multos comprehendens, prolixasque admittens expoſitiones : qualis & quæ eſt in iſtis : *reverearis, non reformides*, in quibus ſimul omnia ad judicii modum formata obſerves. *Inſectatur vitia, non homines*, ſententioſum eſt, ut & ſequens, *non caſtigat, ſed emendat* : oppoſitio hic quoque ſingularis, & quæ amplam poſtulat interpretationem, ſi hoc agitur. *Sequaris monentem*, judicium eſt plenum, in quo certant acumen inventionis, & ſententiæ prudentia. Cætera ſunt his ſimilia.

Quid eſt Vituperatio?

Vituperatio, eſt oratio, qua Perſonam ob facta turpia reprehendimus.

Ex laudatione, vituperandi quoque ratio cognoſcitur. Adſcribimus exemplum e Floro, quo Tarquinium Superbum is ſic reprehendit: *Poſtremus omnium fuit Regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum. Hic regnum avitum quod a Servio tenebatur, rapere maluit, quam expectare, im-*

miſſisque in eum percuſſoribus, ſcelere partam poteſtatem, non melius egit, quam acquiſierat. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia, quæ, ut virum regem ſalutaret, ſuper cruentum patrem vecta carpento, conſternatos equos egit. Sed ipſe in Senatum cædibus, in omnes ſuperbia, quæ crudelitate gravior eſt bonis, graſſatus; quum ſævitiam jam domi fatigaſſet, tandem in hoſtes converſus eſt. Sic valida oppida in Latio capta ſunt, Ardea, Ocriculum, Gabii, Sueſſa Pometia. Tum quoque cruentus in ſuos, neque enim filium verberare dubitavit, ut ſimulanti transfugam apud hoſtes, hinc fides eſſet. Cui Gabiis, ut voluerat, recepto, atque per nuncios conſulenti quid fieri vellet, eminentia forte papaverum capita virgula excutiens, quam per hoc interficiendos eſſe principes intelligi vellet, (quæ ſuperbia!) ſic reſpondit.

Quid eſt Comparatio?

Comparatio eſt perſonarum, rerumve duarum aut plurium, æqualium vel inæqualium, magnitudinis utilitatisve, aut contrariorum gratia, idonea inter ſe collatio.

Græcis hæc exercitatio *σύγκρισις* appellatur, & inſtituitur fere ut præcedentes: unde enim quid laudari aut vituperari, ex eo etiam comparari poteſt cum alio. Id vero in univerſum cavendum, ne ea comparemus inter ſe, quæ a ſe nimium diſtant: deinde, ne in ipſa comparatione ad nimium vulgaria reſpiciamus; ſed judicio decenti ſingula exornemus. Stylus idem fere, qui in laudationibus, ac proinde pura, caſta, lucida, plana eſſe debent omnia; vulgariaque non vulgariter, ſed per translationes, circumlocutionesque proferre opor-

portet. Exemplum Comparationis illuſtre eſt apud Juſtinum ſub finem libri 9. cum accurato judicio Philippus Macedo, ejusque filius Alexander M. inter ſe comparantur, ac uter melior deteriorve fuerit in publicum, pulcherrime declaratur, verbis hujusmodi: *Philippo Alexander filius ſucceſſit, & virtute & vitiis patre major. Itaque vincendi ratio utrique diverſa. Hic aperte, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hoſtibus, hic palam fuſis. Prudentior ille conſilio, hic animo magnificentior. Iram pater diſſimulare, plerunque etiam vincere: hic ubi exarſiſſet, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Vini nimis uterque avidus: ſed ebrietatis diverſa vitia. Patri mos erat, etiam de convivio in hoſtem procurrere, manum conſerere, periculis ſe temere offerre: Alexander non in hoſtem, ſed in ſuos ſæviebat. Quamobrem Philippum ſæpe vulneratum prælia remiſerunt: hic amicorum interfector frequenter convivio exceſſit. Regnare ille cum amicis volebat, hic in Amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus utrique ſimilis. Solertiæ pater majoris, hic fidei. Verbis ac oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus & promptior & honeſtior. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater fecit, operis totius gloriam filius conſummavit.*

Quid eſt Theſis?

Theſis eſt oratio, qua de re quacunque, controverſiam admittente diſputamus. Mos enim veterũ fuit, diſcipulos exercere, propoſita ad defendendum aut oppugnandum quæſtione aliqua, quæ dicebatur

ere θέσις: atque erat in illis diſputationibus non minus facundiæ certamen, quam acuminis: & vero Cicero, jam Reipublicæ ſuæ Princeps, non deſiit Theſibus exerceri, teſte Quintiliano l. 10. c. 5.

Exemplum Theſeos e Quintiliani l. 1. c. 2. adſcribere licet, qua quæritur, *An in ſcholis publicis erudiri juventus debeat?* his quidem verbis: *Corrumpi mores in ſcholis putant: nam & corrumpuntur interim; ſed domi quoque: & ſunt multa ejus rei exempla, tam læſæ hercle, quam conſervatæ ſanctiſſime utrobique opinionis. Natura cujusque totum curaque diſtat. Da mentem ad pejora facilem, da negligentiam formandi cuſtodiendique in ætate prima pudoris: non minorem flagitiis occaſionem ſecreta præbuerint: nam & eſſe poteſt turpis, domeſticus ille præceptor: nec tutior inter ſervos malos, quam ingenuos parum modeſtos converſatio eſt. At, ſi bona ipſius indoles, ſi non cæca ac ſopita parentum ſocordia eſt, & præceptorem eligere ſanctiſſimum quemque (cujus rei præcipua prudentibus cura eſt) & diſciplinam, quæ maxime ſevera fuerit, licet: & nihilominus amicum, gravem virum, aut fidelem libertum lateri filii ſui adjungere; cujus aſſiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebantur. Facile erat hujus metus remedium. Utinam liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſolvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit? nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poſcit. Ante palatum eorum, quam os inſtituimus. In lecticis creſcunt*

ſcunt, ſi terram attigerint, e manibus utrinque ſuſtinentium pendent. Gaudemus, ſi quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda delitiis, riſu & oſculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audiverunt, noſtras concubinas vident. Omne convivium obſcœnis canticis ſtrepit: pudenda dictu ſpectantur. Fit ex his conſuetudo, deinde natura. Diſcunt hæc miſeri, antequam ſciant vitia eſſe: inde ſoluti ac fluentes, non accipiunt e ſcholis mala iſta, ſed in ſcholas afferunt. Verum in ſtudiis magis vacabit unus uni. Ante omnia nihil probibet eſſe iſtum, neſcio quem unum, etiam cum eo, qui in ſcholis eruditur. Sed etiam ſi jungi utrumque non poſſet, lumen tamen illud conventus honeſtiſſimi, tenebris ac ſolitudini prætuliſſem. Nam optimus quisque præceptor frequentia gaudet, ac majore ſe theatro dignum putat. At vero minores, ex conſcientia ſuæ infirmitatis, hærere ſingulis, & officio fungi quodammodo pædagogorum non indignantur. Sed præſtet alicui vel gratia, vel amicitia, vel pecunia, ut doctiſſimum atque incomparabilem magiſtrum domi habeat: num tamen ille totum in uno diem conſumpturus eſt? aut poteſt eſſe ulla tam perpetua diſcentis intentio, quæ non, ut viſus oculorum, obtutu continuo fatigetur? cum præſertim multo plus ſecreti temporis ſtudia deſiderent. Neque enim ediſcenti, ſcribenti, & cogitanti præceptor aſſiſtit: quorum aliquid agentibus, cujuscunque interventus impedimento eſt. Lectio quoque non omnis, nec ſemper præeunte, vel interpretetante eget. Quando enim tot autorum notitia contingeret? Ergo modicum tempus eſt, quo in totum diem velut opus ordinetur. Ideoque per plures ire poſſunt, etiam quæ ſingulis tradenda ſunt. Pleraque vero hanc conditionem habent, ut eadem voce ad omnes ſimul perferantur. Taceo de

 par-

partitionibus & declamationibus Rhetorum : quibus certe, quantuscunque numerus adhibeatur, tamen unusquisque totum feret. Non enim vox illa præceptoris, ut cœna, minus pluribus ſufficit : ſed ut ſol, univerſis idem lucis caloriſque largitur. Grammaticus quoque de ratione loquendi ſi diſſerat, quæſtiones explicet, hiſtorias exponat, poëmata enarret, tot diſcent, quot audient. At enim emendationi prælectionique numerus obſtat. Sit incommodum (nam quid fere undiquaque placet?) mox illud comparabimus commodis. Nec ego tamen eo mitti puerum volo, ubi negligatur. Sed neque præceptor bonus majore ſe turba, quam ut ſuſtinere eam poſſit, oneraverit : & imprimis ea habenda cura eſt, ut is omnino nobis fiat familiariter amicus, nec officium in docendo ſpectet, ſed affectum : ita nunquam erimus in turba. Nec ſane quiſquam literis ſaltem leviter imbutus, eum, in quo ſtudium ingeniumque perſpexerit, non in ſuam quoque gloriam peculiariter fovebit. Sed ut fugiendæ ſint magnæ ſcholæ (cui ne ipſi quidem rei aſſentior, ſi ad aliquem concurritur) non tamen hoc eo valet, ut fugiendæ ſint omnino ſcholæ. Aliud eſt enim vitare eas, aliud eligere. Et ſic refutavimus, quæ contra dicuntur. Jam explicemus, quod ipſi ſequamur. Ante omnia futurus orator, cui in maxima celebritate, & in media Reip. luce vivendum eſt, aſſueſcat jam a tenero non reformidare homines, neque illa ſolitaria & velut umbratili vita palleſcere. Excitanda mens & attollenda ſemper eſt, quæ in hujuſmodi ſecretis aut langueſcit, & quendam velut in opaco ſitum ducit; aut contra tumeſcit in inani perſuaſione. Neceſſe eſt enim ſibi nimium tribuat, qui ſe nemini comparat. Deinde cum proferenda ſunt ſtudia, caligat in Sole, & omnia nova offendit, ut qui ſolus didicerit, quod inter multos faciendum eſt. Mitto

ami-

amicitias, quæ ad ſenectutem usque firmiſſimæ durant, religioſa quadam neceſſitudine imbutæ. Neque enim eſt ſanctius, ſacris iisdem, quam ſtudiis initiari. Senſum ipſum, qui communis dicitur, ubi diſcet, quum ſe a congreſſu, qui non hominibus ſolum, ſed mutis quoque animalibus naturalis eſt, ſegregarit? Adde, quod domi ea ſola diſcere poteſt, quæ ipſi præcipientur? In ſchola, etiam quæ aliis. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi, proderit alicujus objurgata deſidia, proderit laudata induſtria, excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum ſuperaſſe majores. Accendunt omnia hæc animos, & licet ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſa virtutum eſt. Non inutilem ſcio ſervatum eſſe a præceptoribus meis morem, qui cum pueros in claſſes diſtribuerent, ordinem dicendi ſecundum vires ingenii dabant, & ita ſuperiore loco quisque declamabat, ut præcedere profectu videbatur. Hujus rei judicia præbebantur; ea nobis ingens palmæ contentio; ducere vero claſſem multo pulcherrimum. Nec de hoc ſemel decretum erat: triceſimus dies reddebat victo certaminis poteſtatem. Ita nec ſuperior ſucceſſu curam remittebat, & dolor victum ad depellendum ignominiam concitabat. Id nobis acriores ad ſtudia dicendi faces ſubdidiſſe, quam hortationes docentium pædagogorum cuſtodiam, vota parentum, quantum animi mei conjectura colligere poſſum, contenderem. Sed ſicut firmiores in profectus alit æmulatio, ita incipientibus, atque adhuc teneris, condiſcipulorum, quam præceptoris jucundior, hoc ipſo, quod facilior, imitatio eſt. Vix enim ſe prima elementa ad ſpem tollere effingendæ, quam ſummam putant, eloquentiæ audebunt: proxima amplectentur magis; ut vites arboribus applicitæ, prius apprehendendo ramos in cacumina evadunt. Quod

adeo verum eſt, ut ipſius etiam magiſtri, ſi tamen ambitioſis utilia præferet, hoc opus ſit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non ſtatim onerare infirmitatem diſcentium, ſed temperare vires ſuas, & ad intellectum audientis deſcendere. Nam ut vaſcula oris anguſti, ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt, ſenſim autem influentibus, vel etiam inſtillatis complentur: ſic animi puerorum quantum excipere poſſint, videndum eſt. Nam majora intellectu, velut parum aptos, ad percipiendum animos non ſubibunt. Utile igitur eſt habere, quos imitari primum, mox vincere velis, ita paulatim & ſuperiorum ſpes erit. His adjicio, præceptores ipſos non idem mentis ac ſpiritus in dicendo poſſe concipere, ſingulis tantum præſentibus, quod illa celebritate audientium inſtinctos. Maxima enim pars eloquentiæ conſtat animo: hunc affici, hunc concipere imagines rerum, & transformari quodammodo ad naturam eorum, de quibus loquimur, neceſſe eſt. Is porro, quo generoſior celſiorque eſt; hoc majoribus velut organis commovetur: ideoque & laude creſcit, & impetu augetur, & aliquid magnum agere gaudet. Eſt quædam tacita dedignatio, vim dicendi tantis comparatam laboribus, ad unum auditorem demittere, pudet ſupra modum ſermones attollere. Et ſane concipiat quis mente vel declamantis habitum, vel orantis vocem, inceſſum, pronunciationem, illum denique animi & corporis motum, ſudorem, & (ut alia prætercam) fatigationem, audiente uno; nonne quiddam pati furori ſimile videatur? Non eſſet in rebus humanis eloquentia, ſi tantum cum ſingulis loqueremur.

Theſis hæc diviſa eſt in partes duas: prior continet refutationem ſententiæ adverſæ, poſterior confirmationem propriæ. In priori generatim re-

reſpondetur ad duo, neque mores corrumpi in ſcholis, neque melius ſingulos privatim informari poſſe, quam publice. Illud iterum dividitur in duo, nam primo per conceſſionem quaſi oſtenditur, non in ſolis pueros corrumpi ſcholis; deinde ne in ſcholis quidem corrumpi, ut ſcholis, ſed ut repletis numero eorum, qui domo afferunt vitia: qua occaſione digreſſio elegans inſtituitur, & velut invectiva in pravam educationem domeſticam, & incuriam parentum. Nec hoc, non ſcilicet melius privatim informari, aliter dividitur. Nam diluitur vel primo, quod objiciebatur de informatione, vel ſecundo, quod objiciebatur de emendatione. Informatio negatur eſſe melior domeſtica, primo, reſpectu doctoris, quia quo quisque deterior, hoc ſecreti amantior; deinde reſpectu informationis, quia nil in ea iſtiusmodi eſt neceſſarium, quod in educatione privata ſpectatur. Non primo tempus continuum, ſive docentis, ſive diſcentis cauſa. Non deinde homo ſingularis, cum in multis quod dicit uni, ſine ejus incommodo dicere poſſit ſimul pluribus. Emendatio quoque negatur melior, allatis remediis eorum, ſi quæ peccantur, illorumque rationibus & fundamentis collocatis in officio præceptoris & parentum. In altera parte, qua melior oſtenditur eſſe publica informatio, argumenta deſumuntur ex hiſce: quia primo rebus gerendis facit aptos: ſecundo conciliat amicos: tertio docet humanitatem; quarto exemplis aliorum promovet, qua occaſione iterum digreſſio inſtituitur de certaminibus ſcholaſticis, eorumque utilitate: quin-

to denique excitat ipſos præceptores, atque ita tota theſeos tractatio concluditur.

Quas vocant Rhetores Declamationes?

Declamationes, ſic dictæ, quod in Rhetorum ſcholis non tantum ſcriberentur, aut lectitarentur, ſed ſimul declamarentur. Differunt ab Exercitationibus Gramaticis potiſſimum in eo, quod ſint non amplius ſimplices, ut iſtæ, ſed ex illis pluribus junctæ & compoſitæ. Nam, in una Declamatione, utimur interdum & Narratione, & Deſcriptione, & Laudatione, & Comparatione, & aliis hujus generis: ſuntque Declamationes nihil aliud, quam forenſium actionum quaſi quædam meditationes, aut thematis alicujus per Argumenta & Colores expolitiones.

Declamationum materiæ vel ex hiſtoriis trahuntur, vel ex veritate acre, cum quid novi accidit. Pro exemplo valeat exercitatio Bœcleri *de verbis quæ potuerit Cæſar facere, viſo Pompeji capite.* Hic vero prænotandum, quod Dio l.42. memorat; *Cæſarem viſo Pompeji capite illacrymatum, civem & generum appellaſſe, veterem neceſſitudinem commemoraſſe, percuſſorum ſcelus improbaſſe, caputq; honeſte funerari juſſiſſe*; qui tamen mox, & ἐλέγχῳ εἰρωνικῷ proſequitur iſtas lacrymas, tanquam *ſeras, & ſimulatæ pietatis.* Proinde character orationis mixtum quid habet, ac partim miſericordiæ luctusque ſpeciem refert, itemque iraſcitur per-

percuſſoribus;partim modeſtiæ,comitatis & gravitatis imagines exhibet.

Non hoc ego,Fortuna,vel votis petii, vel armis quæſivi,quem pene in Pharſalia viciſſe pudet,quia cives erant,qui vincendi fuere. An ideo civibus, etiam inter commiſſas manus,& expedita in mutuas cædes tela,parcendum duxi, ut civium emi-nentiſſimus , cui & fortuna prælii pepercerat, quemque ego non ſervatum modo,ſed reconciliatum propediem videre feſtinabam, nefando interiret parricidio? Heu me infelicem, qui præcipuo & armorum & victoriæ fructu ſpoliatus ſum! Nam, nec ſumſi arma, ut ſanguinem civicum funderem; nec vincere optavi, ut gener periret. Solam ſub clypei tutela pacem ſpectavi: neque premere adverſarios clade, ſed apparatu belli in gratiam volui revocare. Te autem, o Magne,o gener , non tam bello ſuperare, quam ſuperatum conſervare , omnique cultu, fide, amicitia honeſtare, & ſemper alias, & in ipſis, qui noſtro,proh dolor! tumultu inhorruere, campis, unica certaq; deſtinatione decreveram. Egone id caput, cujus veneratione orbis quondam univerſus contremuit, impiiſſimo facinore reciſum aſpiciam? Vos vero, o devota capita , o nefarii parricidæ, quis tandem malus dæmon furiavit,ut majus ſorte veſtra facinus auſi, ſacrum & gentibus adoratum caput,conſceleratiſſimis manibus violaretis? An ideo Ægyptum Pompejus olim ſervavit , ut beneficiorum ſuorum magnitudinem exitio lueret? O ſortem bellorum! quid bella incuſo, quorum invidiam & crimen Ægypti perfidia vel abſolvit vel minuit? Ægyptium ſcelus , ipſum Romani imperii lumen, humani orbis decus, clariſſi-

riſſimum ſuæ Reip. principem extinxit: meam autem victoriam, per ſe, ut de civibus, illætabilem, ſed quæ miſerrimæ neceſſitudini, qua in arma actus ſum, imputari poterat, veriſſimo luctu & infamia contaminavit. Neque enim mihi dediſtis, mortalium peſſimi, iſtud ſcelus, quidquid ſimuletis aut præferatis tandem, ſed partium fato imminentes, cum fortuna mutaviſtis fidem. Defleo interim te, cariſſime gener, ſemperque deflebo; cum virtutes tuas, noſtrasque caritates recolam & neceſſitudines, quibus nos tam diu, tam arctis vinculis conjunctos, fortuna tenuit. Quid ego de amicitiæ fide, de affinitatis pietate, de collegii ſanctitate dicam? Quidquid vel ad publicum decus, vel ad privata ornamenta, a nobilibus & amicis ingeniis conferri unquam potuit, contulimus; utriusque fortunæ ſocietate, tanquam in mutuo complexu, immoti ſtetimus; non ſeria, non jocos, alter ſine altero amavimus: donec utrique in tantis verſanti rebus, reique publicæ tot perturbationibus implicatæ, induſtriam quidem, ſed arduam & ancipitem navanti operam, neſcio quæ deorum ira, qui caſus, qui amicitiarum corruptores, diſcordiæ ſemina injecerunt: cujus nec occaſiones, nec fomenta, temporibus tam perplexis, poterunt deeſſe. Factum ſane eſt, quod infectum mallem, ſi qua potuiſſet fatorum decretis intercedi. Itaque nihil intentatum reliqui, quod ad conciliandam pacem poſſet pertinere. Jam arma tenebam, & adhuc concordiam non ſuaſi modo, ſed rogavi. Nihil literæ, nihil internuntii, nihil conciliatores & amici valuere. Ita in aciem & armorum diſcrimina propulſus, vel ſic ſervare

quam

quam perdere adverſarios præoptaſſem, ſi jacta ſemel Martis alea, ullum ſui regimen in jacientis manu relinqueret. Teſtor cariſſimam Patriam, pro qua totiens infeſtis hoſtium telis meum caput obtuli, me nec deinceps vindictæ potius quam paci & civium incolumitati conſulturum, & nunc nihil magis dolere, quam quod præcipuam benefaciendi materiam, & oſtendendæ voluntatis occaſionem, cum, & in Pompejo amiſi: cui nunc, præter ſolennia funeris, & inania munera, quæ etiam hoſtis hoſti debet, vix quidquam licet præſtare; niſi quod memoriam tanti & viri & generi, omni officio, cærimonia, pietate celebrare, nullo tempore deſinam. Neque quiſquam poſterorum Pompeji exitum miſerabitur, quin Cæſarem ſuæ miſerationis & ſocium & exemplum habeat. Sed nec unquam, inter maxima vertentis fortunæ documenta, & civilium armorum lamentabiles vices, Magni nomen memorabitur, quin apud omnes, Ægyptii ſceleris perfidia, cunctis furoribus civicis truculentior judicetur. Væ tibi profana, & innocui hoſpitis Patronique ſanguine temerata tellus! Nulla tui Nili exundatio eluet hanc maculam, nulla Nemeſis ignoſcet: donec, quæ inuſitati facinoris exemplum dediſti, ſingulare fias & pereñe non inultæ perfidiæ monumentum: ut una eademque opera reſciſcat orbis, *ita recipi in Ægypto amicos; ita receptos occidi; ita occiſos vindicari.*

Quæ ſunt Vitia Styli?

Vitia Styli ſunt Solœciſmus, Barbariſmus, dictio tumida, frigida, puerilis, ſcholaſtica, & parenthyrſus. *Quid*

Quid eſt Solœciſmus?

Solœciſmus, eſt vitium, quod adverſus ſtructuræ analogiam & canonas peccat. Vt: *pugio mea: profectus Lutetiæ.*

Fuit Solœ ſive Soli, civitas inſignis Ciliciæ, maritima, ab Archivis & Rhodiis ædificata; cumque Græcorum inter Cilices agentium ſermo corrumperetur, hinc effectum eſt, ut qui vitioſe loquerentur, σόλοικοι quaſi *Solis degentes*, & ipſa corrupta locutio σολοικισμὸς, vulgo a Græcis dicerentur.

Quid eſt Barbariſmus?

Barbariſmus eſt genus ſermonis peregrinum; ut *mendicare de domo ad domum*, id eſt, domatim ſive oſtatim: *munera dare ſupra munera*, id eſt munera muneribus cumulare.

Barbarum, proprie extraneum & peregrinum notat, quali ſermone utentes nec intelligunt, nec intelliguntur. Vnde Ovidius 5. Triſt. el. 11.

Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor ulli.

Et Epops apud Ariſtophanem ait, aves, antequam eas loqui docuiſſet, barbaras fuiſſe: quod Suidas exponit, μὴ εἰδότας ἀνθρώπων τὴν φωνὴν, *neſcientes humanam vocem.*

Quid

Quid eſt dictio Tumida?

Dictio Tumida eſt, cum verbis novis, aut priſcis, aut duriter aliunde translatis, aut gravioribus quam res poſtulat, aliquid dicitur; eſt itaque exceſſus quidam orationis, per quem in ineptias, & phaleratas nugas abripitur.

Hoc genus Tumidum nominatur, ſimilitudine ducta a prava corporis habitudine, quæ pro carne & ſucco, degenerem pituitæ tumorem nacta eſt. Laborant eo vitio multi imitatores, qui dum Virgilii aut Ciceronis magnitudinem ſuſpiciunt, aventque in leviculis etiam argumentis, eandem exprimere, & vincere, in id deveniunt, ut pro vero & ſolido corpore, nihil niſi fumos & ventos oſtentent. Facit huc inſigniter locus Agellii l. 11. Noct. Att. c. 7. *Romæ nobis præſentibus, vetus celebratusq; homo in cauſis, ſed repentina & quaſi tumultuaria doctrina præditus, cum apud Præfectum urbi verba faceret, & dicere vellet, inopia quendam miſeroq; victu vivere, & furfureum panem eſitare, vinumq; eructum & fœtidum potare;* Hic, *inquit*, Eques Romanus, apludam edit, & floces bibit. *Adſpexerunt omnes qui aderant alius alium, primo triſtiores, turbato & requirente vultu, quidnam illud utriusq; verbi foret. Poſt deinde, quaſi neſcio quid Tuſce aut Gallice dixiſſet, univerſi riſerunt. Legerat autem ille,* apludam *veteres ruſticos frumenti furfurem dixiſſe: idq; a Plauto in Comœdia (ſi ea Plauti eſt) quæ Aſtraba inſcripta eſt, poſitum eſſe. Item* floces, *audierat priſca voce ſignificare*

care

care vini fæcem, e vinaceis expreſſam, ſicuti fraces ex oleis; idq; apud Cæcilium in Polymenis legerat, eaq; ſibi duo verba ad orationum ornamenta ſervaverat. Alter quoque a lectionibus id genus paucis apirocalus, cum adverſarius cauſam differri poſtularet: Rogo, Prætor, *inquit*, ſubveni, ſuccurre: quonam usque nos bovinator hic demoratur? *Atque id voce magna ter quaterque inclamavit;* bovinator eſt. *Commurmuratio fieri cœpta eſt a plerisque qui aderant, quaſi monſtrum verbi admirantibus. At ille jactans, & geſtiens:* Non enim Lucilium, *inquit*, legiſtis, qui tergiverſatorem bovinatorem dicit.

Eſt autem in Lucilii undecimo verſus hic:

Eſt tricoſus, bovinatorque ore improbus duro.

Quid eſt dictio Frigida?

Dictio Frigida eſt, quæ conſtat ſenſibus novis, peregrinis & putidis.

Frigidus ſermo, tortos & violentos ſenſus, veluti novatoris ingenii fœtus, judicii lumine orbatos egerit. Laborat ergo vel ſenſuum exilitate, vel tenuium verborum abjecta compoſitione. Pro exemplo eſt illud apud Plutarchum, quod Hegeſius, qui inter frigidos Sophiſtas commemoratur a Longino, cum de Alexandri laudibus diceret, protulit, ad templi Dianæ Epheſiæ, ea ipſa nocte qua Alexander natus eſt, conflagrationem attinens: *Minime mirandum eſt, ſi Dianæ templum tam gravi incendio arſit: quippe Dea in ipſo Olympiæ partu, quo Alexander editus eſt, obſtetricandi laboribus & curis diſtricta, ignem non valuit reſtinguere.* Hujus Epiphonematis tantum eſſe frigus Plutarchus aſſeverat,

verat,ut id ipſum ad Epheſii templi incendium reſtinguendum,ſatis validum fuiſſe videatur. Aliud exemplum Caſſius Longinus ſuppeditat, quod ſumtum eſt ex Timæo. Quippe,hic Alexandrum magnis laudibus efferens, cum Iſocrate comparat,& vehementer commendat, quod paucioribus annis Aſiam ſubegerit,quam unam orationem Panegyricam ſcripſerit Iſocrates. Id Criticus deridens,exclamat: O admirabilem Alexandri cum Sophiſta comparationem! certe hoc frigido hominis ſenſu,Iſocrates tota Lacedæmoniorum Republica longe fortior haberetur,quando intra decennium Panegyricum abſolvit; at illi, non niſi intra annorum triginta ſpatium, Meſſenam expugnarunt.

Quid eſt Dictio Puerilis?

Dictio Puerilis eſt, quæ ſenſus habet tenuiculos, luſus minutos, digreſſiones ineptas,alluſiones ad verba, affectatas rerum deſcriptiones,luxuriantes figuras, verba ad oſtentationem collecta, redundantiam ſermonis, proditque judicii inopiam.

Tales ſunt Hadriani Imperatoris verſus:

Animula,vagula,blandula,
Hoſpes,comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula,rigida,nudula.
Nec,ut ſoles, dabis jocos.

Similis eſt Mecænatis locus apud Senecam Epiſt. 114. valde dignus, qui cum ipſius Senecæ, quod eum præcedit, ac ſequitur, accurato, & ſevero illo quidem, judicio exhibeatur. *Quomodo Mecænas vixerit, notius eſt, quam ut narrari nunc debeat: quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia ſua latere noluerit. Quid ergo? non oratio ejus æque ſoluta eſt, quam ipſe diſcinctus? non tam inſignita illius verba ſunt, quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor? Magni ingenii vir fuerat, ſi illud egiſſet via rectiore, ſi non vitaſſet intelligi, ſi non etiam in oratione diffflueret. Videbis itaq; eloquentiam ebrii hominis involutam, & errantem, & licentiæ plenam. Mecænas in cultu ſuo.* Quid turpius amne, ſylvisque ripâ comantibus? Vide ut alveum lintribus arent, verſoque vado remittant hortos. Quid ſi quis fœminæ cirro criſpatæ, & labris columbatur? Incipitque ſuſpirans, ut cervice laxâ feratur. Nemo tyranni, irremediabilis factio rimantur, epulis, lagænaque tentant domos, & ſæpe mortem exigunt. Genium feſto vix ſuo teſtem, tenuis cerei fila & crepacem molam: focum mater aut uxor inveſtiunt. *Non ſtatim hæc cum legeris, hoc tibi occurret, hunc eſſe qui ſolutis tunicis in urbe ſemper inceſſerit? Nam etiam cum abſentis partibus Cæſaris fungeretur, ſignum a diſcincto petebatur. Hunc eſſe, qui in tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu ſic apparuerit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrinque auribus, non aliter quam in Mimo divites fugitivi ſolent? Hunc eſſe, cui cum maxime civilibus bellis ſtrepentibus, & ſolicita urbe & armata, comitatus hic fuerit in publico: ſpadones duo, magis tamen viri, quam ipſe? Hunc eſſe, qui uxorem millies duxit*

*xit, cum unam habuerit? Hæc verba tam improbe ſtru-
cta, tam negligenter abjecta, tam contra conſuetudinem
omnium poſita, oſtendunt mores quoque non minus no-
vos & pravos, & ſingulares fuiſſe. Maxima laus illi tri-
buitur manſuetudinis: pepercit gladio, ſanguine abſti-
nuit: nec ullâ aliâ re quid poſſet, quam licentiâ oſtendit.
Hanc ipſam laudem ſuam corrupit, iſtis orationis por-
tentoſiſſimæ deliciis. Apparet enim, mollem fuiſſe, non
mitem. Hoc iſtæ ambages compoſitionis, hoc verba
transverſa, hoc ſenſus magni quidem ſæpe, ſed enervati,
dum exeunt, cuivis manifeſtum facient, motum illi feli-
citate nimia caput: quod vitium hominis eſſe interdum,
interdum temporis ſolet.*

Ejusdem vitii inſimulat Theophilus Raynal-
dus Jeſuita *Dominicum Soto*, dum in Volumine *de
Juſtitia & Jure*, decem libris comprehenſo, Indicem
librorum & quæſtionum ſic adornavit, ut quod ad
Libros attinet, decies, quod ad Quæſtiones ſpe-
ctat, ſeptuagies & amplius, commutarit phraſin,
qua numerus Librorum vel Quæſtionum erat ex-
primendus, fatigando collectores phraſeon, ut
haberet unde declinaret tautologiam, ſuamque
locutionum eodem ſenſu fœtarum, peritiam, o-
ſtentaret. Et de Libris quidem ſic habet Soto:

Liber Primus *in ſeptem Quæſtiones ſecatur.*
Liber Secundus *in Quæſtiones finditur novem.*
Liber Tertius *Quæſtiones ſibi ſumit ſeptem.*
Liber Quintus *Quæſtionibus locupletatur duodecim.*
Liber Sextus *in Quæſtiones diſtrahitur ſexdecim.*
Liber Septimus *Quæſtionibus adornatur ſex.*
Liber Octavus *Quæſtionibus tribus perficitur.*
Liber Nonus *Quæſtionibus ditatur octo.*
Liber Decimus *Quæſtionibus abſolvitur quinque.*

Circa Quæſtiones, ut contentorum articulorum numerum exprimat, ſemper ad gloriam Dei evariando, ſic verſatur:

Prima Quæſtio amplectitur Articulos quatuor.
2. Articulos ſortitur duos.
3. Articulis abſolvitur quatuor.
4. Articulos ſibi vindicat quinque.
5. Articulos habet quatuor.
6. Articulos comprehendit octo.
7. Articulos continet tres.
8. Articulos tenet quatuor.
9. Articulis duodecim ſuperbit.
11. Articulis conficitur ſex.
12. Articulis eſt contenta quatuor.
13. Articulos habet non plus duos.
14. Articulis donatur quatuor.
15. Articulis perſtringitur duobus.
16. Articulis eſt prædita tribus.
17. Articulos poſſidet quatuor.
18. Articulos complectitur octo.
19. Articulis tribus expeditur.
20. Articulos ſibi vendicat ſex.
21. Articulos vult quatuor.
22. Articulos ſibi poſcit ſeptem.
23. Articulis conſtat duobus.
24. Articulis explicatur tribus.
25. Vnici eſt Articuli.
26. Duorum eſt Articulorum.
27. Articulis inſtruitur quatuor.
28. Articulos continet quinque.

29. Qua-

29. Quatuor eſt Articulorum.
30. Articulis dotatur novem.
31. Trium eſt Articulorum.
32. Articulos continet ſex.
33. Articulis peragitur quatuor.
34. Articulos poſſidet quatuor.
35. Articulis fulcitur quatuor.
36. Articulis pertractatur quatuor.
37. Articulos exigit quatuor.
38. Articulis declaratur tribus.
39. Articulos poſtulat quatuor.
40. Articulorum tantum eſt duorum.
41. Articulis adornatur tribus.
42. Articulis exornatur ſex.
43. Articulis enucleatur tribus.
44. Articulorum eſt duorum.
45. Articulos ſortitur duos.
46. Articulis enodatur tribus.
47. Articulis eſt contenta duobus.
48. Articuli eſt unius.
49. Articulis perficitur duobus.
50. Habet Articulos duos.
51. Gaudet Articulo unico.
52. Articulis præfulget quinque.
53. Articulis finitur duobus.
54. Articulis excolitur tribus.
5. Articulos vult quinque.
56. Duorum eſt Articulorum.
57. Articulos capit tres.
58. Articulos occupat quatuor.
5. Duobus duntaxat Articulis abſolvitur.
59. Articulis decem ornatur.
59. Articulos quatuor complectitur.
60

61. Articulos retinet tres.
62. Articulis fruitur quatuor.
63. Vnum atque alterum habet Articulum.
64. Articulos obtinet quatuor.
65. Articulis quatuor perficitur.
66. Duorum tantum eſt Articulorum.
67. Articulos eſt nacta duos.
68. Articulos eſt adepta tres.
69. Articulos eſt ſortita duos.
70. Articulis eſt contenta quatuor.
71. Articulos ſibi uſurpat quatuor.
72. Articulos expoſcit quatuor.
73. Articulorum quinario concluditur.
74. Articulis concluditur, feliciter, plus minus ſeptem.

Quid eſt Dictio Scholaſtica?

Dictio Scholaſtica eſt, cum ea quæ civilis eſſe debet oratio, ad umbratilium præceptorum minutias putidiuſcule conformatur.

Accidit plerunque, verba ſunt Cauſſini lib. 2. de eloq. ſacra & humana, *ut Adoleſcentes e ludo nuper egreſſi, vel etiam Viri Scholarum umbris diutius enutriti, cum ex palæſtra in aciem advenerint, nondum ad civilis illius cœli tolerantiam facti, atque compoſiti, neſcio quid umbraticæ mollitiei, quam cum lacte ſuxerunt, retineant. Itaque alii antequam ad rem veniant, præfantur apparatius, & excurrunt longius: alii digreſſiones & locos communes affectant, quibus cum inſederint, arbitrantur ſe Jovis albis, quod ajunt, quadrigis vehi: alii in quocunque demum argumento, exordia, narrationes, confirmationes, perorationes, religioſius exigunt;*

exigunt; atque iſta quidem omnia, quamvis frigida & importuna, ſæpius ingerunt, ne videantur artis legibus defuiſſe. Alii minime ſpectan es, an oratio ornatum ferat, grandes figuras, per κακοζηλίαν expreſſas, ad ſatietatem aurium intrudunt. Alii etiam artem pleniſſime profitentur; exordii ſui, narrationis, confirmationis &c. meminerunt: tum ſe ex una parte in alteram tranſituros pollicentur, aut jam tranſiiſſe dicunt: etiam excuſant ſe, quod minus elaboratam orationem attulerint: quæ omnia ſcholaſtica ſunt, & ubi moroſius curantur, elaboranturque concinnius, ſæpe in frigidum aliquid, aut puerile deſinunt.

Quid eſt Parenthyrſus?

Parenthyrſus, eſt oratio grandibus & intempeſtivis affectibus & figuris, in re parva inſaniens.

Parenthyrſus eſt oratio, quaſi ad thyrſum accedens, hoc eſt furori proxima. Dicitur autem Thyrſus, haſtula frondibus veſtita, quam bacchantes geſtabant, & hoc perpetuũ Bacchi inſigne. Movet Parenthyrſus affectus intempeſtivos & vanos, ubi nihil opus eſt affectu; vel im̃oderatos, ubi opus eſt moderato, grandesque figuras in rebus ludicris conſectatur. Talis eſt illa de incendio Daphnitici templi, miſerabilis nænia Libanii Sophiſtæ, quam Divus Chryſoſtomus egregie perſtringit, in oratione de S. Babyla Martyre. Ibi enim Sophiſta præter modum fertur in miſerabiles, inconditosque affectus, & præ doloris ac furoris impotentia, in frigida quæque ac inepta tranſit. Vti cum dicit, Julianum Imperatorem, cum de templi incendio afflavit eum rumor, quæſiviſſe talaria Mercurii, ut

ad flammam reſtinguendam properaret. Vbi enim tandem ea erat inventurus? & certe tardum oportuit fuiſſe auxilium, ſi hæc talaria exſpectabantur. Ita, dum motus cupit ingentes excitare, delabitur in abſurda, quæ riſum potius quam dolorem efficiant.

Quid requiritur, cum a nobis aut aliis ſcripta recolimus?

Cum a nobis aut aliis ſcripta recolimus, adhibendum eſt judicium, quod eſt eorum, quæ legimus, vel audimus, vel ſcribimus, diligens & accuratum examen.

rca quæ adhibendum eſt Judicium?

In Judicium venire debent Verba & Res. In Verbis videmus, num ſint propria, Latina, elegantia, uſitata: item, num ex uſu conſuetudineque Latini ſermonis ſe habeant, quæ conjunguntur. Quæ ſit membrorum omnium connexio: Qualis ſit orationis totius habitus & character: hoc eſt, num hiſtoria hiſtorico, poëma, poëtico ſermone ſint formata, & num dictio ſit morata: hoc eſt, perſonis, loco, & ſimilibus, proprie & proxime conveniat: denique, an ea exprimantur ſatis, quæ ad dicendum fuere propoſita. In Rebus ſpectamus, num honeſtæ, utiles

utiles & graves eæ ſint, an vero inania, frivola, futilia contineant.

Quomodo peragitur Judicium in iis, quæ nos ipſi ſcripſimus?

Quæ nos ipſi ſcripſimus, diligenter relegere, ac *recognoſcere*, ut Veteres loquebantur, oportet: deinde ſeponenda ſunt, ad tempus, & tunc iterum ſumenda in manus, quod Veteribus eſt *retractare*. Porro & aliorum ſententiæ per communicationem explorandæ. Plinius l. 7. ep. 17. *Nullum emendandi genus omittto, ac primum quæ ſcripſi, mecum ipſe pertracto, deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado annotanda, notasque eorum ſi dubito, cum uno rurſus aut altero penſito; ac ſiquid mihi credis, tunc acerrime emendo, nam tanto diligentius, quanto ſolicitius intendo.* Addit poſt alia: *Cogito, quam ſit magnum, dare aliquid in manus hominum, nec perſuadere mihi poſſum, non & cum multis, & ſæpe tractandum, quod placere & ſemper, & omnibus cupias.* Hæc ille: Scilicet, cæcutimus fere in rebus noſtris, & ita comparata eſt hominum natura omnium, ut aliena melius videant, & dijudicent, quam ſua.

Operæ pretium fuerit adſcribere Joachimi Fortii Ringelbergii e libello de ratione Studii, verba, quibus revelat, qua ratione ipſe in componendis & examinandis ſcriptis ſuis ſeſe geſſerit, ſi forte ea, qua ipſe uſus eſt methodus, cuiquam prodeſſe queat: *Ut Studioſis non parvam adferre frugem inventione noſtra poſſim, exponetur quam in operibus cudendis ſervare ſeriem conſuevimus. Ante omnia concipio totum corpus operis futuri. Deinde in tabula lignea maximæ amplitudinis, rubrica titulos ſolum capitum delineo. Circumſpicio, num cuncta bene cohæreant. Si res videtur exigere, alios addo, auferro, muto, transpono. Titulorum capita dum excogitatio recens eſt, rudi oratione leviter ſingula in ſingulis chartis depingo. Eas chartas ordine pono in tabula, ubi titulos prius collocaram. Hos poſtremo magnis ſcribo typis, quo libri ordo univerſus, aſpectu uno poſſit comprehendi. Non aliter me paro ante quam librum incipio emittere. Tum ſingulis diebus capita aliquot ad prælum abſolvo: ad hunc modum illis, quæ prius leviter deſcripſeram, addo aliquid, vel adimo. Inde quum materiæ deeſſe nihil, aut redundare video, animum converto ad elocutionem, quæ partibus quatuor conſummatur. Primum enim, ſi res tractetur magnifica, caveo, ne particula usquam jaceat humi, infra dignitatem orationis. Ea tolli ſurſum poteſt, aut* περιφράσεως *forma, aut verborum contextu immutato, aut ratione quapiam alia. Ut, ſi offendam: Homo*

mo ad omnia pervenit; Pavor invadet ipſos campos: aliter ſcribo: Hominis cura quo non aſpiravit? Cam pos pavor ipſos invadet. Contra, ſi in ſtructura humili, inflatum reperio quicquam, quod præ cæteris partibus nimium extumeſcat, id per viam eandem, per eosdem gradus, detracto regio cultu, demitto ad humiliora. Tum etiam video, ne verbum idem, aut ſyllaba, ſi fieri poſſit, bis ponatur: niſi forte repetitionis habeat colorem, hoc eſt, niſi inſignis ſit ἀναφορά. Sed miſeri nos, non voces omnes ſemper videmus, quæ ſpecioſius poſſent imutari. Ita Pomponius Mela, in hac re diligentiſſimus cenſor, non perſpexit, quod in Præfationis ſuæ medio, bis poſuerit autem. *Ei loco majeſtas quædam accederet, ſi vel prius, vel utrumque tolleretur. Et apud Fabium crebra ſatis conjunctio* Nam, *præſertim in Capite ſeptimi libri, de Qualitate. Ad hæc do operam, ut numerorum gratia, ſive concentus cohæreat, aut per omnes periodi partes, ſi terſius quicquam ſcribere coner, aut ſaltem in fine. Vbi oratio deſinet, quæro Spondæos, Trochæos, Epitritos quartos, παιῶνας ſecundos, tertiosve, ſed per viciſſitudinem. Poſtrema cura eſt, ne multi ſint fines ſententiarum, qui pedes eosdem habeant. Inſuave enim quiddam, periodos tres, ſeu quatuor, eundem habere παιῶνα epitritum, aut alium quempiam orationis exitum. In pedum concentu omnem propemodum elegantiam pono. Sed maxima heic varietas exquiritur. Quocirca majorem multo tum laudem, tum occaſionem oſtentandæ doctrinæ conſequeris, ſi ita occulto nexu oratio-*

rationem vinxeris, quam ſi ſcripſiſſes carmen. Illic namque varietatem, qua ipſa imprimis natura gaudet, heic unum duntaxat florum genus proferre potes. Numeros equidem vitam vocaverim orationis, quod haud obſcure apparebit, ſi ſententiam numeroſam ſolveris, iisdem ſervatis ac transpoſitis verbis. Quippe, quæ ante efficax erat, ea ſoluta, ridicula videbitur. Quamobrem in omni opere prima curarum eſſe debet, ut res ſive membra cohæreant: proxima, ut verba, ſeu modulatio verborum. His tamen non ita anxie per omnia ſerviendum. Vt enim in ſaporibus quædam interdum ſuaviter amara ſunt: ſic aliquando modica in dictione aſperitas & vicisſitudo, oblectat aures, & cætera commendat.

Impo

Imponimus Loculamento corollam, verba Nicolai Cauſſini e libro 1. de Eloquentia ſacra & humana cap. 1.

MVltas quidem artes, aut a brutis animantibus effingimus, aut eas cũ ipſis habemus communes: (nihil de figulis, cæmentariis, elinopegis, architectis loquor:) etiam voce & fidibus canere, lanas inficere, telas texere, medicinã facere, bella gerere, imperia adminiſtrare, belluarum exemplo edocemur. At vero, dicere, (quod eſt copioſe, ornate, & ſapienter loqui,) totum illud, quod per ſe magnum eſt, totum noſtrum eſt; in hujus laudis ſocietatem non mutæ pecudes ſeſe offerunt; Angeli ipſi no-

ſtrum

ſtrum palmarium confitentur; qui ſi humani corporis compagibus eſſent incluſi, credo, hac de re nobiscum certarent.

Digitized by Google

Digitized by Google